Library of The Theological Seminary

PRINCETON · NEW JERSEY

PURCHASED BY THE
MRS. ROBERT LENOX KENNEDY
CHURCH HISTORY FUND

BX 830 1431 .A2 1896 v.3
Council of Basel (1431-1449
Concilium Basiliense

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Princeton Theological Seminary Library

https://archive.org/details/conciliumbasilie03ehrl

Basel, Council of

CONCILIUM BASILIENSE.

STUDIEN UND QUELLEN ZUR GESCHICHTE

DES

CONCILS VON BASEL

HERAUSGEGEBEN MIT UNTERSTÜTZUNG

DER HISTORISCHEN UND ANTIQUARISCHEN GESELLSCHAFT

VON BASEL.

BAND III:

PROTOKOLLE DES CONCILS VON 1434 UND 1435.

BASEL

R. REICH VORMALS C. DETLOFFS BUCHHANDLUNG

1900.

NOTE TO THE READER

The paper in this volume is brittle or the inner margins are extremely narrow.

We have bound or rebound the volume utilizing the best means possible.

PLEASE HANDLE WITH CARE

GENERAL BOOKBINDING CO., CHESTERLAND, OHIO

LIBRARY OF PRINCETON
MAR 16 1979
THEOLOGICAL SEMINARY

CONCILIUM BASILIENSE.

DIE PROTOKOLLE DES CONCILS

VON

1434 UND 1435

AUS DEM MANUALE DES NOTARS BRUNETI UND EINER

RÖMISCHEN HANDSCHRIFT

HERAUSGEGEBEN

VON

JOHANNES HALLER.

BASEL
R. REICH VORMALS C. DETLOFFS BUCHHANDLUNG
1900.

DRUCK VON M. WERNER-RIEHM IN BASEL.

Inhalt.

Einleitung VII

Protokolle 1434 Januar 1 bis Dezember 27 1

Protokolle 1435 Januar 1 bis Dezember 31 281

Beilagen:

I. König Wladislaus von Polen an das Concil. 1434 Januar 12 611

II. Bruchstücke notarieller Aufzeichnungen:

1. Zum Streit um das Erzbistum Trier. 1434 April 2 bis Mai 15 613

2. Ausführliches Protokoll der 19. Session. 1434 September 7 616

III. Zur Kanzleiordnung des Concils 619

Register 621

Berichtigungen 703

Der vorliegende Band, dessen Erscheinen durch mannigfache äussere Hindernisse verzögert worden ist, bringt die Concilsprotokolle aus den Jahren 1434 und 1435, in denen die Synode auf der Höhe ihrer Macht und ihres Ansehens steht und für die ihr vorgezeichneten Aufgaben die ungestörteste Thätigkeit entfalten kann, in denen aber auch der mühsam beigelegte Konflikt mit der Kurie von neuem ausbricht. Als Geschichtsquelle gewinnen die Protokolle für diese Zeit erhöhten Wert, weil sie uns diejenige Seite der Concilsarbeiten in grösster Deutlichkeit vorführen, über die Johann von Segovia, gemäss der Anlage seines Werkes, wenig oder gar nichts sagt: die laufenden Geschäfte, sozusagen die inneren Angelegenheiten. Wie verschieden der Charakter der beiden Hauptquellen in diesem Zeitraume ist, erhellt schon aus der Vergleichung ihres Umfanges. Das Jahr 1435, dem Johann von Segovia — der übrigens die ganze Zeit über von Basel abwesend war (s. Bd. I S. 24) — in seinem Riesenwerke nur 65 Seiten widmet, füllt die grössere Hälfte des vorliegenden Bandes, volle 327 Seiten. Welch breiten Raum dabei an sich unbedeutende private Angelegenheiten, Suppliken verschiedensten Inhalts, einnehmen, wird man vielleicht mit Überraschung wahrnehmen. Ich habe mich bisher nicht entschliessen können, an diesen, freilich wenig bedeutsamen Teilen des Protokolls Kürzungen vorzunehmen, da es mir immerhin nützlich schien, das Bild der wirklichen Arbeiten des Concils, mögen uns diese nun heute interessant erscheinen oder nicht, wenigstens für einen gewissen Zeitraum aktenmässig wiederzugeben, umsomehr als sich gerade in diesen Nebendingen die grossartige Universalität der Beziehungen am deutlichsten spiegelt, in deren Mittelpunkt damals Basel und das Concil standen.

Der Text beruht zur grösseren Hälfte (S. 281 ff.) auf einer einzigen Handschrift, dem Pariser ms. lat. 15624 (s. Bd. II Einleitung S. XII), da der Cod. Regin. mit dem Schlusse des Jahres 1434 abbricht (s. ebenda S. XIV). Verlieren wir somit ein immerhin wertvolles Mittel der Kontrolle

für die Vollständigkeit von Brunetis Exemplar, so liegt darum doch kein Grund vor, an dieser Vollständigkeit, die sich durch fast drei Jahre erprobt hat, für die folgende Zeit ernstliche Zweifel zu hegen. Nur an einer Stelle (s. S. 543) verrät die Handschrift selbst, dass in ihr die Deputationsprotokolle für eine ganze Woche (1435 Oktober 15 bis 21) fehlen. Dagegen liefern uns die Aufzeichnungen an einigen anderen Stellen den bestimmten Beweis ihres streng amtlichen, unpersönlichen Charakters, — wenn es eines solchen Beweises nach dem in der Einleitung zum II. Bande Gesagten und nach dem Tenor des ganzen Textes noch bedarf. Es stellt sich nämlich heraus, dass für einen längeren Zeitraum (1435 Juni 10 bis Oktober 29) nicht Bruneti der Verfasser der Aufzeichnungen sein kann, da er damals von Basel abwesend war. Er begleitete den Cardinallegaten und die übrigen Gesandten des Concils zum Friedenskongress nach Arras, ohne Zweifel in seiner Eigenschaft als erster Notar des Concils. Als solchem fiel ihm hier bei der feierlichen Verkündigung des Friedensschlusses zwischen Frankreich und Burgund am 21. September 1435 die Verlesung der Urkunden zu (s. Beaucourt, Histoire de Charles VII, t. II, p. 554). Seine Abreise von Basel notiert er zum 10. Juni (S. 413,9 ff.: Die veneris X^{a} eiusdem mensis iunii exiverunt et recesserunt per aquam reverendissimi domini cardinalis de Cipro, episcopi Vexionensis et Albinganensis . . . . ambassiatores sacri concilii transeuntes ad dietam Attrebati celebrandam . . . . . Cum quibus eciam recessi). Wir haben anzunehmen, dass auch seine Rückkehr in der Begleitung des Legaten erfolgte, dessen Ankunft in Basel zum 29. Oktober notiert wird (S. 554,31: Eadem die intravit dominus cardinalis de Cipro). Von diesem Datum ab dürfen wir als Autor der Aufzeichnungen, wo diese, wie S. 585,22, in erster Person sprechen, wiederum Bruneti voraussetzen, obwohl er sich erst zum 23. Dezember (S. 606,25) ausdrücklich nennt. Durch die Abreise des ersten Notars erlitt die Führung des Protokolls natürlich weder in der Generalkongregation, noch in der Deputatio pro communibus eine Unterbrechung. In der Generalkongregation buchten nach wie vor die sämtlichen übrigen Notare, in der Deputation trat an Brunetis Stelle Thomas Chesneloti. Am 14. Juli lässt er sich von der Deputation das Recht erteilen, aus den Büchern seines abwesenden Kollegen, die sich in seinem Verwahr befinden, auf Wunsch Urkunden auszufertigen (S. 440, 31 ff.: Super supplicacione mei Thome Chesneloti, petentis posse de notis magistri Petri Bruneti . . ., cuius protocolla et note penes me existunt, ad opus quorum interest conficere . . . instrumenta etc., placuit . . .). Einen Monat später, am 12. August, nennt sich in der Generalkongregation als protokollierender Notar wiederum Thomas Chesneloti, neben Erardus Rousselli, ‚aliis absentibus' (S. 472,13 ff.). Am 23. September heisst es

(S. 523,35): ‚ego Thomas Chesneloti notarius huius sacri concilii legi'. Kein Zweifel, dass der Notar, der zum 25. Oktober in erster Person spricht (S. 549,36 ff.: legi in scriptis . . ., aliis sociis absentibus, dempto Rogerio), ebenfalls Chesneloti ist. Wenn nun Bruneti diese Teile des Protokolls, an denen er nicht mitgearbeitet hatte, trotzdem in die zu seinem Gebrauche hergestellte Reinschrift, sein Manuale der Acta concilii, aufnahm, so ist dies das sicherste Zeugnis, dass er nicht etwa ‚Collectaneen' aus persönlichen Aufzeichnungen zusammenstellte, wie man wohl gemeint hat, sondern dass er ein Exemplar der Concilsprotokolle herstellen liess, wie sie von ihm und seinen Kollegen in gemeinsamer Arbeit und in amtlicher Eigenschaft verfasst wurden.

[1434.]

PR] Die veneris[a] prima ianuarii M°iiij°xxxiiij° dominus[b] Eystetensis obtinuit dilacionem termini per totum istum mensem ianuarii.

Die sabbati II[a] mensis ianuarii[b] in deputacione pro communibus, presidente domino episcopo Pergamensi, lecte fuerunt ordinaciones de modo procedendi in sacro concilio[c].

Lecta requesta domini abbatis S. Petri de Laude Veteri, quem dominus noster privavit sua abbacia, placuit quod per concilium provideatur eidem ut petitur, eciam secundum formam decretorum[d], et super hoc expediantur littere sub bulla, ac si in congregacione generali super hoc foret conclusum.

Ad idem expediantur littere domini Lausanensis et abbatis Bonecumbe[e] et omnium aliorum similes casus habencium; et ipsas ac alias similes materias prosequantur promotores et procurator fiscalis sacri concilii nomine concilii. Et super hoc scribatur principibus capitulis et conventibus[f] et subditis, ne impetrantes talia beneficia admittant, eciam si motu proprio collata fuerint vel imposterum conferrentur.

Lecta supplicacione electi et conventus monasterii de Mosomo[g] Remensis diocesis, placuit quod suppleantur deffectus, si qui sint in electione, et provideatur prout petitur.

Pro parte deputacionis fidei domini de deputacione pro communibus fuerunt exhortati, quod deputati ad componendum decretum de symonia et concubinariis frequencius convenirent.

Quo ad prelatos et alios in civitate existentes non incorporatos placuit, quod vocentur ad incorporandum et distribuantur per distributores

[a]) *fehlt, P; am Rande* Januarius. [b]) dom.—ian. *fehlt, R.* [c]) lecte—conc. *fehlt, R.* [d]) eciam—decr. *fehlt, R.* [e]) Bonetumbe *R.* [f]) capitulis communitatibus *R.* [g]) Mosorio *R.*

concilii in deputacionibus prestentque iuramenta solita in manibus domini cardinalis legati et in plena deputacione pro communibus.

R] Die sabbati secunda ianuarii millesimo quadringentesimo tricesimo quarto fuit distributus ad deputacionem dominus Johannes de Vernorolo bacalarius in decretis eximius.

PR] Die lune quarta mensis ianuarii M°iiij^{C}xxiiij° in deputacione pro communibus abbas S. Anthonii Viennensis pro se ipso, monasterio et preceptore[a] in eadem deputacione per reverendissimum patrem dominum cardinalem legatum more solito fuit incorporatus et distributus in deputacione reformatorii.

Pro parte deputacionis pacis relatum est, quod ipsa deputacio avisavit, quod deputati alias super ordinando decreta frequenter conveniant, quousque finis imponatur.

Quo ad secundum articulum de pace Germanie deputacio deputavit dominum Augustensem ad conveniendum cum domino imperatore.

Pro parte reformatorii fuit relatum, quod ipsa deputacio ordinavit, quod dominus cardinalis legatus habeat recipere iuramenta ab incorporandis in sacra deputacione pro communibus etc.

Quo ad primum[b] avisamentum dominorum de duodecim de expediendo formas decretorum contra symoniacos et concubinarios placuit, quod domini alias deputati frequenter conveniant et huiusmodi formas expediant, et unacum deputatis abbas S. Honorati, et loco doctoris Constanciensis fuit surrogatus dominus Petrus Corserii[c] habeantque dicti deputati facultatem loco domini legati eligendi inter eos presidentem.

Quo ad pacem Germanie etc. ad interessendum cùm domino imperatore et deputatis aliarum deputacionum et videndum de modo providendi circa bella presencia[d] solicitandumque super Karolina et eciam futura[e] fuerunt[f] deputati domini archiepiscopus Lugdunensis et episcopus Lubicensis etc.

Super pace Francie de mittendis ambassiatoribus apud reges et principes tam pro stabilimento huius sacri concilii quam pace Francie provideant quam cicius fieri poterit domini cardinalis legatus et deputati pro huiusmodi pace.

PR] Die martis V^{a} ianuarii in deputacione pro communibus dominus marchio Brandeburgensis et ambassiatores regis Bohemie et principum electorum requisiverunt sibi ministrari iusticiam iuxta cedulam per eos porrectam.

[a]) et precept. *fehlt, R.* [b]) tercium *R.* [c]) Johannes ambassiator comitis Armanignici *R* dom. [d]) bullas presentes et futuras *R.* [e]) solic.—fut. *fehlt, R.* [f]) et fuerunt *P.*

Domini ambassiatores domini ducis Burgundie per organum domini Gasparis requisiverunt, quod in hac materia domini vellent taliter deliberare, quod dominus dux non haberet materiam querelandi.

Deputacio pacis deliberavit hoc modo super facto locacionis dominorum ambassiatorum iam de presenti de locis contendencium, quod supplicetur serenissimo domino imperatori, quod causam huiusmodi, quantum concernit principes laycos, assumere et partes huiusmodi concordare dignetur; quod si fieri non poterit, causam ipsam per iusticiam decidat etc.

PR] Die mercurii VI[a] ianuarii M°iiij[C]xxxiiij° dominus cardinalis legatus in domo sue habitacionis recepit ad incorporacionem concilii medio iuramento solito dominum archiepiscopum Auxitanum etc.

PR] Die sabbati IX[a] ianuarii in deputacione pro communibus ad adeundum dominum imperatorem unacum deputatis aliarum deputacionum et sibi supplicandum, ut ecclesiam Bambergensem conservet in suis iuribus et libertatibus, et informandum de contumacia in contemptu [a] civium Bambergensium, qui [b] offenderunt tam verbo quam facto sacrum concilium, et de meritis huiusmodi cause deputati fuerunt domini archiepiscopus Lugdunensis et episcopus Lubicensis etc.

Provincialis ordinis Augustinensis Tornacensis obtinuit licenciam recedendi et promisit reverti quantocius [c] commode poterit.

Ad eligendum unum precognitorem et duos iudices causarum pro deputacione ista fuerunt nominati domini Cumanus episcopus, abbas de Dompnomartino et Henrricus auditor.

Ad examinandum requestam illorum de Grimaldis [d] de Janua fuerunt deputati domini Cumanus et Ludouicus de Garsiis, qui referant, et facta relacione deputacio deliberabit. Non [e] est conclusum, sed currant vota in prima deputacione.

Super avisamentis dominorum duodecim [e].

Quo ad primum placuit avisamentum de reformatorio, videlicet quod deputentur de qualibet deputacione duo, qui conveniant hodie hora tercia in S. Dominico cum dominis Placentino et Rothomagensi cardinalibus, deputatis per eandem deputacionem reformatorii ad tractandum graciose cum dominis ambassiatoribus dominorum contendencium de sedibus, ut supersedeant a congregacionibus publicis saltem usque ad XV dies. Et si ad preces noluerint acquiescere, moneantur sub pena privacionis iuris tam in petitorio quam possessorio, ut supersedeant. Interim

[a]) de controversia et contemptu *R.* [b]) quia *R.* [c]) quam cicius *R.*
[d]) Ghialdis *R.* [e]) Non—duod. *fehlt, R.*

per deputatos videatur de aliqua bona via amicabilis composicionis. In casu vero quo non possit obtineri, fiat bona iusticia summarie sine strepitu et figura iudicii vel aliquo processu litigioso. Et pro deputacione ista pro communibus ad premissa cum deputatis aliarum deputacionum fuerunt deputati domini Pargamensis et Bellicensis episcopi. Item quod durante illa suspensione XV dierum teneantur congregaciones generales et alie solemnitates consuete, in quibus possint expediri negocia concilii. Nota quod dominus abbas de Dompnomartino quo ad prohibicionem et monicionem etc. se opposuit.

Negocium concernens copias litterarum missarum domino imperatori per nonnullos Venetos iuxta deliberacionem reformatorii commissum est domino cardinali legato, qui habeat die crastina post missam convocare dominos prelatos et alios pro remedio opportuno super hoc apponendo.

Quo ad secundum avisamentum dominorum de duodecim de prelatis in concilio existentibus incorporandis concilio etc. placuit avisamentum in forma, videlicet quod huiusmodi prelati et alii requirantur ad incorporandum per promotores concilii quodque dominus cardinalis legatus ab huiusmodi incorporandis possit recipere iuramenta solita in plena deputacione pro communibus, prout II[a] die huius mensis fuit ordinatum.

PR] Eadem die sabbati, dissoluta deputacione, domini ad eligendum unum precognitorem et duos iudices pro parte deputacionis pro precognitore nominaverunt dominum episcopum Cumanum et pro duobus iudicibus dominos episcopum Lubicensem et Petrum Corserii[a)] ambassiatorem domini comitis Arminiaci[b)].

Item avisarunt predicti domini deputati, quod priores iudices, videlicet illi quorum tempus novissime expiravit, omnes et singulas causas coram eis pendentes, in quibus lis est contestata et iuratum de calumpnia, diffinire et decidere possint extraordinarie etc.

PR] Die mercurii XIII[a c)] ianuarii M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in reffectorio domus fratrum Minorum, presentibus dominis cardinalibus patriarchis archiepiscopis episcopis abbatibus et eorum procuratoribus necnon doctoribus magistris etc., lectis litteris credencialibus[d)], Martinus Berruerii, legatus concilii veniens de Boemia, de gestis per legatos concilii in partibus illis super quatuor articulis suam fecit relacionem, prout in cedula composita per officialem Virdunensem. De quibus dominus legatus nomine concilii regraciatus est.

[a)] Cors. *fehlt, R.* [b)] Armigniaci *R.* [c)] XIIII[a] *P.* [d)] lectis—cred. *fehlt, R.*

Magister Johannes Celi procurator universitatis Wiennensis nomine ducis Alberti, qui pugil ecclesie contra Bohemos continue extiterat, requisivit quod marchionatus Morauie racione primi articuli de sacramento eucaristie sub utraque specie in tractatu inito per sacrum concilium et Bohemos non includeretur ad observacionem etc.

Item quod Bohemi ad deffensionem eorum racione cuiusvis litis non admittantur, nisi dimittant arma et omnem viam facti.

Quo ad huiusmodi peticionem domini ducis Alberti respondetur, quod quicquid fecit concilium cum Bohemis, hoc fuit pro salute filiorum et reductione Bohemorum, nec intelligit concilium, quod illi qui observaverunt ritum sancte matris ecclesie et Romane ecclesie, debeant recipere huiusmodi sacramentum sub utraque specie.

PR] Eadem[a] die mercurii XIII[a] ianuarii post meridiem[b] in deputacione pro communibus ad adeundum serenissimum dominum imperatorem unacum reverendissimo patre domino cardinali legato et dominis deputatis aliarum deputacionum et conferendum cum eodem super facto Bohemorum et civitatis Pizne[c] et referendum in deputacione fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis et episcopus Lubicensis etc.

Pro parte reformatorii fuit relatum, quod ipsa deliberavit fore expediens, quod fiat una congregacio generalis, in qua dominus cardinalis legatus habeat excusare sacrum concilium erga principes seculares super eo quod imponitur sacro concilio, quod dedit bullas capitaneis ad invadendum terras ecclesie, quarum copias dominus imperator dixit se recepisse. Item quod modicum concilium circa tria puncta etc. laboravit. Item quod dedit unum deputatum ad avisandum dominum cardinalem legatum, quod brevissime fiat una processio generalis pro felici successu negocii Bohemorum etc. Requirens quod illud idem deputacio velit deliberare etc.

Quo ad revocacionem factam, ut dicitur, de persona magistri Johannis de Montemartis, qui a principio huius sacri concilii multum laboravit ad honorem concilii, placuit quod scribatur mittentibus eum, ut ipsum permittant stare in sacro concilio nomine ipsorum, attento quod est eidem concilio utilis, et sibi provideant graciose de neccessariis secundum condecenciam sui status, alioquin per concilium sibi provideatur eciam per censuras ecclesiasticas. Provideatur eciam aliis conquerentibus in simili materia et concilio utilibus.

Super huiusmodi provisione facienda ad eundem dominum cardinalem legatum et dominum episcopum Wormaciensem[d] fuerunt deputati

[a]) *fehlt, P.* [b]) post mer. *fehlt, P.* [c]) Pisne *R.* [d]) Walmaciensem *P.*

domini episcopus Cumanus et Henrricus auditor, qui cum domino cardinali habeant taxare sua stipendia et litteras conficere opportunas.

Item lecta electione precognitoris et duorum iudicum, placuerunt huiusmodi precognitor et duo iudices nominati.

Super[a] congregacione generali tenenda, in qua dominus cardinalis habeat excusare etc., ponatur alias in deputacione generali etc.

PR] Die iovis XIIII[a] ianuarii in deputacione pro communibus super supplicacionibus quo ad requestam magistri Guillermi Guerardi[b], petentis restitui, placuit signatura dominorum precognitorum et sacre deputacionis fidei dicte requeste apposita[c]; sex vota contradixerunt.

Placuit quod expediantur littere super negocio capituli generalis ordinis Carmelitarum, super quo deputaciones deliberarunt, ac si foret in congregacione generali conclusum.

Relatum est pro parte deputacionis reformatorii, quod ipsa avisavit fore expediens, quod adeatur dominus imperator, ut spectaculum, quod fieri debet in Constancia, suspendatur, quodque expense, que fieri debent ob hoc, in succursu et defensione civitatis Pizne[d] convertantur.

Ad adeundum dominum imperatorem et ipsum exhortandum, ut dignetur accelerare gressus suos circa regnum suum Bohemie iuxta avisamentum ambassiatorum domini regis Aragonum, fuerunt deputati domini Lugdunensis Lausanensis Bellicensis episcopi, abbates S. Honorati et de Dompno[e] Martino, Johannes Pulcripatris et Petrus Corserii[f] ambassiator domini comitis Arminiaci[g], et requirendum eum, ut ipse velit torneamenta etc. dimittere et expensas convertere[h] in deffensionem et succursum civitatis Pizne[i]; et conveniant hodie hora tercia in Predicatoribus.

Placuit quod studentibus Erphordie[k] expediatur sub bulla concilii conservatoria in forma petita.

Quo ad supplicacionem fratris Petri de Colle[l] ordinis Minorum, petentis promoveri ad gradum magistratus in theologia, placuit oppinio deputacionis fidei.

Quo ad requestam capituli Zagrobiensis[m] dati sunt deputati domini Lugdunensis et Lubicensis episcopus, qui adeant dominum imperatorem ad informandum eundem, quod causa spectat ad forum ecclesiasticum, quodque dignetur consentire, quod committatur alicui prelato vel viro ecclesiastico Hungarie etc.

[a]) *der Absatz fehlt, R.* [b]) Girardi *R.* [c]) opposita *R.* [d]) Piltzne *R.* [e]) Dampno *R.* [f]) *fehlt, R.* [g]) Armaniaci *R.* [h]) converti *P.* [i]) Pisne *R.* [k]) Erffodensibus *P.* [l]) Celle *R.* [m]) Sagionensis *R.*

Ad examinandum contenta in requesta illorum de Grimaldis de Janua fuerunt dati deputati episcopus Cumanus et Ludouicus de Garsiis, qui referant, et facta relacione deputacio deliberabit etc.

Placuit supplicacio dominorum fratrum diocesis Misnensis in forma ut petitur.

Quo ad supplicacionem electi monasterii de Mosomo, attentis deliberacionibus deputacionum, placuit quod littere super hoc expediantur sub bulla, ac si in congregacione generali foret conclusum etc.

PR] Die sabbati XVI[a] ianuarii M°iiij°xxxiiij° in deputacione pro communibus iuxta deliberacionem sacrarum deputacionum fuerunt incorporati concilio more solito sequentes: patriarcha Aquilegiensis, Tridentinus et Bambergensis episcopi, abbas de Niue ordinis Premonstratensis, magister Augustinus de Padua ordinis Augustinensis pro ordine, frater Johannes ordinis S. Benedicti pro abbate Cernacensi diocesis Cracouiensis in Polonia, dominus Henrricus abbas monasterii Saliensis[a)] ordinis Cluniacensis, dominus Guillermus Morelli precentor Nemausensis ordinis canonicorum regularium, dominus Johannes Meigneron[b)] capellanus[c)] S. Crucis Pontis Moncionis[d)], dominus Sanxius Fernandi[e)] canonicus Cauriensis[f)], magister Johannes de Funo[g)] magister in theologia provincie Marchie[h)] Anconitane, Bartholomeus Roscelli licenciatus in utroque pro domino Biterrensi, magister Stephanus Callau[i)] curatus SS. Innocentum Parisiensium, dominus Raymundus Taloni[k)] decretorum doctor vicegerens camere apostolice prepositus Forqualquerii[l)] in personam provincialis Prouincie ordinis Carmelitarum, dominus Georgius Berneker[m)] plebanus in Visdigiez[n)] Aquilegiensis diocesis, Johannes Turk[o)] capellanus ecclesie Basiliensis, magister Johannes Riberselli[p)] canonicus de Capnone[q)] pro capitulo etc., magister Christophorus Deuspisana canonicus ecclesie Moseliensis[r)] magister in artibus, dominus[s)] Johannes Rode nomine proprio[s)], dominus Georgius de Sweinberg cantor et canonicus Bambergensis pro capitulo Bambergensi, magister Petrus Sanxii baccallarius in decretis, frater Alfonxius de Sommora[t)] prior S. Nerici[u)] de Placencia, Eurardus[v)] decanus Nouemecclesiarum ordinis canonicorum regularium diocesis Bambergensis, magister Nicolaus Volrast[w)], Henrricus Attender[x)] canonicus S. Andree Coloniensis pro episcopo Curiensi, dominus Andreas

[a)] Saluensis *R.* [b)] Maigneron *R.* [c)] canonicus *R.* [d)] *für* Pont. Monc. *Lücke, R.* [e)] Fermandi *R.* [f)] Taurinensis *R.* [g)] Fieno *korr. aus* Funeo *(?) R.* [h)] *fehlt, R.* [i)] Tolleau *R.* [k)] Thaloni *R.* [l)] Folquaquerii *P.* [m)] Bernelier *P.* [n)] Visdigies *P.* [o)] Turc *P.* [p)] Roberelli *R.* [q)] Casernone *R.* [r)] Apsoleniensis *R.* [s)] dom.—proprio *fehlt, R.* [t)] Slemora *R.* [u)] Venti *R.* [v)] Euardus *P.* [w)] Vokast *R.* [x)] Arcenduc *P.*

Dolina canonicus Wratislauiensis, Gaspar de Nouacella diocesis Brixinensis[a] etc.

Dominus episcopus Bellicensis obtinuit licenciam recedendi usque post celebracionem sue synodi, ita quod loco sui dimittat procuratorem etc.

Item ipse dominus Bellicensis loco sui constituit procuratorem magistrum Johannem . .[b] curatum Lugdunensis diocesis ad se representandum nomine suo in concilio etc., presentibus magistro Symone Freron[c] et Thoma socio.

Placuit quod mater cuiusdam incorporati, laborans in extremis in patria supposita ecclesiastico interdicto, si contingat eam mori, possit sepeliri et alia facere, que saluti anime sue expediencia sunt.

Dominus cardinalis legatus pro succursu et deffensione civitatis Pisnensis[d] obsesse per Bohemos pro et nomine domini imperatoris obtulit duobus civibus Piznensibus[e] realiter et de facto summam mille florenorum.

Lecta forma decreti contra turbatores pacifice possidencium sua beneficia, placuit quod hodie hora secunda detur copia cuilibet volenti habere et primo die veniant deliberati[f].

Super primo avisamento dominorum duodecim de provisione fienda domino nostro pape et dominis cardinalibus etc. ad videndum de modo huiusmodi provisionis fuerunt deputati alias deputati ad conficiendum decretum de symonia et de concubinariis; quodque limitetur numerus dominorum cardinalium et officialium curie Romane.

Super secundo de festis colendis placuit, quod adeatur consulatus civitatis per duos deputatos pro deputacione[g] pro communibus et diminuantur aliqua festa.

Super tercio de iudicibus placuit, quod iudices per sacras deputaciones noviter electi prestent iuramenta in manibus domini legati et exequantur suum officium, ac si in congregacione generali foret conclusum et huiusmodi iuramenta solita in eadem prestitissent.

Pro iudice loco domini episcopi Lubicensis, qui huiusmodi officium recusavit, fuit electus dominus Henrricus procurator domini episcopi Monasteriensis.

Super quarto de abusibus questorum et indulgenciarum dentur deputati, qui videant de modo providendi et referant. Et ad hoc fuerunt deputati domini patriarcha Aquilegiensis, episcopus Pergamensis et Petrus Corserii[h] ambassiator domini comitis Arminiaci.

[a]) Brixiensis *R.* [b]) *keine Lücke, R.* [c]) Ferron *R.* [d]) Piltzne *R.* [e]) Piltznensibus *R.* [f]) deliberaturi *R.* [g]) per dominos deputatos per deputacionem *R.* [h]) *fehlt, R.*

In materia fratris Johannis de Nursia ordinis S. Johannis Jherosolimitani incarcerati placuit, quod dominus Henrricus auditor sit adiunctus in hac causa cum reverendissimo domino cardinali S. Petri ad vincula, qui in causa coniunctim procedant et iusticiam faciant.

PR] Die lune XVIII[a] ianuarii super primo avisamento dominorum duodecim, concernente electionem futuri summi pontificis, eciam super qualitate et numero cardinalium assumendorum, item de non creandis indifferenter in futurum notariis fuerunt deputati domini episcopus Lausanensis, abbates S. Cornelii et S. Petri de Laude Veteri et Henrricus Nythard, qui cras hora octava de mane in parva stupha deputacionis pro communibus conveniant.

Dominus Henrricus Nythard obtinuit licenciam accedendi ad unam dietam suam apud Constanciam.

Lecta forma decreti contra turbatores pacifice possidencium sua beneficia, ad videndum antiquam et[a)] novam formam et componendum unam formam[a)] fuerunt deputati domini episcopus Pergamensis, Petrus Corserii[b)] ambassiator domini comitis Arminiaci et Ludouicus de Garsiis.

In materia pacis regni Francie loco domini Bellicensis episcopi fuit deputatus dominus episcopus Lausanensis. Et ad prosequendum et sollicitandum negocium huiusmodi erga dominum legatum et alios deputatos fuit deputatus magister Hugo promotor.

Placuit quod iterum requirantur domini Magdeburgensis et episcopus Warmaciensis[c)] sub pena suspensionis, quod infra diem sabbati proximam inclusive habeant se incorporare.

Facta relacione per dominum episcopum Cumanum super materia magistri Johannis de Montemartis, placuit quod domini Cumanus et abbas S. Petri de Laude Veteri sint cum domino cardinali legato, et provideatur eidem magistro Johanni iuxta conclusionem alias captam.

Item moneatur sub penis excommunicacionis idem magister Johannes de Montemartis, ne recedat a sacro concilio.

PR] Die mercurii XX[a] ianuarii M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in deputacione pro communibus domini Johannes de Constancia et unus alius, alias missi ad consulatum civitatis pro festis colendis etc. et pro gravaminibus, suam de gestis fecerunt relacionem.

Item quia dominus cardinalis legatus misit suum cursorem pro dominis prelatis, ut accederent ad S. Dominicum pro audienda responsione domini imperatoris super requestis concilii, deputacio fuit dissoluta et recesserunt omnes domini.

[a)] et—formam *fehlt, P.* [b)] *fehlt, R.* [c)] Wormaciensis *R.*

PR] Die iovis XXI[a] ianuarii in deputacione pro communibus pro supplicacionibus.

Supplicacio domini episcopi Chelmensis, requirentis committi causam plebani in Sezobizsthem[a)] incorrigibilis et diffamati de fide episcopo Plocensi[b)], comissa est domino cardinali legato, qui procedat prout sibi videbitur.

Quo ad supplicacionem Johannis Gileti[c)] et Laurencii de Villa Noua volencium permutare etc. expectetur terminus domini nostri pape.

Deputacio reformatorii requisivit quod darentur deputati, qui adeant dominos cardinalem S. Petri et Henrricum auditorem, ipsos avisando, attenta falsitate fratris Johannis de Nursia delati, non ita repente habeant eum relaxare.

Quo ad supplicacionem domini Petri Rodeti curati de Ansa committatur domino archiepiscopo Lugdunensi ordinario suo.

Fructusmontis procurator domini archiepiscopi Bremensis insinuavit dominis de sacra deputacione instrumentum suspensionis ab officio procuratoris.

Quo ad supplicacionem fratris Conrrardi de Altemburg, petentis posse transire de suo monasterio ad aliud monasterium, placuit quod committatur episcopo Herbipolensi ordinario loci, ut se informet de contentis in supplicacione, et si sibi constiterit de expressis, det licenciam transeundi etc.

Quo ad supplicacionem fratris Conrrardi Heggzi monachi de Schaffphusa[d)], petentis subsidium a suo abbate pro studio, placuit quod scribatur suo abbati, ut sibi subveniat, nisi aliam causam habeat quare hoc facere minime[e)] debeat.

Dominus Humbertus precentor Biterrensis, associatus domino Gaspare[f)] advocato, preposito Lausanensi et quodam alio, exhibuit mandatum illustrissimi principis domini ducis Sabaudie, habentis interesse in causa electionis ecclesie Lausanensis. Similiter mandatum dominorum electi et capituli Lausanensium. Virtute quorum mandatorum ipse dominus Humbertus nomine tam domini ducis quam electi et capituli Lausanensium coram dominis de dicta deputacione a certis gravaminibus per eandem deputacionem de communibus, ut asserebat, illatis provocavit et appellavit, protestatus fuit, apostolos peciit et alia fecit, prout et quemadmodum in quodam papiri rotulo, quem in suis tenebat manibus, continetur. De quibus peciit instrumentum a me notario, presentibus dominis Cumano et Leonensi episcopis, abbatibus de Dompnomartino et S. Cornelii, Johanne Pulcripatris et Symone Freron.

[a)] Sezobizsteim *R.* [b)] Placen. *R.* [c)] Gelerii *R.* [d)] Staffusa *P.* [e)] non *R.* [f)] Casparo *R.*

Item ad idem prepositus Lausanensis nomine proprio appellavit et provocavit, prout in rotulo continetur, et nomine procuratorio dominorum electi et capituli ecclesie Lausanensis huiusmodi appellacioni adhesit, petens instrumentum, presentibus quibus supra.

Quo ad apostolos dandos dominus episcopus Pergamensis presidens respondit, quod domini de dicta deputacione super huiusmodi dandis apostolis et termino assignando ad dandum eosdem deliberarent.

Hiis peractis dominus Petrus de Trillia[a)] et magister Thomas socius nomine domini episcopi Lausanensis pecierunt copiam tam mandatorum quam appellacionis. Et quia prefatus dominus Humbertus petebat expresse sibi restitui huiusmodi mandata, ut similem actum posset facere in deputacione sacra fidei, Petrus de Trillia[b)] et Thomas se ad hoc opposuerunt, protestantes quod nullomodo originalia restituerentur, nisi prius habita copia eorundem.

Dominus Ernestus alter dominorum deputatorum ad audiendum causas excusacionum admisit dominum episcopum Lausanensem in procuratorem capituli Tarentasiensis[c)], presentibus Petro de Trillia et Aydemaro[d)] de Roussillione altero promotorum.

PR] Die sabbati XXIII[a] ianuarii M°iiij^{C}xxxiiij° coram dominis deputatis ad examinandum etc. episcopus et capitulum ecclesie Wilnensis[e)] obtinuerunt dilacionem usque ad festum S. Johannis, infra quam[f)] debent producere mandata sufficiencia.

Item ad idem episcopus et capitulum ecclesie Medunensis obtinuerunt similem dilacionem et debent producere sufficiencia mandata.

In deputacione pro communibus:

Placuit quod omnes de sacro concilio habeant die martis proxima honorare exequias quondam domine ducisse Britanie in ecclesia fratrum Minorum.

Domini iudices per sacras deputaciones ordinati et electi, videlicet electus Gurcensis[g)], domini Petrus Corserii[h)] ambassiator[i)] domini comitis Arminiaci, vicarius Parmensis, Henrricus procurator episcopi Monasteriensis, dominus Johannes de Bolauis[k)] Ispanus et archidiaconus Metensis de fideliter exercendo huiusmodi officium iudicis in manibus domini legati solitum prestiterunt et quilibet eorum prestitit iuramentum.

Dominus legatus de beneplacito deputacionis etc. dedit in mandatis domino Aydemaro[l)] de Roussillione alteri[m)] promotorum, quod habeat avisare dominos duodecim, ne imposterum ad incorporacionem sacri concilii

[a)] Trylhia *R.* [b)] Trilhia *R, so meist.* [c)] Tarenthasiensis *R.* [d)] Aymero *R.* [e)] *Lücke, R.* [f)] quem *P.* [g)] Gurtzensis *R.* [h)] *fehlt, R.* [i)] *fehlt, P.* [k)] Volauis *R.* [l)] Aymare *R.* [m)] altero *PR.*

admittant aliquos, nisi sint magistri vel baccallarii in theologia, doctores magistri ac licenciati in altero iurium aut in magnis constituti dignitatibus, videlicet archidiaconi decani prepositi et canonici prebendati ecclesiarum cathedralium, habentes mandatum a suis capitulis.

Incorporati fuerunt in dicta deputacione more solito et admissi per dominum legatum episcopus Warmaciensis[a], Symon Reizer baccallarius in theologia provincialis Almanie superioris vicarius generalis Augustinensis pro ordine, frater Fredericus Werlin[b] baccallarius in theologia suus socius, Ludolphus Crone thesaurarius Ozeliensis pro episcopo Oziliensi, Theodericus Nagel[c] canonicus Rigensis pro archiepiscopo Rigensi, Jacobus Grone[d] pro eodem archiepiscopo, frater Guillermus prepositus monasterii in Thingen[e] pro prelatis canonicorum regularium Constanciensis diocesis, Adrianus Clerici, Guillermus Scac[f] magister in artibus canonicus S. Dionisii Leodiensis[g], dominus Joffridus[h] abbas de Combergh[i] Herbipolensis diocesis, Georgius Stannebergh[k] canonicus in Sestboch[l], magister Dyonisius Mabire in artibus magister, Johannes Eustacii[m] magister in artibus, Johannes[n] Crusenach[o] canonicus Mozebacensis Herbipolensis diocesis, Sanxius Fernandi.

Quo ad factum semidecime universaliter pro neccessitatibus ecclesie imponende iuxta deliberaciones sacrarum deputacionum aut saltim trium alias habitas placuit, quod in locis, in quibus beneficia sunt taxata, imponatur ipsa semidecima secundum taxam, in aliis vero partibus ponatur unum de viginti de veris redditibus et obvencionibus, ita tamen quod possessores beneficiorum desolatorum aut diminutorum habeant opcionem solvendi secundum taxam aut de viginti unum; et quod perinde valeat presens deliberacio, ac si foret conclusa in congregacione generali.

PR] Eadem die hora vesperorum in domo domini cardinalis legati et coram eodem dominus Humbertus de Chissiaco procurator et nomine procuratorio tam domini ducis Sabaudie quam dominorum electi et capituli ecclesie Lausanensis, ne ipse dominus cardinalis legatus sedis apostolice et generalis presidens sacri concilii valeret ignorare, quominus ipse dominus procurator a certis gravaminibus per sacras deputaciones pro communibus, de fide et de reformatorio illatis dominis suis, ut asserebat, ad sacrum concilium appellasset, huiusmodi appellacionem, quam in suis tenebat manibus, intimavit insinuavit et notificavit cum reverencia, qua decet. De quibusquidem intimacione etc. ipse dominus Humbertus nomine quo supra peciit a me notario sibi fieri instrumentum etc. Actum

[a]) Wormaciensis *R.* [b]) Wylm *R.* [c]) Naghel *R.* [d]) Grono *P.*
[e]) Tuisschen *R.* [f]) Stat *R.* [g]) can.—Leod. *fehlt, R.* [h]) Goffridus *R.*
[i]) Comberch *R.* [k]) Stannerberch *R.* [l]) Sestoch *R.* [m]) Eustachii *R.*
[n]) Johannes – dioc. *oben vor* dom. Goffridus *R.* [o]) Crusenohe *R.*

in aula alciori domus dicti cardinalis legati, presentibus dominis et magistris Bartholomeo de Batifferris, Johanne de . . presbitero Traiectensi, Alexandro de Vizeto et Jacobo Minerii[a] clericis Leodiensis et Gracianopolitane diocesum testibus etc.

Eadem die marchissa de Baden[b] redemit unum pulcerrimum[c] iuvenem, qui ad patibulum ducebatur.

PR] Die martis XXVI[a] ianuarii M°iiij^{C}xxxiiij° coram domino patriarcha Alexandrino super excusacione dominorum episcopi Chilnensis[d], abbatis Brezensis[e] ordinis Premonstratensis, comparentibus domino vicario Parmensi pro parte supradictorum et magistro Hugone promotore ex officio concilii etc., auditis altercacionibus hincinde, prefatus dominus patriarcha, attento quod super huiusmodi excusacionibus domini deputati ad examinandum causas excusacionum prius suas vices interposuerant, huiusmodi causam ad dictos dominos deputatos remisit.

Item dominus Hugo Barardi promotor post aliquas altercaciones hincinde habitas requisivit vicarium Parmensem, ut non constitueret se[f] partem contra concilium, ymo promotoribus, qui negocia publica gerunt concilii, vellet adherere. De quibus etc., presentibus Petro de Trillia et . . canonico Lugdunensi[g].

In deputacione pro communibus dominus Henricus auditor, adiunctus cum domino cardinali S. Petri in facto fratris Johannis de Nursia ordinis S. Johannis Jherosolimitani, de ista causa penitus se exoneravit; et placuit quod dominus cardinalis S. Petri solus procedat in causa et iusticiam faciat.

PR] Die mercurii XXVII[a] ianuarii xxxiiij° in deputacione pro communibus abbas monasterii de Obemburg[h] ordinis S. Benedicti Aquilegiensis diocesis concilio extitit incorporatus et iuravit in manibus domini cardinalis legati.

Placuit unanimiter sacre deputacioni pro communibus, quod titulus, videlicet „Sacrosancta“ etc., observatus usque nunc, observetur semper usque ad unum apicem et nichil immutetur, et si aliquando adiungatur tercia persona vel prima, sicut[i] „mandat“ vel „mandamus“, non fiat difficultas.

Placuit quod dominus Tilmannus prepositus S. Florini[k] vadat ex parte sacri concilii ad concordandum episcopum et capitulum Constancienses provincie Maguntine cum potestate sacri concilii.

Dominus Johannes Scalerman[l] electus Gurcensis[m] peciit sibi

[a]) Mineri *R.* [b]) Bada *P.* [c]) *fehlt, R.* [d]) Chilucensis *P.* [e]) Biszensis *R.* [f]) ut se constitueret *P.* [g]) can. Lugd. *fehlt, R.* [h]) Obenbrug *R.* [i]) non sicut *P.* [k]) Florencii *R.* [l]) Staberman *R.* [m]) Gurtzensis *R, so stets.*

decerni monitorium de et super litteris sue provisionis sive promocionis ad ecclesiam Gurcensem.

Dominus episcopus Albinganensis nomine domini ducis Mediolani excusavit prefatum dominum ducem de et super certis litteris per cesaream maiestatem dicto domino duci scriptis, concernentibus honorem suum super eo quod dicebatur in ipsis litteris, quod gentes sue armorum invaserant terras ecclesie, et pro sua excusacione legit copiam litterarum missarum per dictum dominum ducem serenissimo domino imperatori.

Domini archiepiscopus Rothomagensis, abbates Cisterciensis, S. Eugendi, de Dompnomartino[a], prepositus Lausanensis et magister Robertus au Clou[b], ambassiatores domini ducis Burgundie, per organum domini Gasparis de Perusio proposuerunt, petentes sedes dominorum ambassiatorum eversas relevari et ipsos in eisdem[c] reponi et restitui iuxta ordinacionem sacri concilii alias factam in congregacione generali, ac alias taliter provideri, quod honor sacri concilii servetur et ipse dominus dux in suis iusticia et preeminenciis non ledatur.

Quo ad semidecimam iam per deputaciones deliberatam imponendam placuit, quod cras de mane naciones congregentur et videant de modis ipsam levandi, fideliter custodiendi et utiliter exponendi.

Dominus Leonensis non consenciit nec potuit aliquid dicere in ista materia, nisi primo[d] aduenientibus ambassiatoribus domini ducis Britanie.

Quo ad factum supplicacionis civium Basiliensium etc. placuit, quod non possint trahi extra civitatem Basiliensem ad iudicium racione rei contracte vel delicti facti a tempore inchoacionis istius concilii et per quatuor menses post dissolucionem concilii, sicuti indultum fuit civibus Constanciensibus durante concilio Constanciensi.

PR] Die sabbati penultima ianuarii M°iiij^{C}xxxiiij° in deputacione pro communibus, presente domino cardinali legato, dominus archiepiscopus Magdeburgensis in propria persona more solito fuit incorporatus.

Dominus Humbertus procurator domini ducis Sabaudie ac electi et capituli Lausanensium, associatus preposito Lausanensi, proposuit quod die iovis fuerunt octo dies a quibusdam gravaminibus appellavit, prout in cedula etc., persistendo in dicta appellacione, requisivit apostolos sibi dari etc., protestando quod pendente huiusmodi appellacione nichil innovetur; de quibus peciit instrumentum. Omnibus premissis adhesit prefatus dominus prepositus, petens a me notario similiter instrumentum.

Dominus Franciscus nomine domini Lausanensis protestatus est, quod propter huiusmodi protestacionem factam per partem adversam non

[a]) Dampno martino *R.* [b]) Albertus Auclou *R.* [c]) eisdem locis *R.*
[d]) prius *R.*

omittatur, quominus deliberaciones sacri concilii super hoc habite et decreta sacrorum Constanciensis et huius conciliorum debite execucioni demandentur.

Reverendissimus pater dominus cardinalis legatus respondit, quod super hoc domini de dicta deputacione pro communibus vellent deliberare, presentibus domino archiepiscopo Lugdunensi, Cumano episcopo, abbatibus de Dompnomartino[a] et de Prulliaco, Johanne Pulcripatris, Henrrico auditore et Symone Freron.

Ad adeundum dominum imperatorem et principes Germanie pro succursu civitatis Pizne[b] et facto Bohemorum fuerunt deputati episcopi Rozensis[c] et Lausanensis.

Dominus[d] archiepiscopus Treuerensis personaliter accedens ad deputacionem proposuit, qualiter ipse et adversarius[e] citati sunt ad veniendum ad sacrum concilium; propter quod personaliter comparebat, requirens quod benigne nomine ipsius audiretur dominus Symon de Theramo. Qui inter cetera requisivit, quod processus alias fulminati locum haberent, et alia dixit, prout in supplicacione continetur.

Pro presidente fuit electus dominus Petrus de Corduba pro mense februarii.

Pro duodecim fuerunt nominati domini abbas S. Honorati, dominus Johannes de Hungaria et Franciscus de Bossis continuatus.

Pro custodia clavis fuit electus dominus Gerardus de Columpna.

Domini Lausanensis et Rozensis episcopi suam de gestis per eos et alios dominos deputatos erga regiam maiestatem, videlicet de subsidio imponendo supra principes et communitates, super facto Bohemorum etc., fecerunt relacionem, quodque dominus imperator debet feria secunda proxima sacro concilio respondere.

Deputacio[d] pacis retulit deliberasse, quod domini presidens generalis et alii sacrarum deputacionum presidentes possint observare terminos in causa dominorum contendencium de ecclesia Treuerensi usque ad sentenciam diffinitivam exclusive, ita tamen quod hoc intimetur in valvis ecclesie et fiat relacio per eosdem dominos presidentes in generali congregacione.

Super requesta civis Biterrensis placuit, quod prima signatura apposita in alia requesta suum sorciatur effectum et sufficiat sibi.

Quo ad requestam domini Ayquelini de Vinhali electi in priorem hospitalis S. Jacobi Burdegalensis placuit, quod committatur domino archiepiscopo Burdegalensi[f], qui recepta a supplicante professione per fratres hospitalis emitti[g] consueta, auctoritate sacri concilii supplicanti provideat ut petitur.

[a]) Dampno martino *R.* [b]) Piltzne *R.* [c]) Rosensis *R.* [d]) *ebenso im Cod. Ottobon. 2745 f. 246b.* [e]) *wiederholt, P.* [f]) plac.—Burd. *fehlt, R.* [g]) eunti *R.*

Quo ad requestam domini electi Gurcensis placuit, quod dentur iudices, qui vocatis partibus iusticiam faciant.

Quo[a] ad requestam Rabani archiepiscopi Treuerensis placuit, quod dominus cardinalis legatus presidens generalis et alii sacrarum deputacionum presidentes audiant terminos in huiusmodi causa usque ad proximam generalem congregacionem, in qua debeant dari iudices in causa.

Ad rogandum dominos ambassiatores contendentes de sessionibus, ut velint supersedere de non veniendo etc. usque ad XV dies sine preiudicio iuris utriusque partis, fuerunt deputati domini Pargamensis[b] et Cumanus episcopi et abbas de Prulliaco.

Super facto appellacionis procuratoris domini ducis Sabaudie et electi et capituli Lausanensium visum fuit dominis de deputacione pro communibus, quod a concilio non est appellandum nec a deputacionibus, quia ut consiliarii consilium dederunt.

PR] Die dominica ultima ianuarii M°iiij°xxxiiij° domini Tarentinus archiepiscopus et episcopus Ceruiensis, ambassiatores domini nostri pape, intraverunt civitatem[c] et transivit sibi obviam dominus imperator et quamplures alii.

PR] Die lune prima februarii in deputacione pro communibus in materia fratris Johannis de Nursia ordinis S. Johannis Jherosolimitani propter abusus detenti etc. placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis S. Petri ad vincula unicus iudex in huiusmodi causa habeat eligere sibi collegam Germanum quem voluerit, qui coniunctim in huiusmodi causa procedant et iusticiam faciant.

Lecti fuerunt articuli de modo vivendi et procedendi in concilio.

Super primo[d] avisamento dominorum de duodecim, concernente provisionem notariorum sacri concilii etc., placuit quod reverendissimus dominus cardinalis legatus vel domini de duodecim videant de provisione eis fienda et de modo et referant.

Quo ad secundum articulum de negociis sacri concilii, super quibus dati sunt deputati, placuit quod moneantur domini deputati, ut diligenter circa negocia[e] sibi commissa vacent et que super hoc fecerint referant, et quod quilibet presidens cuiuslibet deputacionis prefigat terminum dictis deputatis ad referendum.

Quo ad incorporatos deformiter incedentes etc. placuit, quod per promotores premoneantur, ut honeste incedant iuxta formam articulorum

[a]) *ebenso im Cod. Ottobon.* [b]) Pergamensis *R.* [c]) *das weitere fehlt, R.* [d]) quo *R.* [e]) huiusmodi neg. *R.*

de modo vivendi, et si sic premoniti non se emendaverint, secrete per dominum cardinalem legatum corrigantur.

Deputacio reformatorii deliberavit super peticione promoti Gurcensis etc.: deputatus est dominus Turonensis, qui unacum domino cardinali Bononiensi et deputandis per alias deputaciones habeant potestatem decernendi sibi monitorium cum prefixione termini, si et in quantum eis videbitur.

Placuit quod domini Laudensis et Lubicensis habeant[a)] vocare omnes notarios iudicum et investigare, an dicti iudices a dictis notariis aliquid recipiant, et referant[b)].

De facto soldani informet se dominus Henricus auditor et referat.

PR] Die martis die Purificacionis beate Marie II[a] februarii fuit missa solemnis in choro ecclesie, celebravit missam dominus archiepiscopus Rothomagensis, fecit sermonem episcopus Misnensis de Germania.

PR] Die eadem post meridiem hora tercia in refectorio conventus fratrum Minorum fuit congregacio dominorum cardinalium patriarcharum archiepiscoporum episcoporum abbatum et dominorum de sacro concilio, in qua domini ambassiatores domini nostri pape exhibuerunt bullas adhesionis et revocacionis aliarum bullarum etc. Et lectis per magistrum Nicolaum Amici dictis bullis, dominus cardinalis legatus respondit, quod de congregacione generali celebranda, in qua deberent publice legi dicte bulle, die crastina deputaciones singule deberent deliberare.

Similiter de sessionibus dominorum contendencium.

PR] Die mercurii III[a] februarii M°iiij^{C}xxxiiij° in deputacione pro communibus domini ambassiatores[c)] domini ducis Burgundie per organum domini Gasparis requisiverunt instanter dominos de sacra deputacione, quod in materia sedium dignarentur taliter laborare, quod ad sedes suas reponerentur. Quibus peractis pro parte dicte deputacionis per dominum presidentem fuerunt dicti ambassiatores instanter requisiti, quatenus attenta adhesione sanctissimi domini nostri diu optata vellent supersedere a veniendo ad congregaciones usque ad XV dies ad evitandum scandalum. Super quo fuit responsum pro parte dictorum dominorum ambassiatorum, quod pro parte domini sui nullomodo orietur scandalum.

Fuit relatum pro parte deputacionis pacis, quod ipsa deliberavit ut die veneris proxima teneatur sessio et domini prelati cum habitibus mittris et paramentis intersint, sicut est fieri consuetum, et lectis litteris

[a)] quod dominus Lubicensis habeat *R.* [b)] referat *R.* [c)] dom. amb. *wiederholt, P.*

adhesionis fiat omnis solemnitas, que fieri poterit, eciam cum decantacione „Te Deum laudamus“ et pulsu omnium campanarum civitatis; quodque dominus presidens recipiat bullam adhesionis et faciat fieri multa transumpta, deturque omnibus habere volentibus sumptum sub bulla concilii. Et si ambassiatores dominorum ducis Burgundie et electorum imperii interesse velint in huiusmodi sessione, quilibet in loco suo non ut ambassiator sedeat et laici cum domino imperatore ad partem intersint. Preterea mandetur per concilium ipsis ambassiatoribus clericis sub pena privacionis et inhabilitacionis et laicis sub pena sentencie late, ne aliquam molestiam concilio inferant sive scandalum faciant.

Placuit deputacioni de reformatorio, quod die crastina fiat congregacio generalis more solito, in qua audiantur proposicio per ambassiatores domini nostri pape facienda et bulla adhesionis. Quibus auditis scrutentur vota, an satisfecerit decreto; sequenti deliberetur super responsione per sacrum concilium fienda, et quod die veneris in sessione publica fiat declaracio, quomodo acceptatur[a] adhesio.

In deputacione pro communibus quo ad congregacionem generalem tenendam, in qua audiantur ambassiatores domini nostri pape, similiter etc., placuit quod die crastina fiat congregacio generalis, in qua plene audiantur prefati domini ambassiatores. Similiter legatur bulla adhesionis. Quibus auditis deputaciones singule habeant deliberare, an dominus noster papa satisfecit decreto sacri concilii vel non. Et si satisfecerit, celebretur die sabbati sessio, in qua declaretur eum satisfecisse decretis et pro graciarum actione Altissimo referenda decantetur „Te Deum laudamus“ etc. cum processione generali et missa de Sancto Spiritu. Et quod quilibet volens habere bullam adhesionis, habeat sub bulla concilii.

Quo ad negocium dominorum contendencium de sedibus etc. placuit, quod requirantur partes hincinde, ut velint abstinere per XV dies a veniendo ad congregaciones, et si noluerint acquiescere, precipiatur sub penis ut abstineant; quodque si ambassiatores electorum pecierint apostolos, dominus legatus habeat prorogare terminum usque ad dictos XV dies, et medio tempore tractetur de concordia, si possit fieri, et si non, fiat iusticia.

Placuit quod bulle, super quibus deputaciones iam deliberarunt, expediantur per cancellariam.

Ad concordandum deputaciones et conveniendum cum domino cardinali legato et deputatis aliarum deputacionum fuerunt electi domini patriarcha, Lugdunensis Pargamensis[b] et Cumanus episcopi[c].

[a]) attemptatur *R*. [b]) Pergamensis *R*. [c]) episcopus *P*.

PR] Eadem die post meridiem in domo domini cardinalis legati fuit facta forma inhibicionis fiende dominis ambassiatoribus contendentibus de sedibus etc.

PR] Die iovis IIII[a] februarii M°iiij[C]xxxiiij° in ecclesia cathedrali Basiliensi fuit congregacio generalis, in qua interfuerunt reverendissimi domini cardinales legatus presidens, Bononiensis Placentinus Rothomagensis, S. Petri ad vincula, S. Eustacii et Firmanus cardinales[a)], Alexandrinus Anthiocenus et Aquilegiensis patriarche, Lugdunensis Bituricensis Turonensis et Rothomagensis archiepiscopi et quamplures episcopi abbates doctores et magistri in magna multitudine etc.[b)] In quaquidem congregacione comparuerunt domini archiepiscopus Tarentinus et episcopus Ceruiensis et abbas S. Justine ambassiatores domini nostri pape, quos in ingressu et regressu associavit dominus imperator.

Qui domini ambassiatores et presertim domini Tarentinus archiepiscopus et episcopus Ceruiensis ambonem ascendentes exhibuerunt et produxerunt bullam credencialem in personas ipsorum dominorum archiepiscopi Tarentini et episcopi Ceruiensis. Quamquidem credenciam idem dominus Tarentinus exposuit sub theumate „nemo“ [c)].

Et tandem presentavit bullam adhesionis,[1] que lecta fuit de verbo ad verbum per organum magistri Nicolai Amici procuratoris fidei.

Deinde dominus Andreas Donato miles Venetus et ambassiator illustris dominii Venetorum presentavit litteras credenciales in personam suam et aliorum suorum coambassiatorum. Quibus lectis idem dominus Andreas credenciam suam exposuit in vulgari ytalico.

Quibus sic peractis dominus cardinalis legatus presidens sacri concilii nomine eiusdem sacri concilii regraciatus est omnipotenti Deo, sanctissimo domino nostro et suis ambassiatoribus necnon illustri dominio Venetorum et eius ambassiatoribus et presertim dicto domino Andree Donato.

Postmodum surrexit in medium dominus Rabanus archiepiscopus Treuerensis, satisfaciendo termino citacionis, accusavit contumaciam partis non comparentis etc. Dominus Nicolaus de Cusa[d)] peciit audienciam.

Lecta forma decreti acceptacionis bulle adhesionis domini nostri pape, fuit conclusum quod hodie fierent deputaciones et super ea deliberetur et de sero fieret iterum congregacio generalis.

[a)] *fehlt, R.* [b)] in—etc. *fehlt, R.* [c)] *eine Zeile leer, P;* Nemo etc. *R.* [d)] Cosz *P.*

[1] *s. das Dekret der 16. Session.*

P] Eadem die post meridiem hora III[a] fuerunt deputaciones, et in deputacione pro communibus, lecta forma huiusmodi decreti et scrutatis votis, placuit forma et materia.

Item placuit quod avisaretur serenissimus imperator, quod mandaret omnibus archiepiscopis et episcopis Almanie presentibus in concilio, quod die crastina venirent ad congregacionem sessionis publice in habitibus suis pontificalibus et sederent cum aliis dominis patribus sacri concilii iuxta suam vocacionem.

PR] Eadem die de sero fuit congregacio generalis, et lecta forma decreti, placuit et fuit conclusum quod die crastina veneris fieret sessio generalis, in qua huiusmodi decretum pronunciaretur.

Dominus Nicolaus de Cusa[a)], associatus pluribus nobilibus et aliis civibus de dominio temporali ecclesie Treuerensis, requisivit quod daretur salvusconductus domino electo Treuerensi, qui habito huiusmodi salvoconductu paratus erat venire personaliter. Super quo deputaciones debent deliberare.

PR] Eadem die domini deputati ad examinandum causas admiserunt ad incorporacionem pro et nomine domini abbatis monasterii Sauilliani dominum Johannem Albaneti priorem de Ladis Magalonensis diocesis ordinis canonicorum regularium etc.

PR] Die veneris quinta mensis februarii M°iiij^{C}xxxiiij° fuit celebrata huius sacri concilii XVI[a] sessio[b)] in ecclesia maiori Basiliensi hoc modo, videlicet processione generali premissa, in qua fuerunt domini prelati in mittris planis et pluvialibus et dominus imperator in habitu imperiali retrocedens, et processione regressa ad maiorem ecclesiam, fuit missa de Sancto Spiritu celebrata per dominum cardinalem Bononiensem. Deinde missa finita et suffragiis consuetis in talibus necnon evangelio secundum Johannem „Ego sum pastor bonus“[1] et hympno „Veni creator Spiritus“ cum versiculo et collecta dictis, reverendus pater dominus episcopus Lectorensis ascendit ambonem et de mandato sacri concilii legit decretum admissionis et acceptacionis adhesionis domini nostri pape sacro concilio unacum toto tenore prime bulle adhesionis et revocacionis trium bullarum. Placuit tamen quod huiusmodi tres bulle haberentur pro lectis, quia heri in congregacione generali de verbo ad verbum fuerant lecte. Quibus sic actis promotores de gestis in dicta sessione pecierunt instrumentum et instrumenta, presentibus dominis imperatore in habitu imperiali,

[a)] Cosera *P.* [b)] XV. sessio *R.*

[1] *Joh. 10, 11.*

marchione Brandeburgensi septrum, duce Guillermo[a)] mundum et quodam milite gladium tenentibus. Postmodum propter felicia nova adhesionis huiusmodi fuit decantatum cum solemnitate „Te Deum laudamus“ cum versiculo et collecta etc.[1]

P] Die sabbati sexta februarii M°iiij^{C}xxxiiij° in deputacione pro communibus, presidente domino Petro de Corduba.

Quo ad gravamina per cives sacro concilio et eius suppositis illata placuit, quod dentur deputati qui componant articulos, super quibus gravantur supposita sacri concilii, et eos articulos deferant ad serenissimum dominum imperatorem et deinde ad cives, ut super hoc provideant; et nulla fiat mencio de mutacione loci. Et ad premissa fuerunt deputati domini Lugdunensis Pergamensis Lubicensis et Lausanensis episcopi.

PR] Die lune VIII[a] februarii M°iiij^{C}xxxiiij° in congregacione generali fuerunt lecte littere domini regis Scocie[b)], similiter mandatum sufficiens suorum ambassiatorum et cleri regni eiusdem. Et facta collacione et exhortacione ad illa tria etc. sub theumate „Surge et illuminare, Jherusalem“[2] per dominum episcopum Glasguensem et regraciacione facta per dominum cardinalem legatum et presidentem, fuerunt incorporati prefati dominus episcopus Glasguensis, magister Johannes Thome[c)] de Melios, Nicolaus de Atholia[d)] precentor[e)], Thomas de Myrtoen decanus ecclesie Glasguensis et Patricius archidiaconus Glasguensis[f)], Petrus et[e)] Donaldus[g)] Machuacen decanus ecclesie Dunkeldensis[h)] decretorum doctores[i)], Johannes Magilheuch prepositus ecclesie de Lingloden[k)] et Dauid Kadiee[l)] precentor ecclesie Glasguensis[m)], vicarius episcopi Foronensis[n)], Guillermus Croysier[o)] archidiaconus Demdalis[p)] in ecclesia Glasguensi.

Dominus episcopus Laudensis de gestis per eum nomine sacri concilii apud dominos electores et regem Anglie suam ad longum fecit relacionem, infra quam fuerunt lecte littere domini regis Anglie, qui spopondit mittere ambassiatores ad concilium. De quibus per dominum legatum nomine concilii sibi est regraciatum.

Lecte fuerunt littere ambassiatorum concilii missorum ad Grecos scripte Constantinopoli, per quas intimant concilio, Grecos cum ipsis venturos.

Lecte fuerunt littere domini auditoris domini legati de gestis per eos in Bohemia.

[a)] Wylhelmo *R.* [b)] Francie *R.* [c)] Thers *R.* [d)] Athelia *R.* [e)] *fehlt, R.* [f)] Thomas—Glasg. *R am Schluss des Absatzes.* [g)] Dircaldus *P*, Dorcaldus *R.* [h)] Dinlieri *P*, Dintled. *R.* [i)] doctor *R.* [k)] Linglodern *R.* [l)] Kradice *R.* [m)] Glasg. episcopus *P.* [n)] Fironensis *R.* [o)] Croyfert *R.* [p)] de uidalis *P*, Cydolis *R.*

[1] *folgt in R f. 294b das Dekret. Mansi, 29, 78. M. C. 2, 564.* [2] *Js. 60, 1.*

Lecte sunt littere misse per sex dominos de Bohemia domino imperatori.

Postmodum lecte fuerunt littere domini cardinalis de Cipro.

Quo ad semidecimam iam per deputaciones conclusam placuit, quod huiusmodi semidecima universaliter imponatur.

Sacra synodus pro neccessitatibus universalis ecclesie imponit semidecimam super omnibus fructibus beneficiorum ecclesiasticorum, ita quod quilibet habeat opcionem solvendi secundum taxam aut de viginti unum, iuxta deliberaciones deputacionum etc.

Item placuit quod fiant littere opportune dande collectoribus deputatis vel deputandis pro huiusmodi semidecima levanda etc.

Ad adeundum dominum imperatorem super expedicione civitatis Pizne [a] et de provisione pecuniarum etc. fuerunt deputati pro communibus domini legatus [b], patriarcha Aquilegiensis, archiepiscopus Lugdunensis, pro pace Auxitanus Gebennensis Augustensis, pro fide Papiensis Aurelianensis et Diensis [c], pro reformatorio domini Turonensis Ebroicensis et Gurcensis.

In causa Ebresperg [d] placuit, quod patriarcha Anthiocenus audiat huiusmodi causam, procedat in eadem et iusticiam faciat, prout petitur in supplicacione.

P] Die iovis XI[a] februarii in deputacione pro communibus in domo domini legati abbas in Combergh Herbipolensis diocesis obtinuit licenciam recedendi.

Super primo avisamento dominorum de duodecim, concernente religiosos examinandos per deputatos, an debeant admitti ad incorporacionem etc., placuit huiusmodi avisamentum deputatique similiter nominati in eodem, quodque pro ordine Cluniacensi fuit nominatus abbas S. Honorati, vicarius Cluniacensis et prior Maiorismonasterii, pro ordine Premonstratensi abbas de Dompnomartino et pro ordine S. Augustini canonicorum regularium dentur deputati.

Quo ad secundum avisamentum, concernens quod fiat debita informacio de incorporandis, an sint sentenciis et censuris innodati etc., placuit huiusmodi avisamentum in forma.

Super tercio avisamento, quod non expediantur graves materie ita repente, sed remittantur ad sequentem deputacionem, placuit eciam avisamentum in forma.

[a]) Piltzne *R.* [b]) dom. leg. *fehlt, R.* [c]) Idiensis *P, statt* et Diensis. [d]) Obresperg *R.*

Super quarto, concernente admittendos ad incorporacionem, placuit avisamentum in forma.

Quo ad notarios placuit, quod singuli notarii scribentes coram iudicibus habeant singulis mensibus dare unum florenum pro oneribus supportandis notariorum concilii.

Quo ad formam decreti de concubinariis placuit, quod detur copia eiusdem habere volentibus, et veniant domini die sabbati proxima deliberati.

Super requesta promoti ad ecclesiam Gurcensem placuit, ut alias, quod dentur iudices, qui vocatis partibus procedant in causa et iusticiam faciant. Et pro deputacione de communibus in hac causa cum deputandis fuit deputatus iudex dominus Petrus Corserii ambassiator domini comitis Arminiaci.

Quo ad requestam domini Francorum regis, concernentem dominum archiepiscopum Tholosanum etc., placuit contemplacione etc., quod habeatur excusatus a comparendo in hoc sacro concilio usque ad festum Pasche, et inte[r]im absolvatur a quibuscunque sentenciis, eciam sub pena reincidencie, nisi comparuerit.

PR] Die veneris XII[a] februarii M°iiij[C]xxxiiij° in congregacione generali fuerunt incorporati episcopus Archadiensis [a], archiepiscopus Cretensis, episcopus Vincensis, abbas S. Gregorii de Veneciis [b], abbas S. Marie de Verona, abbas Neruiesie [c] Teruisiensis [d] diocesis, magister Johannes de Vitriaco [e] canonicus Remensis, magister Petrus Textoris licenciatus in decretis cappellanus [f] S. Petri Basiliensis procurator episcopi Lauentini.

Lecte fuerunt littere domini archiepiscopi Saltzeburgensis [g], concernentes quendam processum per appellacionem pendentem coram domino Petro de Corduba [h]. Hec materia remissa est ad deputaciones deliberanda.

Lectis deliberacionibus singularum deputacionum in materia promoti ecclesie Gurcensis, fuit conclusum quod in deputacionibus plenius deliberetur.

Propositis [i] hincinde in causa ecclesie Treuerensis motivis [k] et racionibus et accusata contumacia per officialem Basiliensem promotorem parcium [l] hincinde, decanus S. Paulini extra muros Treuerenses pro et

[a]) Archadensis *R.* [b]) Beret *R.* [c]) Nermesie *R.* [d]) Luisiensis *R.* [e]) Victrins *R.* [f]) canonicus *statt* lic.—cap. *R.* [g]) Sezeburgensis *P.* [h]) Cordula *R.* [i]) *dieser und der folgende Absatz auch im Cod. Ottobon. l. c.* [k]) motis *P.* [l]) procur. *P.*

nomine cleri et populi civitatis Treuerensis cum mandato sufficienti, ut asseruit, comparuit et dixit, supradictos adherere domino R[abano], et[a] requisivit, quod dominus Vlricus electus declararetur incidisse penas in mandato concilii contentas.

Dominus Rabanus archiepiscopus personaliter comparuit et hoc idem requisivit.[b]

Hanc eandem requestam fecit officialis Basiliensis.

Dominus Nicolaus de Cusa[c] pro parte domini Vlrici, attento quod non constat de citacionibus vel earum execucionibus, requisivit quod daretur per sacrum concilium salvusconductus domino electo, nam dominus eorum paratus erit venire, et ipso existente in concilio procedatur in causa via iuris.

Super[d] qua controversia dominorum contendencium de ecclesia Treuerensi sancta synodus Basiliensis conclusit, quod detur salvusconductus ex parte sacri concilii domino Vlrico electo etc. et eidem adherentibus, duraturus per XV dies computandos a tempore sibi presentati salviconductus, et quod possit in concilio stare per alios decem dies et deinde reverti. Item quod littere huiusmodi salviconductus dentur istis suis adherentibus, qui prosequntur dictum salvumconductum, qui infra decem dies a die quo fuerit eis qui sunt hic in concilio presentatus, debeant illum misisse eidem domino Vlrico, quibus decem diebus elapsis incipiat principium illorum XV dierum. Quod si dictus dominus Vlricus venerit ante finem XV dierum, residuum dictorum XV dierum simul cum decem diebus cedant sibi in salvumconductum ad morandum hic. Item medio tempore inhibeatur sibi et suis per litteras concilii via facti. Si vero dictus dominus Vlricus personaliter infra dictum terminum XV dierum non venerit, exnunc prout extunc dicta sancta synodus, constito prius legitime de citacione et eius execucione contra partes hincinde facta, eundem dominum Vlricum reputat contumacem etc.

Lecta ordinacione dominorum deputatorum per sacrum concilium super controversia inter ambassiatores universitatum Andegauensis et Auinionensis et scrutatis generaliter votis dominorum, sancta synodus conclusit, ambassiatores universitatis Andegauensis iuxta ordinacionem dictorum dominorum deputatorum precedere debere in sessionibus, generalibus congregacionibus et aliis solemnibus actibus sacri concilii ambassiatores universitatis Auinionensis. Et exnunc de mandato sacri concilii fuit assignatus locus in dicta congregacione generali domino scolastico Andegauensi tanquam ambassiatori universitatis Andegauensis

[a]) dixit –et *fehlt, ROtt.* [b]) tunc comparuit etc. *Ott.* [c]) Cosera *P.*
[d]) *dieser und der folgende Absatz in R am Schluss der Sitzung.*

ante ambassiatores universitatis Auinionensis, sicuti habuerunt in concilio Constanciensi, quem locum sic assignatum ipse dominus scolasticus nomine ambassiatorio quo supra recepit et acceptavit. De quibus ipse dominus scolasticus peciit a nobis notariis sibi fieri unum et plura instrumenta etc.

Lecta ordinacione dominorum deputatorum per sacrum concilium super controversia inter ambassiatores universitatum Auinionensis et Andegauensis super sessionibus, de huiusmodi lectura dominus scolasticus Andegauensis, requirens primo iuxta ordinacionem ad sedes poni etc., de quibus peciit instrumentum.

Placuit et fuit conclusum, quod iuxta huiusmodi deliberacionem sancta synodus mandat, quod execucioni demandetur ordinacio, quod[a] ambassiatores universitatis Andegauensis preferantur et exnunc fuit inductus etc. Procurator fiscalis et Johannes Helpsen, inquantum preiudicaret universitati Auinionensi, contradixit, pecierunt instrumentum et unus alius, eciam promotores pecierunt instrumentum[b].

Super controversia inter contendentes de sedibus fuit conclusum, quod deputaciones primo deliberent[c] die crastina.

In causa renunciacionis ecclesie Bremensis, lectis deliberacionibus sacrarum deputacionum et facta relacione per dominum cardinalem legatum de processu coram eo agitato, placuit quod de singulis deputacionibus dentur duo deputati, qui simul videant de provisione fienda cum potestate concludendi in materia etc.

Prefati domini deputati, vocatis vocandis et visis videndis, prouideant in materia Gurcensi.

P] Eadem die dominus Petrus de Trillia substituit procuratorem loco sui Johannem de Trillia pro et nomine domini episcopi Lodouensis et omnium quorum est procurator, coram domino legato in domo, presentibus etc.

PR] Eadem die coram domino cardinali legato Johannes de Trillia in decretis baccallarius concilio more solito fuit incorporatus, presentibus domino Ademaro promotore et Henrrico cubiculario etc.

P] Die sabbati XIII[a] februarii in deputacione pro communibus in domo domini cardinalis legati.

[a]) sancta—quod *fehlt, R.* [b]) eciam—instr. *fehlt, R.* [c]) *folgt* promotores pecierunt instrumentum *R.*

Placuit quod domini deputati ad componendum formam decreti de symonia et concubinariis conveniant die lune hora III[a] post meridiem in domo domini cardinalis legati etc[a)].

Dominus abbas de Dompnomartino requisivit, quod in materia sedium domini non vellent deliberare, nisi prius auditis ambassiatoribus domini ducis Burgundie.

Domini ambassiatores domini ducis Burgundie per organum domini Gasparis requisiverunt dominos de sacra deputacione, quod in materia ipsius domini ducis Burgundie racione sedium etc. vellent taliter deliberare, quod honor sacri concilii et eiusdem domini ducis observetur.

Pro parte reformacionis intimatum est, quod ad videndum et examinandum bullas domini nostri pape super presidencia[1] fuerunt deputati patriarcha Anthiocenus, archiepiscopus Turonensis, episcopus Gadicensis, episcopus Ebroicensis, abbas de Scocia et magister Dyonisius de universitate Parisiensi, qui cras conveniant hora III[a] post meridiem in S. Francisco.

Deputacio pacis retulit deliberasse, quod super facto sedium, exceptis ambassiatoribus regum, fiat decretum generale; et ad componendum illud fuerunt deputati domini abbas Conchensis, dominus Petrus de Monte. Item fiat simile preceptum sicut prius partibus hincinde, ut abstineant a congregacionibus.

In deputacione pro communibus:

Super primo avisamento dominorum de duodecim placuit, quod super bullis domini nostri pape concernentibus presidenciam etc. nichil deliberetur, nisi prius presentatis originalibus litteris in congregacione generali.

Quo ad materiam sedium sunt quatuor oppiniones, prima videlicet quod in prima congregacione sedeant ambassiatores dominorum electorum in locis post reges; in secunda congregacione, ambabus partibus absentibus, declaretur ordinacionem concilii non habere locum; in tercia congregacione declaretur, quod ambassiatores electorum sedeant prope imperatorem et ambassiatores domini ducis Burgundie immediate post reges.

Secunda oppinio fuit quod domini archiepiscopi electores sedeant iuxta suam promocionem, tamen in hoc decreto excludantur reges.

a) *hiernach etwas begonnen und wieder gestrichen, nicht mehr lesbar, P.*

1 *s. u. S. 28.*

Quarta oppinio fuit quod tractetur concordia, si fieri possit, alioquin fiat iusticia.

Quo ad decretum concubinariorum placuit, quod domini deputati conveniant iterum die lune cum domino cardinali legato, et apponatur in decreto pena privacionis ipso facto, que habeat comprehendere prelatos maiores et minores publice concubinarios, quodque fiat mencio de filiis presbiterorum expellendis etc.

Quo ad materias concernentes archiepiscopatum Bremensem et quandam c[aus]am prophanam petitam remitti ad curiam archiepiscopi Salzeburgensis, cum reverendissimo domino cardinali legato et deputatis aliarum deputacionum fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis et Pargamensis episcopus, qui provideant super hoc prout eis videbitur.

PR] Die dominica XIIII[a] februarii regressi sunt de Bohemia ambassiatores sacri concilii et cum eis magister Martinus socius Johannis de Rokisana.

PR] Die lune XV[a] februarii M°iiij°xxxiiij° fuit congregacio generalis, in qua fuerunt incorporati domini episcopus Eistetensis, episcopus Sabatensis, Johannes Jaer[a], Ludouicus rector ecclesie de Budirsa[b], magister Johannes de Eib[c] canonicus Eistetensis licenciatus in decretis.

Domini episcopus Constanciensis, auditor domini legati et Henricus Tock[d], redeuntes de Bohemia, per organum ipsius domini auditoris sub themate „De magnis periculis a Deo manifeste[e] liberati, maiestati sue maximas graciarum actiones referunt“[1], de gestis per eos in Bohemia nomine sacri concilii ad longum suam fecerunt relacionem. Dixit inter cetera, quod multi de regno iam professi sunt unitatem sancte matris ecclesie. Exhortatus est dominus proponens sacrum concilium, ut diligenter circa reformacionem intendere velit.

Facta relacione huiusmodi, lecte fuerunt littere civium Piznensium[f] misse dominis ambassiatoribus sacri concilii, in quibus tenor litterarum missarum baronibus et communitatibus regni Bohemie insertus est, per quas rogant supradictos pro succursu eiusdem civitatis Pisne[f] obsesse, pro cuius succursu prefati domini ambassiatores summe exhortati sunt sacrum concilium.

[a]) Jatz *R.* [b]) Budiasa (?) *P*, Ludosio *R.* [c]) Cib *P*, Edo *R.* [d]) Stok *P.* [e]) magnifice *P.* [f]) Piszne *R.*

[1] *2. Macc. 1, 11.*

Regraciacione facta per dominum cardinalem legatum prefatis dominis ambassiatoribus de laboribus per eos assumptis, placuit quod domini nuper deputati ad adeundum dominum imperatorem pro succursu Pizne[a)] et provisione pecuniarum unacum dictis dominis cardinalibus hodie hora tercia post meridiem conveniant in S. Francisco ad audiendum magistrum Martinum Bohemum et eius collegam et videndum de modo expedicionis eorundem et de provisione sive succursu dando civitati Pizne[a)].

Facta brevi collacione per dominum archiepiscopum Tarentinum, domini ambassiatores domini nostri pape, videlicet ipse dominus Tarentinus, episcopus Paduanus[b)] et abbas S. Justine presentaverunt tres bullas, primam concernentem facultatem presidendi in concilio datam dominis cardinalibus de Vrsinis, de Fuxo, S. Crucis et Angeloto[c)] S. Marci. Secundam concernentem facultatem concessam domino cardinali legato. Terciam concernentem facultatem concessam presidendi dominis archiepiscopo Tarentino, episcopo Paduano et abbati S. Justine. Quibus tribus bullis lectis[1], placuit quod detur copia habere volentibus, et die crastina deliberent deputaciones.

PR] Die martis XVI[a] februarii M°iiij^{C}xxxiiij° in congregacione generali Fructusmontis procurator domini archiepiscopi Bremensis exhibuit supplicacionem, per quam peciit causam appellacionis committi. Super quo fuit responsum, quod super hoc dati sunt deputati, coram quibus poterunt advocati et procuratores proponere quicquid proponere voluerint. De quibus etc.

Martinus[d)] de Bohemia, collega Johannis de Rokisana, habuit audienciam et inter cetera proposuit sub themate: „Benigne fac, Domine, in bona voluntate sua Syon, ut edificentur[e)] muri Jherusalem; tunc acceptabis sacrificium iusticie, oblaciones“ etc.[2]

Lectis tribus litteris pro parte gubernatoris regni Bohemie credencialibus,[3] ipse dominus Martinus in scriptis legit tractatus habitos inter dominos ambassiatores sacri concilii et Bohemos super quatuor articulis per Bohemos alias sacro concilio oblatis.

Peciit finaliter, ut pax et unio firmetur, quod communio sub utraque specie in regno et marchionatu ab omnibus observetur.

[a)] Piltzne *R.* [b)] Paudanus R. [c)] Angeloti et *R*, Angeloti *P.* [d)] Dominus Matheus *P.* [e)] iustificentur *R.*

[1] *Mansi 29, 575 ff. M. C. 2, 602 ff.* [2] *Ps. 50, 20.* [3] *Mansi 30, 821.*

Postmodum hiis peractis, domini episcopus Constanciensis, Johannes de Polomar auditor, Henricus Tok et dominus Martinus Berruerii[a] per organum domini auditoris narraverunt totum processum et omnes difficultates habitas in ista materia et responsiones super hoc factas, necnon quod audiverunt pro vero in Bohemia, quod aliqui presbiteri portantes quibusdam infirmis corpus Christi sub specie sanguinis, cum venissent ad domos infirmorum, nichil invenissent in calice.

Narravit eciam dominus auditor promissiones super eisdem capitulis concordatis execucioni demandandis[b] per presbiteros yconomos barones etc. regni Bohemie et marchionatus Morauie eisdem ambassiatoribus sacri concilii factas, eciam per manuum stipulacionem, ante recessum magistri Martini Berruerii a Pragha[c], ipso domino Martino Bohemo replicante. Et primo super eo, quod audiverat a domino auditore de presbiteris portantibus corpus Christi sub specie vini, respondit quod nunquam hoc audivit accidisse in partibus suis. Super stipulacione dixit quod aliqui dictorum presbiterorum inviti hanc stipulacionem fecerunt. Dixit quod bene erat verum, quod quidam inviti faciebant se dicentes[d] habentes mandatum a supradictis, ut yconomi fecerunt.

Hiis peractis dominus cardinalis legatus dixit, quod quia semper fuit mos, dum hec materia tractabatur, quod esset bonum, ut ipse dominus Martinus ea, que dixit, daret in scriptis. Qui respondit quod de hiis omnibus, que dixit, domini ambassiatores sacri concilii habent copiam etc.

Dominus episcopus Curiensis[e] excusavit dominum pie memorie dominum regem Bohemie, asserens quod usque ad mortem communicavit sub una specie tantum.

Dominus Johannes Celi proposuit, qualiter dominus Martinus in sua proposicione iunxit cum regno Bohemie marchionatum Morauie, in quo petit quod[f] communio observetur in marchionatu sub utraque specie. Dixit ipse dominus Johannes nomine domini ducis Alberti domini marchionatus, quod ipse dominus dux et subditi sui semper fuerunt veri catholici et ritum sancte matris ecclesie observaverunt et per Dei graciam observabunt.

Dominus cardinalis legatus rogavit, ut nacio Gallicana vellet convenire pro levandis tribus milibus florenorum pro succcursu civitatis Pizne[g].

P] Die mercurii XVII[a] februarii in deputacione pro communibus in maiori stupha ad examinandum tractatus factos inter dominos ambassia-

[a]) Baruerii *R.* [b]) exemplum demandandum *R.* [c]) Praga *R.* [d]) sed tamen *R*, *statt* se dicentes. [e]) Cumanus *R.* [f]) quo *P.* [g]) Pilzne *R.*

tores sacri concilii et Bohemos et de responsione danda domino Martino de Bohemia fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis, Laudensis et Constanciensis, Henrricus auditor, Pulcripatris et provincialis Lombardie.

Ad examinandum bullas super presidencia ambassiatorum domini nostri pape et videndum de responsione danda domino Martino Bohemo et referendum in deputacionibus fuerunt deputati domini patriarcha Aquilegiensis, archiepiscopus Lugdunensis, episcopi Constanciensis et Laudensis, Johannes Pulcripatris, Henrricus auditor, provincialis Lombardie et Pascasius de Pino, qui [a] cum reverendissimis dominis cardinalibus conveniant hodie in pulsu tercie hore post meridiem in S. Francisco.

Item quia plures et diverse persone in concilio litigantes ad deffensionem causarum suarum regulis cancellarie indigent [b], placuit quod reverendissimus dominus cardinalis Rothomagensis vicecancellarius partibus eas petentibus in concilio et extra huiusmodi regulas sive constituciones secundum morem Romane curie habeat dare sub sigillo suo, quibus adhibeatur fides plenaria perinde ac si de Romana curia producte et ex libro cancellarie descripte et collacionate fuissent.

Item placuit quod ipse dominus vicecancellarius ter in ebdomada habeat convocare deputatos sacri concilii ad examinandum bullas expediendas in cancellaria, et teneat cancellariam, ut in curia est fieri consuetum.

Item provideat de uno auditore contradictarum.

Quo ad advisamentum dominorum de XII, concernens materiam bulle „Deus novit“ etc., placuit quod mittatur pro honore concilii copia revocacionis huiusmodi bulle sub bulla concilii singulis dominis prelatis ordinariis, qui huiusmodi revocacionem habeant in suis diocesibus facere publicari. Et nichilominus domini theologi et iuriste habeant examinare huiusmodi bullam et extrahere errores, si qui sint, et referant.

Quo ad decretum IIIIe sessionis concilii Constanciensis [1] placuit quod renovetur.

Dominus Henrricus Nythard obtinuit licenciam recedendi.

PR] Die iovis et veneris domini deputati intenderunt [c] circa factum presidencium iuxta bullam pape et de responsione danda magistro Martino ambassiatori Bohemorum.

[a]) qui hodie *P.* [b]) *korr. aus* indigeant *P.* [c]) intendant *R.*

[1] *Mansi 27, 585.*

P] Die sabbati post meridiem in deputacione supplicacio domini Petri de Mena baccallarii in decretis rectoris parrochialis ecclesie S. Saluatoris de Maiorgha Legionensis diocesis, petentis dispensari quod non teneatur promoveri ultra subdiaconatus ordinem etc. residendo in studio vel concilio generali, commissa fuit domino cardinali legato, qui prouideat prout sibi videbitur expedire.

Lecta forma littere composite per dominos deputatos super responsione danda domino Martino nuncio Bohemorum, placuit huiusmodi forma. Nichilominus, si sit aliquid corrigendum, corrigat et addat dominus cardinalis legatus. Nonnulli addunt, quod requirat responsum a Bohemis super eadem.

Quo ad collectores semidecime deputandos die crastina nacio Gallicana deliberabit etc.

PR] Die dominica XXI[a] februarii M°iiij^{C}xxxiiij° fuit missa solemnis in loco sessionis celebrata per dominum episcopum Gracianopolitanum. In qua missa domini ambassiatores domini ducis Burgundie, videlicet abbates S. Eugendi et de Dompnomartino, Johannes de Fruyno[a)], prepositus Lausanensis et Robertus Auclou[b)] possessionem suarum sedium reassumpserunt, nullo contradicente vel reclamante; de quaquidem reassumpcione prefati domini abbates nomine ambassiatorio et Robertus au Clou[c)] nomine procuratorio pecierunt et quilibet eorum peciit a me notario instrumentum etc.

PR] Die lune XXII[a] februarii M°iiij^{C}xxxiiij° post missam solemnem ob reverenciam festi cathedre beati Petri celebratam per dominum episcopum Gebennensem, in qua fecit sermonem quidam doctor Anglicus et interfuerunt prout supra dicti ambassiatores domini ducis Burgundie etc. statim post dominum Jordanum, fuit congregacio generalis, in qua, presentibus Martino presbitero nuncio Bohemorum et collega suo, promotores sacri concilii, dirigentes verba sua ad dictum dominum Martinum, proposuerunt per organum domini officialis Basiliensis alterius promotorum, quod cum alias domini de regno Bohemie sacro concilio diversis vicibus scripserint litteras sub sigillo magno corone regni Bohemie, nunc vero fuerit scriptum sacro concilio per quendam capitaneum illius regni et sub sigillo ignoto, unde domini de sacro concilio magnam haberent suspicionem. Quare rogarunt dicti promotores eundem dominum Martinum, ut dominos de sacro concilio de hoc informare vellet. Quiquidem dominus Martinus in effectu respondit, quod alias, quando misse fuerunt

[a]) de Fruyno *fehlt, R.* [b]) Auclau *R.* [c]) Auclaw *R.*

alie ambassiate, in dicto regno non erat gubernator, nunc vero est electus unus, cuius sigillo cum matura deliberacione regni fuerunt sigillate huiusmodi littere, ne derogaretur honori suo, cui alias, sigillando sigillo corone regni, derogatum fuisset. Quo vero ad hoc quod dixerunt promotores, quod hoc non potest esse sine suspicione, respondit quod hanc suspicionem non possunt aufferre a cordibus ipsorum, tamen de huiusmodi suspicione non stabitur iudicio promotorum.

Dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii et domini de concilio generaliter regraciati sunt magistro civium de Egra de grata recepcione et eciam de urbanitatibus[a)] per Egrenses factis ambassiatoribus sacri concilii, offerendo concilium ad beneplacita eorum etc.

Provincialis Prouincie ordinis Carmelitarum requisivit sacrum concilium, ut dignaretur dare ordinem, ut vicarius generalis restitueret sigilla sibi data per generalem ordinis in promocione sua ad episcopatum Massiliensem.

P] Die iovis XXV[a] februarii in deputacione pro communibus quo ad supplicacionem suppositorum universitatis studii Wiennensis, petencium conservatoriam perpetuam etc., placuit quod huiusmodi conservatoria expediatur in forma petita sub bulla sacri concilii, ita tamen quod mandetur conservatoribus sub pena excommunicacionis, quod non concedant litteras privilegiorum nisi solum veris et continuis studentibus in eadem.

Supplicacio electi in abbatem monasterii Vallis Magne ordinis Cisterciensis commissa est domino abbati Cisterciensi, qui auctoritate sacri concilii provideat ut petitur deffectusque, si qui intervenerint in huiusmodi electione, supplere habeat.

Supplicacio Walteri Johannis etc. dictorum de Volden etc., petencium confirmari fundacionem cuiusdam altaris in ecclesia de Rethie Lectorensis diocesis fundati, remissa est ordinario loci.

Generalis fratrum Minorum comparuit in deputacione pro communibus, narrans se esse per sacrum concilium unacum XII electis sue professionis [citatum], et idcirco ut filius obediencie huc cum eisdem advenit. Nam bina vice in congregacione generali comparuit, petens et volens incorporari. Sed quia plura magna enormia de se fuerunt dicta, idcirco ipse se submittebat iudicio correctioni et punicioni sacri concilii, offerens se ad omnia eiusdem mandata etc.

Dominus Aydemarus promotor respondit, quod ipse generalis, dum

[a)] *offen gelassen, R.*

esset in Yspania missus per summum pontificem, excedendo limites sue legacionis dixit inter cetera, quod istud concilium non merebatur dici concilium, sed conciliabulum, et quod erat sicut concilium Judeorum, qui crucifixerunt Jhesum; quodque domini de concilio querebant vocari rabi in foris etc. Quare petebat dari iudices, qui se informarent et iusticiam facerent.

Idem generalis replicavit, quod non credit excessisse limites sue legacionis, et si, quod absit, excessisset, paratum se offert subire iusticiam et punicionem sacri concilii.

Quo ad factum dominorum ambassiatorum contendencium de sedibus sive assignacione locorum placuit, quod inhibeatur partibus hincinde sub formidabilibus penis, ne veniant ad missas conciliariter celebrandas et congregaciones generales aliosque actus publicos sacri concilii hinc ad octabas Pasche inclusive, quodque medio tempore tractetur concordia, si fieri possit, sinautem fiat iusticia. Et ad premissa fuerunt deputati domini abbates de Laudeueteri, S. Marie de Verona et de Veneciis et magister Pascasius de Pino, qui saltem ter in ebdomada circa huiusmodi concordiam tractandam habeant convenire.

Nota quod de mandato domini legati iuxta deliberaciones fuit facta prohibicio partibus in scriptis.

Quo ad requestam generalis Minorum, attento quod se submisit iudicio et correctioni sacri concilii, placuit quod admittatur ad incorporacionem.

Quo vero ad capitulum Minorum celebrandum placuit maiori parti oppinio domini cardinalis legati, videlicet quod audiantur partes hincinde per reverendissimum patrem dominum cardinalem S. Petri ad vincula, antequam aliud deliberetur.

PR] Die veneris XXVI^{a} mensis februarii M^{o}iiij^{c}xxxiiij^{o} fuit congregacio generalis, in qua, comparente magistro Martino Bohemo, reverendissimus pater dominus cardinalis legatus, narrando et recitando substancialia proposicionis per eum nuper facte in congregacione generali, ipse dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii exhortatus est ipsum magistrum Martinum, quatenus velit inducere Bohemos et Morauos, ut velint pacta et convenciones concordatas per manuum stipulacionem observare pro salute suarum animarum et honore sui regni.

Et hoc ipse dominus cardinalis legatus pro finali responsione dixit, quodque responsum sacri concilii sibi daret in scriptis hodie vel cras.

Quibus sic peractis idem dominus Martinus surrexit in medium, narravit beneficia per sacrum concilium ipsis Bohemis impensa, que alias

retulerunt dominis suis in Bohemia et parati sunt referre. Quo vero ad litteras responsionis, si non videret, formidaret ipsas deferre.

Dominus auditor respondit ad tria, que idem magister Martinus[a] in sua responsione tetigerat. Et finaliter, quia ipse aliqua tetigerat de precepto percipiendi eucaristiam sub duplici specie, quasi volens innuere, quod si quis vellet sustinere quod non esset de precepto, submitteretur igni, dominus auditor obtulit se, si dominus Martinus vel aliquis alius vellet sustinere et probaret quod communio duplicis speciei esset de precepto, ita quod non recipiendo sub duplici specie aliquis peccaret mortaliter, ipse se submittebat igni, et quod talis offerens si[b] non posset probare, tali pene se submitteret.

Dominus legatus post plura verba dicta et allegata per dominum Martinum Bohemum dixit, quod ipsi Bohemi demandent execucioni capitula concordata et veniant vel mittant ad concilium, et si super[c] precepto aut aliis habuerint difficultates, ipse sperat quod concilium quocienscunque voluerint publicam vel privatam audienciam dabit.

Quiquidem dominus Martinus post plura responsa ad dicta per dominum auditorem super facto pene talionis oblate per dominum auditorem respondit, quod si catholicum esset se eidem submittere, ipse adhuc hodie vellet se obligare.

Et tandem post aliqua dicta per magistrum Martinum Berruerii decanum Turonensem, per que dicebat quod post stipulacionem manuum factam mutuo in Bohemia et postquam Mathias Bohemus quoddam canticum leticie cantasset propter pacem habitam in causa fidei, prout populo retulerant sacerdotes eorum, nichilominus ipsi presbiteri posuerunt adhuc aliquas difficultates in medium, unde ipsi ambassiatores dixerunt tunc eis, quod erat mirandum quod ipsi post conclusa tales difficultates facerent, et presertim quod super peticione eorum, per quam petebant per concilium induci Bohemos et Morauos non utentes duplici specie, ut eadem deinceps utantur pro pace habenda, responsum per eosdem ambassiatores fuit, quod istud non fieret. Et ad hoc per pauca verba eidem domino Martino Bohemo fuit responsum.

Idem Martinus Bohemus pro validacione proposuit sub theumate „Pacem sequimini cum hominibus“.[1]

Dominus legatus narravit, qualiter in hac septimana pluribus vicibus convenerant in S. Dominico domini cardinales et deputati sacri concilii cum aliquibus principibus et consiliariis serenissimi domini imperatoris, et inter cetera visum fuit esse[d] utile et neccessarium mittere

[a]) *fehlt, P.* [b]) se *P.* [c]) sub *P.* [d]) ecclesie *R.*

[1] *Hebr. 12, 14.*

unum vel plures notabiles viros ex sacro concilio ad partes vicinas Bohemie ad confortandum et solitandum noviter reductos ad unitatem ecclesie et ad tractandum et videndum de modo succurrendi civitati Piznensi[a]. Et visum fuit quod dominus auditor domini legati ad hoc bonus esset. Idcirco petebat, quod domini super hoc vellent deliberare.

Super quo placuit quod ipse dominus Johannes de Polomar auditor pro predictis fiendis ad ipsas partes vicinas[b] Bohemie transeat. Et ad conficiendum suas instructiones dominus cardinalis legatus secum vocet quos vocandos sibi videbitur et placuerit.

Dominus marchio Brandeburgensis necnon ambassiatores electorum sacri Romani imperii[c], ad congregacionem nomine suo et aliorum absencium venientes, per organum vicarii Maguntini iterum motiva sue appellacionis alias interposite a provisione sive ordinacione sacri concilii de et super controversia inter ipsos et ambassiatores domini ducis Burgundie facta iterum intimaverunt[d] et publice legi fecerunt.

Item legi fecerunt per organum cuius supra duas cedulas, per quas petunt restitui effectualiter ad loca sua, ut dicebant, per ambassiatores dicti domini ducis Burgundie occupata, pollicitantes quod si ita factum fuerit, omnem viam pacis racionabiliter amplecti volunt[e].

Dominus Gaspar de Perusio respondit ad predicta superius exposita et lecta, videlicet quod ordinacio facta nunquam fuit facta in preiudicium dominorum electorum, et quod per sacras deputaciones ita deliberatum fuit, necnon per XXXIII testes probata fuit ipsa possessio. Sed si ipsi domini electores pretendant se spoliatos, cum spoliatus per se ipsum non potest se restituere, recurra[n]t ad sacrum concilium, et ipse dominus dux quicquid sacrum concilium ordinaverit efficaciter adimplebit.

Dominus abbas Cisterciensis nomine domini ducis Burgundie peciit copiam cedularum lectarum.

Post replicacionem ad predicta per dominum vicarium Maguntinum ad responsa domini Gasparis factam comparuerunt domini duces Willermus et Henrricus Bauarie et quidam alii nobiles, qui cum eisdem marchione et ambassiatoribus venerant, per organum domini episcopi Augustensis supplicarunt et requisiverunt, eosdem ambassiatores in locis suis reponi et honorem dominorum electorum haberi pro recommisso, ne gerenda in hoc sacro concilio et circa factum Bohemorum propterea impediantur.

P] Die martis secunda mensis marcii[f] M°iiij^{C}xxxiiij° in deputacione pro communibus pro presidente fuit electus pro isto mense marcii dominus abbas S. Cornelii.

[a]) Pilzne *R.* [b]) vicinis *P.* [c]) sacri concilii *P.* [d]) reiterarent *R.* [e]) nolunt *P.* [f]) *am Rande* Marcius *P.*

Pro dominis duodecim fuerunt nominati domini episcopus Lausanensis, abbas S. Honorati continuatus et doctor universitatis Erfordensis.

Pro custodia clavis fuit electus dominus Johannes doctor de Hungaria.

Quo ad requestam serenissimi domini imperatoris, concernentem ordinem Minorum in regno Hungarie, placuit quod reverendissimi domini cardinales legatus et S. Petri ad vincula, vocatis aliquibus de ordine Minorum, de quibus eis videbitur, de contentis in requesta huiusmodi se informent et provideant, ut petitur.

Quo ad requestam rescribendarii placuit quod rogetur, ut velit per totum istum mensem suum continuare officium, et interim providebitur de alio.

Lectis capitulis super gravaminibus per dominos deputatos sacri concilii et civitatis Basiliensis concordatis, placuerunt huiusmodi capitula, et quod quilibet volens habere copiam eorundem habeat.

Super bulla expedita in favorem domini episcopi Grassensis placuit, quod reverendissimus dominus vicecancellarius et deputati ad examinandum bullas, que in cancellaria expediuntur, videant et examinent huiusmodi bullam, et si sit expedita iuxta deliberaciones deputacionum, stet in vigore, si vero non fuerit expedita ut dictum est, referant.

Super materia magni ducis Wistrigal placuit, quod concilium scribat domino regi Polonie, quod uxorem dicti ducis, quam tenet captivatam, restituat dicto duci; et huiusmodi litteras expediat dominus cardinalis legatus.

Placuit quod deputati ad tractandum concordiam inter dominos contendentes de sessionibus conveniant hodie cum domino cardinali legato hora tercia post meridiem.

Placuerunt deputati, videlicet familiares domini Lausanensis et Albinganensis episcoporum ad visitandum domos iuxta capitula concordata etc.

P] Die mercurii tercia marcii in deputacione pro communibus, lectis avisamentis dominorum de duodecim, placuerunt huiusmodi avisamenta, que sequntur in forma:

Avisarunt domini de duodecim, quod quia materie istius concilii, super quibus concilium est congregatum etc.

Relatum est pro parte reformatorii, quod deputati ad examinandum decreta contra symoniacos et concubinarios conveniant hodie hora III^{a} post meridiem in domo domini legati.

Pro parte deputacionis pacis relatum est ipsam deliberasse, quod fiat decretum pro libertatibus ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum conservandis, et ad hoc suos dederunt deputatos.

Dominus Johannes Pulcripatris fecit relacionem de gestis per deputatos sacri concilii circa admissionem legatorum domini nostri pape ad presidenciam et apud serenissimum dominum imperatorem.

Domini marchio Brandeburgensis et dux protector unacum reverendo patre domini episcopo Senensi ceterisque aliis principibus et dominis ex parte domini imperatoris accesserunt ad deputacionem pro communibus, supplicantes et exhortantes per organum fratris Petri ordinis canonicorum regularium, quatenus domini dignentur tenere talem modum circa admissionem dominorum legatorum pape ad presidenciam, quod pax facta cum magnis laboribus inter sacrum concilium et dominum nostrum papam conservetur, et quod libertas et auctoritas sacri concilii nullomodo ledatur et summus pontifex habeat quod suum est.

P] Die iovis IIII[a] mensis marcii in deputacione pro communibus placuit, quod domini deputati super facto presidencie accedant ad dominum imperatorem, qui offert se ponere finem huic negocio ad honorem concilii.

Ad videndum de modo providendi circa libertates ecclesie et ecclesiasticarum personarum fuerunt deputati domini Pargamensis et Lubicensis episcopi, abbas de Dompnomartino et dominus Rodericus secretarius domini cardinalis S. Petri. Et si dominus Lubicensis non possit vacare, loco sui sit dominus decanus Magdeburgensis etc.

Auditis partibus hincinde in materia Rigensi, quia alias dicta ecclesia Rigensis fuit ordinis Premonstratensis et hoc fatentur procuratores Prutenorum, nunc ordinis S. Augustini, dominus abbas de Dompnomartino nomine ordinis Premonstratensis requisivit dominos de dicta deputacione pro communibus, quod dignentur dare operam, ut dicta ecclesia Rigensis reducatur ad suum primum ordinem. De quibus dictus dominus abbas peciit instrumentum.

Supplicacio civium Virdunensium, petencium in lesionem cleri, quod serviles persone subdite etc. possent sine licencia dominorum suorum nubere etc., refutata est.

Supplicacio Johannis Bonneti diocesis Constanciensis provincie Rothomagensis, petentis secum dispensari quod possit remanere in suo alias contracto matrimonio, non obstante quarto affinitatis gradu etc. commissa est domino episcopo Constanciensi eius ordinario, qui dispenset ut sibi videbitur.

Supplicacio Henrrici Claqueure de Joyo, petentis secum dispensari in tercio gradu, refutata est.

Supplicacio illius petentis secum dispensari super labe symonie, commissa est domino episcopo Gebennensi, qui provideat prout petitur.

Item placuit, quod dum fuerit deputacio in maiori numero congregata, eligantur duo notabiles iuriste, qui videant et examinent omnes supplicaciones porrigendas in deputacione et singulis diebus iovis referant, vel habeat locum deliberacio alias captata.

Super supplicacione pauperis scolaris litigantis de quadam parrochiali ecclesia in diocesi Ebroicensi placuit deliberacio deputacionis fidei in forma, videlicet si constiterit iudici de bono iure supplicantis etc.

Dominus episcopus Rozensis obtinuit licenciam usque post Pascha.

Dominus Aymarus de Roussilione obtinuit licenciam, reversurus quamcicius fieri poterit.

PR] Die veneris V[a] marcii M°iiij[C]xxxiiij° in congregacione generali fuerunt incorporati domini et magistri Anthonius de Noyers[a)] electus Lingonensis, Thomas de Bordella archipresbiter Perusinus et canonicus Florentinus decretorum doctor, Andreas Dominici plebanus[b)] ecclesie collegiate diocesis Castellane baccallarius formatus in theologia, Lucas archipresbiter Ymolensis licenciatus in decretis, nobilis Guillermus de Dombergh archidiaconus Moiennensis,[c)] Archibaldus[d)] Laurencii canonicus ecclesie Bethlemitane magister in artibus et magister hospitalis S. Germani diocesis[e)] S. Andree in Scocia, Donghanus[f)] de Lychton[g)] decanus ecclesie Abbedonensis[h)], Matheus Bertheloti licenciatus in decretis de universitate Andegauensi, Johannes de Odegre decanus S. Martini Wesaliensis, Stephanus Bedelli[i)] in utroque iure baccallarius canonicus Biturícensis, Anthonius de Cadranis[k)] archidiaconus et canonicus Vincentinus, generalis Minorum, Johannes Mechlinghen[l)] decanus ecclesie Onnispicensis[m)], Anthonius abbas S. Marie de Pratalia ordinis S. Benedicti Paduane diocesis, frater Guiscardus Journeti[n)] prior conventualis de Aurelio Lemouicensis diocesis ordinis S. Augustini, Johannes Lamberti alias Wyllebrodi[o)] domini nostri pape cursor, magister Henrricus Hubelin canonicus Brixinensis pro archiepiscopo Visalensi[p)], frater Johannes de Casseyo[q)] prepositus de Lusigniano[r)] ordinis S. Benedicti Narbonensis diocesis, frater Theodoricus Maer religiosus[s)] pro abbate S. Adalberti Traiectensis diocesis ordinis Benedicti.

Quidam nobilis pro parte magni ducis[t)] Wytrigal, associatus quodam fratre ordinis Prutenorum, presentavit litteras credenciales. Quibus presentatis et lectis magister Symon de Valle advocatus credenciam huiusmodi exposuit, narrans multas infamias iniurias et dampna per dominum

[a)] Noyters *R.* [b)] decanus *R.* [c)] Morennensis *R.* [d)] Anthibaldus *R.* [e)] et magister *R*, *statt* dioc. [f)] Donghanis *P.* [g)] Licho. *R.* [h)] Albedonensis *R.* [i)] Bodelli *R.* [k)] Cadianis *R.* [l)] Metlinghen *R.* [m)] Onnspicensis *R.* [n)] Guischardus Jomneti *R.* [o)] Wyllebrordi *R.* [p)] Visal. *fehlt*, *R.* [q)] Cassero *R.* [r)] Lussigniaco *R.* [s)] relig. *fehlt*, *R.* [t)] ducis magni *P.*

regem Polonie eius germanum eidem duci illatas et illata, petens inter cetera et requirens, quatenus sacrum concilium dignetur providere, ut ipse dominus rex uxorem principes barones et dominos subditos ipsius domini ducis, per dictum regem captivatos et detentos, necnon castra terras et dominia sua, que detinet occupata, eidem restituere debeat, attento maxime quod offert et submittit se et omnia bona sua huic sacro concilio et eius determinacioni. Et protestatus fuit, quod si contingat ipsum ducem iuvare et se deffendere manu armata, invocando quos habere poterit in subsidium, quod habeatur excusatus.

Postquam ipse dominus Symon de Valle exposuit, domini Gaspar de Perusio et Simon de Theramo advocati[a] nomine regis Polonie proposuerunt iustificacionem ipsius domini regis Polonie[b] super huiusmodi invasione, dicentes quod plenius explicaturi sunt ipsam iustificacionem advenientibus ambassiatoribus solemnibus dicti domini regis in brevi venturis[1].

Cuiquidem ambassiatori dominus legatus nomine sacri concilii regraciatus est dicto domino duci de sincera affectione, quam habuit et habet ad sacrum concilium et de oblacionibus nomine suo factis, et quod super propositis deliberabunt sacre deputaciones.

Frater Minor Piznensis[c] unacum uno milite et uno cive, habentibus litteras credenciales, huiusmodi litteras exhibuerunt predictas[d] etc. Quibus lectis exhortati fuerunt et[e] rogarunt dominos de sacro concilio, ut dignarentur succurrere civitati Piznensi[f], credenciam eciam in scriptis dantes.

Dominus legatus, facta huiusmodi peticione et responsione, exhortatus est dominos de sacro concilio, ut velint dare operam quod[g] semidecima imposita levetur et ipsi civitati Piznensi[f] succurratur, ut a manibus inimicorum fidei liberetur.

Item quod sacrum concilium velit deputare aliquos, qui vadant ad serenissimum dominum imperatorem ad exhortandum et requirendum, ut eciam pro parte sua dignetur eisdem aliquod subsidium dare et facere. Et ad adeundum[h] ipsum dominum imperatorem et premissa faciendum fuerunt deputati pro communibus domini episcopus Lausanensis, pro reformatorio Ebroicensis, pro fide Papiensis et pro pace Lectorensis episcopi.

Ad instanciam fratris Minoris Piznensis[c] fuit ordinatum, quod

[a]) advocatus *P.* [b]) Pol. proposuerunt *P.* [c]) Pilznensis *R.* [d]) predicti *P.* [e]) *fehlt. P.* [f]) Pilznensi *R.* [g]) pro *P.* [h]) ad eundem *R.*

1 *Folgt in R. f. 310a:* Item fuit lecta una littera directa ex parte ipsius domini regis Polonie sacro concilio, cuius tenor sequitur et est talis: „Sacrosancte . . . Wladislaus Dei gracia rex Polonie . . . . Dudum nostre menti . . . . Datum in Jedlua die XII. mensis ianuarii a. D. MCCCCXXXIIII.“ *s. Beilage.*

collectores alias ordinati ad colligendum pecunias per singulas deputaciones pro subsidio eidem civitati mittendo habeant mittere et recuperare pecunias a dominis, qui non dederunt pro huiusmodi subsidio.

Fratres Hugo de Saiens[a] magnus prior Francie, Petrus Lamandi, Rachellus de Auro, quidam alius frater et quidam doctor secularis pro magistro et conventu Rodi litteras ab eisdem magistro et conventu credenciales in personas eorundem exhibuerunt, quibus lectis et exposita credencia incorporati more solito fuerunt et eisdem ad pedes dominorum cardinalium iuxta generales ordinum Mendicancium locus fuit assignatus.

Eadem die promotor concilii consenciit, quod magister Thomas Haube magister in theologia pro abbatibus inferius descriptis, licet non teneantur de iure venire nec mittere ad concilia, quia non sunt exempti, admitteretur, videlicet pro abbatibus de Torario[b] ordinis S. Benedicti, S. Stephani de Fonteneto ordinis eiusdem, S. Marie de Valle ordinis S. Augustini, S. Vigoris[c] de Serazeyo ordinis S. Benedicti Baiocensis diocesis, prioribus S. Stephani de Plesseyo, S. Gabrielis eiusdem diocesis.

Die veneris supradicta V[a] marcii in eadem congregacione generali, lectis deliberacionibus singularum deputacionum, placuit iuxta huiusmodi deliberata, quod reverendissimus dominus cardinalis Rothomagensis vicecancellarius regulas sive constituciones cancellarie secundum morem curie Romane petentibus easdem tam in sacro concilio[d] quam[e] extra habeat dare sub sigillo suo, quibus adhibeatur fides plenaria perinde ac si de curia Romana producte et ex libro cancellarie scripte et collacionate extitissent.

Item eciam placuit, quod idem dominus vicecancellarius iuxta deliberata trium deputacionum concordancium, quarta non contradicente, ter in ebdomada habeat convocare deputatos sacri concilii ad examinandum bullas expediendas in cancellaria, et teneatur huiusmodi cancellaria[f] ut in Romana curia est fieri consuetum.

Item quod dominus vicecancellarius provideat de uno auditore contradictarum.

Lectis deliberacionibus trium deputacionum in causa Bambergensi concordantibus, quarta non contradicente, placuit et fuit conclusum, quod reverendissimus dominus archiepiscopus Lugdunensis iuxta huiusmodi deliberaciones vocatis partibus declaret prout de iure et iusticiam faciat.

Dominus Olomucensis episcopus nomine imperialis maiestatis requisivit, quod huiusmodi causa ad forum suum per concilium remitteretur; super quo deliberent deputaciones.

[a]) Saisons *R.* [b]) Ceruario *R* [c]) Victoris *R.* [d]) morem—concilio *fehlt*, *R.* [e]) quas *R.* [f]) et—cancell. *fehlt*, *R.*

P] Die sabbati VI[a] mensis marcii M[o]iiij[c]xxxiiij[o] in deputacione pro communibus super supplicacione archiepiscopi Rigensis ad visitandum eandem et se informandum et referendum cum aliis deputatis fuit electus dominus episcopus Laudensis.

Dominus vicarius Frinsingensis et procurator fiscalis accesserunt ad deputacionem. Procurator, prout heri in congregacione generali, requisivit quod deputaciones dignentur providere circa illos, qui appellant a tribus latis sentenciis in concilio, maxime in materia reformacionis, prout est causa abbatis de Ebersperch.

Ipse vicarius Frinsingensis, quia magister Ysidorus dixit eundem vicarium fore excommunicatum, protestatus est de iniuria et revocavit huiusmodi iniuriam ad animum, exhibens litteras patentes emanatas a domino auditore camere, per quas constat ipsum auctoritate concilii fuisse et esse absolutum.

Pro parte fidei relatum est ipsam deliberasse, quod in causa Baiocensi detur unus deputatus de qualibet deputacione, qui videant et deinde referant in deputacionibus, procedaturque ut petitur, parito iudicato; et pro dicta deputacione deputaverunt dominum scolasticum Andegauensem.

Domini de pace ad conveniendum cum dominis cardinalibus et deputatis deputacionum ad videndum de modo honesto reperiendo super presidencia etc. deputaverunt dominos Siluanetensem et Lectorensem episcopos.

Dominus episcopus Bambergensis et Nicolaus de Indagine pro capitulo Bambergensi requisiverunt, quod conclusio capta in congregacione locum haberet.

Super qua scrutatis votis dominorum placuit deputacioni pro communibus, quod huiusmodi causa remaneat apud concilium quodque conclusio capta in ultima congregacione generali locum habeat. Et ad informandum serenissimum dominum imperatorem de huiusmodi conclusione fuerunt deputati domini Curiensis et Lubicensis episcopi, qui hac de causa hodie hora III[a] post meridiem debeant accedere ad eundem imperatorem.

Pro parte reformatorii fuit relatum, ipsam die iovis ultima deliberasse, quod dominus patriarcha Anthiocenus inquirat auctoritate concilii de hiis, qui in materia reformacionis ad sedem apostolicam ab hoc sacro concilio frivole appellant, et eos, quos reperit culpabiles, realiter et cum effectu ipsos puniat.

P] Die martis IX[a] marcii in deputacione pro communibus dominus Franciscus de la Cruce nomine domini episcopi Baiocensis narravit processum agitatum in causa electionis Baiocensis, offerens super hoc supplicacionem.

Pro parte deputacionis fidei relatum est, ipsam deliberasse super materia bullarum de presidentibus per sanctissimum dominum nostrum papam ad hoc sacrum concilium missis: placuit dominis de sacra deputacione fidei, quod unacum reverendissimis dominis cardinalibus dentur duo deputati de qualibet deputacione, qui de securitate huius sacri concilii eciam cum ambassiatoribus ipsius domini nostri pape videant et[a] postea referant in deputacionibus.

Quo ad causam Bambergensem dicta deputacio fidei deliberavit, quod remaneat penes concilium iuxta deliberacionem congregacionis. Et ad adeundum dominum imperatorem dederunt deputatos Olomucensem et Dignensem episcopos.

Dominus vicarius Maguntinus et Nicolaus Stok pro parte domini imperatoris narraverunt agitata in huiusmodi causa Bambergensi, petentes eandem causam remitti ad examen ipsius domini imperatoris.

Dominus Nicolaus de Indagine supplicavit non debere remitti, quodque conclusio super hoc in congregacione generali capta suum locum haberet etc.

Dominus abbas S. Cornelii presidens deputacionis exhortatus est dominos de dicta deputacione, quod si sint aliqui, qui non subvenerint pro succursu Piznensium, velint contribuere; nam paratus erat huiusmodi subsidium recipere.

Pro parte reformatorii extitit relatum, ipsam deliberasse[b] super materia presidencie: placuit et fuit conclusum, quod omnes domini ambassiatores domini nostri pape, missi ad presidendum nomine ipsius in hoc sacro concilio nunc presentes et non alii, admittantur ad huiusmodi presidenciam pro presidendo, non vigore bullarum per ipsos exhibitarum, sed iuxta modificaciones avisandas et concludendas ac per decretum in sessione publica decretandas. Antequam nunc admittantur prefati ad huiusmodi presidenciam, habeatur omnino plena securitas a serenissimo domino imperatore pro confirmacione ac tuicione ipsius sacri concilii et suppositorum eiusdem, nedum pro tempore concilii, sed eciam post finitum concilium. Et ad conveniendum cum dominis cardinalibus et deputatis dederunt prefati de dicta deputacione duos deputatos.

Item placuerunt dicte deputacioni reformatorii avisamenta data per dominum cardinalem legatum super controversia contendencium de sessionibus.

Item similiter placuit dicte deputacioni, quod in deputacionibus ambassiatores principum collocentur iuxta preeminenciam et antiquitatem graduum et dignitatum suarum.

[a]) et et *P.* [b]) *folgt getilgt* extitit, *P.*

In deputacione pro communibus:

Dominus episcopus Vrbinas, attenta sua gravi infirmitate, obtinuit licenciam recedendi ad partes.

P] Die mercurii X[a] marcii in deputacione pro communibus Johannes de Canibus cliens armorum et custos porte ferree fuit deputatus ad custodiam deputacionis pro communibus et de fideliter exercendo suum officium prestitit iuramentum.

Quo ad materiam domini promoti ad ecclesiam Gurcensem, lectis deliberacionibus aliarum trium deputacionum, ad interessendum cum reverendissimo domino cardinali legato et deputatis aliarum deputacionum et videndum, an debeat concedi monitorium per eundem promotum petitum, fuerunt deputati domini Ludouicus de Garsiis et Petrus Corserii ambassiator comitis Arminiaci.

Quia dominus Ludouicus de Garssiis in oppinione sua narravit, papam posse super iure divino dispensare, videlicet super votis, dominus Johannes Pulcripatris requisivit eundem dominum Ludouicum, quod super hoc in favorem fidei vellet lacius declarare. Qui dominus Ludouicus remisit eundem Johannem ad iura per ipsum allegata.

Domini de pace requisiverunt, quod hodie conveniant deputati super decreto de concubinariis; similiter super presidencia legatorum etc., et eciam super Karolina de immunitate ecclesiasticorum.

Domini de fide retulerunt deputasse super facto presidencium dominos Aurelianensem et Ratisponensem episcopos, qui cum aliis deputatis conveniant hodie in S. Francisco hora III[a] post meridiem etc.

Domini de fide retulerunt dedisse octo deputatos ad videndum de abusibus et pompis suppositorum sacri concilii.

In deputacione pro communibus:

Super materia presidencie ad interessendum cum reverendissimis dominis cardinalibus et deputatis aliarum deputacionum et videndum de modificacionibus recipiendi legatos pape ad presidendum, et referendum in deputacionibus pro deputacione pro communibus fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis, Laudensis Lubicensis episcopi et abbas S. Honorati. Nichilominus domini, qui non deliberaverunt, poterunt super materia principali deliberare.

Placuit quod quilibet dicat libere votum suum, et si alter[a)] alterum in voto suo interrrumpat, solvat ad statim I grossum, et si promotor fuerit negligens in exigendo huiusmodi grossum, solvat idem promotor II.

[a)] et finaliter *P.*

Instante domino archiepiscopo Lugdunensi dominus episcopus Siluanetensis obtinuit licenciam a deputacione recedendi, reversurus quamcicius fieri comode poterit.

P] Die iovis XI[a] mensis marcii in deputacione pro communibus ad videndum et examinandum supplicaciones, que deputacioni offeruntur, et referendum fuerunt deputati domini Petrus ambassiator domini Arminiaci et Johannes doctor Constanciensis pro isto mense marcii, qui saltim semel in ebdomada conveniant.

Supplicacio dispensacionis illius pauperis de diocesi Constanciensi provincie Rothomagensis, commissa domino episcopo Constanciensi eius ordinario, quia alie deputaciones commiserunt domino cardinali legato, placuit quod idem dominus cardinalis legatus provideat.

Archiepiscopus Cretensis et abbas Conchensis pro parte deputacionis pacis sunt deputati ad examinandum supplicaciones, que in eadem deputacione pacis porriguntur, qui referant etc.

Super supplicacione nonnullorum episcoporum de Alamania, non audencium venire ad concilium propter metum diffidancium eosdem, placuit quod per concilium dirigantur littere ipsis diffidatoribus eciam sub penis, quodque reverendissimus dominus cardinalis legatus auctoritate concilii super hoc provideat.

PR] Die veneris XII[a] marcii fuit festum beati Gregorii, ob cuius reverenciam fuit[a)] missa solemnis in ecclesia maiori.

Item magister Thomas socius eadem die suam primam missam celebravit in prioratu S. Albani Basiliensis.

P] Die sabbati XIII[a] marcii in deputacione pro communibus pro parte deputacionis reformatorii relatum est, ipsam die iovis preterita XI[a] marcii deliberasse in materia capituli generalis ordinis Minorum celebrandi etc., videlicet: auditis propositis per generalem et fratres Minores super loco eorum capituli generalis etc., scrutatis votis singulorum, placuit maiori parti, quod pro ista vice celebretur capitulum generale in Bononia et in illo provideatur omnino, quod de cetero capitula generalia equaliter celebrentur in partibus citramontanis sicut in partibus ultramontanis; fiat tamen hic ad statim reformacio ipsius ordinis, qua facta mittatur ad ipsum capitulum generale, ut ibi debite execucioni demandetur. Et ad audiendum fratres illius ordinis hincinde et videndum de modo reformandi ipsum ordinem unacum prius deputatis deputati fuerunt reverendissimi domini cardinales S. Angeli et S. Petri, patriarcha Anthiocenus, archiepiscopi

[a)] festum—fuit *fehlt*, *R.*

Lugdunensis et Jadrensis, episcopi Gadicensis et Ebroicensis, abbates Scotorum de Wyenna [et] de Scocia, doctores prior domus Predicatorum et magister Egidius canonicus regularis.

In deputacione pro communibus:

Placuit in forma avisamentum deputacionis reformatorii suprascriptum.

Pro parte deputacionis pacis fuit requisitum, quod domini deputati ad videndum de modo providendi circa libertatem ecclesiarum et ecclesiasticorum simul conveniant hodie hora tercia post meridiem in S. Francisco.

Pro parte deputacionis fidei fuit relatum, quod deputati super presidencia etc. conveniant cum domino cardinali legato et deputatis aliarum deputacionum.

Magister Johannes Pulcripatris proposuit, quod quia aliqui de dominis de deputacione pro communibus dicendo vota sua in materia presidencie dixerunt et protulerunt multos errores, ideo requisivit quod pro honore sacri concilii huiusmodi dicta reparārent etc.

Dominus provincialis Lombardie ordinis Predicatorum dixit fore hereticum, asserere quod domini prelati et curati non recipiant auctoritatem mediate vel immediate a domino nostro papa.

Quo ad supplicacionem magistri Johannis Leodegarii placuit, quod comittatur domino episcopo Adriensi, qui prius habita informacione de contentis in eadem, sequestret et procedat ut petitur, iusticiam faciat.

Super requesta dominorum Cisterciensis et Virziliacensis abbatum placuit, quod dominus cardinalis S. Petri ad vincula procedat in causa et iusticiam faciat perinde ac si in civitate Parmensi littere monitorie executori demandate fuissent.

Quo ad requestam domini Anthonii de Noyers electi Lingonensis, si alie tres sacre deputaciones deliberaverint, placuit quod huiusmodi requesta iuxta deliberacionem trium deputacionum concorditer deliberancium expediatur.

In materia presidencie legatorum domini nostri pape, super qua in votis scruta[n]dis sacra deputacio pro communibus vacavit diebus mercurii III[a] marcii, die sabbati VI[a] marcii, mercurii X[a)], iovis XI[a] et hac die sabbati XIII[a] marcii, scrutatis votis singulorum dominorum, maior pars fuit oppinionis, quod decreto sacri[b)] Constanciensis concilii de auctoritate conciliorum et aliis in suo vigore remanentibus et renovandis, admittantur dicti domini legati ad presidendum, ita tamen quod primo domini deputati ad cónveniendum cum dominis cardinalibus et deputatis aliarum deputacionum videant de bonis modificacionibus et modo honesto recipiendi huiusmodi legatos ad presidendum et referant.

[a]) *vor* merc. *getilgt* die *P.* [b]) sacri sacri *P.*

PR] Die dominica in passione XIIII[a] marcii M°iiij[C]xxxiiij° fuit missa et sermo solemnis in ecclesia maiori Basiliensi.

Item nocte precedenti obierunt domini cardinalis S. Eustacii et patriarcha Alexandrinus.

Item eadem die intravit civitatem dominus cardinalis de Cipro etc.

PR] Die lune XV[a] marcii millesimo iiij[C]xxxiiij° fuit congregacio generalis, in qua incorporati medio iuramento fuerunt episcopus Plouacensis, episcopus Lessionensis [a)], Franciscus abbas S. Marie de Carceribus, abbas S. Fortunati Vincentini [b)], abbas Fructuosus, prior S. Danielis de Veneciis, magister Guillermus de Locken[c)], magister Ludouicus de Pirano provincialis provincie S. Anthonii de Padua ordinis Minorum, magister Anthonius de Mileto baccallarius formatus in theologia rector parrochialis ecclesie S. Leonis de Veneciis, Guillermus archipresbiter ecclesie Castellane de Veneciis, frater Matheus Bonneti [d)] prior Damnergui Gebennensis diocesis, magister Johannes de Insula prepositus Montisfalconis Remensis diocesis, dominus Petrus prepositus ecclesie Brandeburgensis decretorum doctor, magister Johannes Dist utriusque iuris doctor canonicus Eistetensis, dominus Anthonius de Malispinis [e)] decretorum doctor canonicus Veronensis.

Domini ambassiatores regis Dacie, videlicet Vlricus Auussiensis et Nicolaus Vexionensis [f)], presentatis litteris credencialibus et lectis factaque collacione per alterum eorundem sub theumate „Sequebatur eum multitudo magna“[1] laudatoque bono proposito ipsius domini regis Dacie et regraciato eisdem per dominum cardinalem legatum, sacro concilio more solito nomine ipsius domini regis fuerunt incorporati et primum locum a sinistra parte receperunt etc.

Gracia petita per promotorem, quod domini de sacro concilio et eorum familiares ac venientes ad concilium in instanti festo Pasche possent eligere confessores etc., remissa est ad deputaciones.

Officialis [g)] Basiliensis promotor sacri concilii ex superhabundanti parcium hincinde contendencium de ecclesia Treuerensi non comparencium, licet partes essent presentes, contumaciam accusavit.

[a)] Lessiensis *R.* [b)] Viennensis *R.* [c)] mag. G. de L. *fehlt, R.* [d)] Bonet *R.* [e)] Malespinis *R.* [f)] Vexoniensis *R.* [g)] *dieser und die folgenden vier Absätze ebenso im Cod. Ottobon. 2745 f. 247a. Ebenda f. 246b noch folgende Notiz:* Lune XV. marcii magister Hugo allegat, quomodo pluries accusasset contumaciam d.[i] Vlrici non comparentis etc., et de benignitate sacri concilii terminus fuit prorogatus, et terminus fuerit effluxus die sabbati ob defectum congregacionum generalium. Attenta contumacia citatorum non comparencium, petens eosdem contumaces reputari et declarari penas in citacione contentas. Statim comparuit d.[us] Vlricus et pro themate etc. *Rest der Seite leer.*

[1] *Joh. 6, 2.*

Presentibus partibus hincinde in congregacione generali, dominus Symon de Theramo, postquam proposuisset satis ad longum processum in causa huiusmodi iam a[a] biennio in sacro concilio agitatum, supplicavit ut sacrum concilium favorabiliter dignaretur in hac parte dominum Rabanum archiepiscopum habere recommissum.

Deinde dominus Vlricus electus etc. supplicavit sacro concilio sub theumate „In novissimo die stabat Jhesus, dicens: qui sitit, veniat ad me et bibat“ etc.[1], ut sacrum concilium dignaretur dare audienciam domino Nicolao de Cusa[b], qui nomine suo propositurus erat, prout et fecit.

Tandem ipse dominus Nicolaus de Cusa[b] nomine dicti domini Vlrici, protestato prius per eum, quod ea que dicturus erat plus tendebant ad pacem quam rigorem, submittens se de dicendis correctioni sacri concilii, narravit processum agitatum in hac parte, aperiendo multa motiva faciencia pro parte dicti domini Vlrici, supplicans finaliter ut sacrum concilium dignaretur favorabiliter dominum suum habere recommissum.

Deinde per decanum Wesaliensem lecto decreto electionis de persona prefati domini Vlrici per decanum et capitulum ecclesie Treuerensis facte, dominus Gaspar de Perusio advocatus partis adverse, volens ad dicta domini Nicolai de Cusa[c] seriose replicare, peciit nomine domini Rabani archiepiscopi audienciam sibi dari. Et fuit ordinatum quod die mercurii esset congregacio generalis, in qua plene audiretur.

PR] Die martis XVI[a] mensis marcii M°iiij^{c}xxxiiij° fuerunt facte exequie bone memorie domini cardinalis S. Eustacii in Carthusia[d] Parve Basilee etc.

PR] Die mercurii XVII[a] mensis marcii M°iiij^{c}xxxiiij° fuit congregacio generalis, in qua more solito fuit incorporatus magister Johannes Roderici canonicus Conchensis familiaris bone memorie domini cardinalis S. Eustacii, adherendo et ratifficando incorporacionem dicti domini cardinalis.

Super materia promoti ad ecclesiam Gurcensem[e] placuit et fuit conclusum, quod domini deputati singularum deputacionum ad videndum, an eidem domino promoto debeat dari monitorium vel ne, iuxta deliberaciones omnium deputacionum habeant simul convenire et in huiusmodi materia procedere.

Quo ad materiam libelli „Deus novit“, lectis avisamentis singularum deputacionum super eadem, necnon quo ad materiam Bambergensis et

[a]) *fehlt, P.* [b]) Cosza *P.* [c]) Cosera *P.* [d]) Cartusiē *P.* [e]) promoti Gurtzensis *R.*

[1] *Joh. 7, 37.*

Lausanensis ecclesiarum, lectis concordatis per dominos de duodecim super eisdem, reverendissimus pater dominus cardinalis legatus presidens generalis nomine sacri concilii conclusit in illis causis et materiis, in quibus tres deputaciones concorditer deliberaverunt, cuiquidem conclusioni, videlicet in materia ecclesie Lausanensis dominus Humbertus de Chissiaco nomine ducis Sabaudie et electi Lausanensis se opposuit, dicens quod deputacio pacis non deliberavit in materia quodque alie tres deputaciones non concordant, magistro Thoma Chesneloti socio nomine domini Lausanensis asserente, dictam deputacionem pacis multis vicibus fuisse requisitam, ut super hoc vellet deliberare. De quaquidem opinione ipse dominus Humbertus peciit nomine quo supra instrumentum etc.

Deinde vicarius Maguntinus, presentibus decano ecclesie Treuerensis et domino Philippo de Sirch[a)] canonico eiusdem et nonnullis aliis instantibus, proposuit narrando processum electionis primo facte de domino Jacobo de Surch[a)] et deinde de persona domini Vlrici de Mandescheit[b)] electi ibidem presentis, quodque mediantibus certis condicionibus data est administracio in temporalibus ipsi domino Vlrico, excusando eosdem dominos de capitulo.

Postmodum dominus Gaspar de Perusio nomine domini Rabani translati replicavit contra dicta domini Nicolai de Cusa[c)] in ultima congregacione generali proposita, submittens se correctioni sacri concilii.

Deinde dum[d)] ipse dominus Gaspar tangeret electionem factam de dicto domino Jacobo de Surch[a)] prothonotario, ipse prothonotarius protestatus est, quod non tangeret suam personam, sed solum prosequeretur suum principale etc.

Tandem ipse dominus prothonotarius pro excusacione sue electionis inter cetera dixit, quod pro nunc non intendebat pro suo interesse venire ad causam, sed ut reperiatur tanquam vir legalis non fecisse aliquid in contemptum alterius parcium, regraciando illis qui dixerunt ipsum ius habere in electione etc.

Lectis copia litterarum felicis recordacionis domini Martini missarum domino Vlrico electo etc., ut sub penis dimitteret liberam possessionem domino Rabano, et litteris missivis sub bulla domini nostri pape moderni ob hoc directis domino comiti Palatino cum invocacione brachii secularis, dominus Stephanus de Nouaria advocatus tam domini electi quam nobilium excusavit eosdem Vlricum et nobiles, improbando dicta advocatorum partis adverse. Et quia in litteris apostolicis cavebatur, quod quidam cursor fuerat submersus, dixit ipsum cursorem esse presentem

[a)] Surck *R.* [b)] Mandeschet *P.* [c)] Cosera *P.* [d)] dum *über der Zeile, P.*

in congregacione etc., et per hoc dicebat falsum sugessisse summo pontifici.

Decanus Wesaliensis nomine proprio et cleri communis etc. protestatus est, quod possit audiri ad allegandum causas racionabiles contra citacionem per concilium ultimo decretam et execucioni demandatam.

Item placuit et fuit conclusum, quod reverendissimus pater dominus cardinalis legatus expedire habeat nomine sacri concilii salvumconductum pro quodam capitaneo volente venire ad dominum imperatorem.

PR] Die iovis XVIII[a] sequenti fuerunt celebrate exequie domini quondam patriarche Alexandrini in ecclesia maiori Basiliensi etc.

PR] Die veneris[a)] XIX[a] marcii millesimo quadringentesimo xxxiiij[o] fuit congregacio generalis, in qua more solito fuerunt incorporati abbas in Escoph[b)], domini Hubertus[c)] de Niquesola[d)] canonicus Veronensis, magister Johannes de Huyssechen[e)] alias de Heruen magister in theologia Parisiensis[f)], Anthonius Dauid licenciatus in decretis cum rigore examinis, frater Jacobus ordinis Carmelitarum magister in theologia, magister Petrus de Berich[g)] in artibus et medicina doctor, Wedislaus decanus de Carlestein[h)] Pragensis diocesis presbiter, Stephanus prepositus ecclesie S. Marie [de] Gurtziano Brixiensis[i)] diocesis, dominus Albertus plebanus ecclesie S. Sewardi[k)] Nurembergensis magister in artibus, magister Anthonius Ruscha magister in theologia ordinis Minorum.

Dominus Gaspar advocatus domini ducis Burgundie pro et nomine domini ducis Burgundie asseruit, ad noticiam dominorum ambassiatorum ipsius domini ducis devenisse, quod ambassiatores domini ducis Britanie, qui de novo applicuerunt et tunc presentes erant, prioritatem loci ante ipsius domini ducis ambassiatores tenere intendebant. Ideo ipsi domini ambassiatores protestati sunt per organum ipsius domini Gasparis, quod quia per sacrum concilium sibi inhibitum extitit, ne usque ad certum tempus ad loca sive sessionem se ingererent, ideo non tenebant ipsa loca, quod facerent de facto, nisi esset eis prohibitum per concilium. Verumtamen corde et mente hoc faciebant quantum poterant, et si quis locus eisdem ambassiatoribus domini[l)] ducis Britanie assignaretur, quod iuri ipsius domini ducis Burgundie non preiudicet.

Exadverso dominus archiepiscopus Turonensis, facta huiusmodi protestacione per dictum dominum Gasparem advocatum, respondit hoc modo

[a)] *von Bruneti über der Zeile nachgetragen, P.* [b)] Escaph *R.* [c)] Gubertus *P.* [d)] Missola *R.* [e)] Hushen̄ *P.* [f)] Paris. *fehlt, R.* [g)] Verich *R.* [h)] Carlestenn *P.* [i)] Guessiano Brixinensis *R.* [k)] Subbadi *R.* [l)] locus eiusdem domini *R.*

vel in effectu consimili, videlicet quod summe placuisset dominis ambassiatoribus domini ducis Britanie, quod hec materia pro parte domini ducis Burgundie non fuisset posita in medium, sed non preiudicando honoribus et prerogativis domini ducis Burgundie narravit, in ducatu Britanie esse XI ecclesias cathedrales, protestans nichil dicere nisi inquantum archiepiscopus Turonensis. Dixit[a] quod loca, ubi stant ipsi ambassiatores, sunt loca ubi consueverunt sedere ambassiatores quorumvis dominorum, dum proponere volunt in eorum adventu. Dixit quod dux Andegauensis precedere debet ducem Burgundie, quia filius secundogeniti regis Francie. Dixit quod dux Britanie precedebat ducem Andegauie, antequam esset rex Sicilie, et quod putabat quod omnes Britones pocius malent mori, quam confiteri illud allegatum per dominum Gasparem, quod dux Britanie esset vassallus ducis Morannie[b]. Sunt in Britania tres comites, novem[c] barones qui equiparantur magnis ducibus, XVIII baroneti[d], IIII milia nobilium cum septingentis inveniuntur. In ducatu Britanie sunt portus marini, facit monetam, habet ius regalie ut rex Francie. Legitur quod dux Burgundie est vassallus unius episcopi, et non dux Britanie. Ipse archiepiscopus, dum erat episcopus Leonensis, in consilio regis Francie precessit episcopum Laudunensem parem Francie[e], quia prior promotus in dignitate. Dux Britanie precedit ducem Burgundie in dignitate. Dixit de dignitate ducatus Britanie constare in hoc, quippe et immediate post; quid cavetur de duce Burgundie, videatur etc. Peciit ut honorentur ambassiatores ducis Britanie. Dixit eciam quod concilium fuit magno tempore impeditum circa unam[f] maledictam materiam sedium etc.

Deinde dominus episcopus Cabilonensis alter ambassiatorum dicti domini ducis Burgundie protestatus fuit de ulterius respondendo ipsi domino archiepiscopo Turonensi nomine dicti domini ducis et de verbis iniuriosis per ipsum dominum archiepiscopum in vituperium dicti domini ducis Burgundie et suorum ambassiatorum, videlicet quod ipsius domini ducis ambassiatores sacrum concilium in tantis maledictionibus et turbacionibus hucusque in materia sedium tenuerunt; concludens quod ipse archiepiscopus est inimicus mortalis[g] dicti domini ducis Burgundie.

Deinde ambassiatores domini ducis Britanie, lectis missivis ipsius ducis, proposuerunt per organum cuiusdam abbatis de ordine Cisterciensium ornatum sermonem sub theumate „Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquile.“[1] Quo finito protestati fuerunt de ulterius respon-

[a]) nichil—dixit *fehlt, R.* [b]) Morauie *R.* [c]) IX.e *P.* [d]) barononj *(?) P*, baro . . . *R.* [e]) *statt* Laud.—Fr. *Lücke, R.* [f]) *fehlt, R.* [g]) formalis *P.*

[1] *Matth. 24, 28. Luc. 17, 37.*

dendo ambassiatoribus domini ducis Burgundie, offerentes se velle incorporari, sibi dato et assignato loco debito, quem sibi assignari pecierunt etc.

Deinde dominus cardinalis legatus presidens laudavit sanctum propositum dicti ducis Britanie, regraciando eidem domino duci et suis ambassiatoribus de affectu singulari, quem ipse dux habet ad sacrum concilium, offerendo concilium ad sui beneplacita. Quo ad materiam sedium sacrum concilium taliter deliberabit, quod patres merito contentabuntur.

Die lune fiet missa de S. Benedicto, in qua intersint[a] domini de sacro concilio etc.

Item placuit quod usque ad octabas Pasche inclusive domini de sacro concilio, eorum familiares, venientes et adherentes eidem possint sibi eligere confessorem in simili forma in Paschate preterito concessa.

Quo ad supplicacionem domini episcopi Oziliensis videant domini vicecancellarius et precognitores et eam signent, prout de iure.

Hocidem placuit de supplicacione domini archiepiscopi Rigensis.

Quo ad materiam Treuerensem dominus Vlricus, qui se asserit electum etc., promisit stare personaliter in sacro concilio usque ad octabas Pasche, et hoc modo sacrum concilium prorogat salvumconductum ultimum sub eisdem modo et condicionibus in eodem ultimo salvoconductu concessis usque ad quindenam[b] post Pascha inclusive pro se et suis, ita tamen quod sui poterunt secure ire et redire, citacione sacri concilii contra eundem dominum Vlricum debite execucioni demandata in suo vigore remanente, de quo promotores sacri concilii expresse protestati sunt etc.

Item ad audiendum partes hincinde super ecclesia Treuerensi contendentes et laborandum pro concordia inter ipsas, quantum possibile fuerit, fuerunt deputati cum reverendissimo patre domino cardinali legato reverendissimi patres domini cardinalis Firmanus, archiepiscopus Lugdunensis et episcopus Vizensis de nacione Yspanica.[c]

PR] Nota quod die sabbati vigilia sancti Pasche[1] fuerunt duo, unus socius et una iuvenis mulier, staffaldati et mitrati, quia die veneris sancta cognoverunt se carnaliter[d]; et socius fuit ter in Reno[e] proiectus.

Ab ista die veneris[2] ob reverenciam ebdomade sancte et festa pascalia fuerunt ferie usque ad diem que sequitur.

[a]) Die lune fuit festum beati Benedicti et missa in qua interfuerunt *R.* [b]) XV^am^ *P*, XV. *R.* [c]) *der Absatz ist im Cod. Ottobon. f. 246^b^ auszüglich wiedergegeben.* [d]) mulier capti et puniti ex eo quod cognoverunt se carnaliter die veneris sancta *R.* [e]) Regno *P.*

[1] *März 27.* [2] *März 19.*

PR] Die martis post Pascha[a] penultima mensis marcii M°iiij°xxxiiij° fuit congregacio generalis, in qua more solito fuerunt incorporati, missa solemni finita, reverendissimus pater dominus cardinalis Cippri[b], episcopus Ebrodonensis[c], abbas monasterii S. Stephani Herbipolensis diocesis, dominus Gardinus de Palma auditor, frater Johannes de Cipro baccallarius formatus in theologia, frater Nicolaus Rozembergh[d] prior Selle domine Pauline[e] pro abbate, frater Theodericus Mersembergh camerarius monasterii S. Marie in Reinersthoph[f] Maguntine diocesis pro abbate.

Duo domini ambassiatores domini regis Cippri, unus miles et alter doctor, lectis prius litteris ipsius domini regis per eos presentatis, doctor proposuit excusaciones, propter quas tam diu[g] tardavit ipse dominus rex ad sacrum concilium mittere[h], requirentes sacrum concilium ipsi ambassiatores, ut eis dare habeat deputatos, cum quibus habeant tractare aliqua ardua negocia sibi per suum dominum regem iniuncta.

Item quia ipse doctor proponens nominavit dominum suum regem regem Jherusalem, dominus episcopus Dignensis alter ambassiatorum domini regis Ludouici regis Sicilie protestatus est, quod per huiusmodi nominacionem nunc et[i] in futurum [non] fieret preiudicium domino suo regi Sicilie etc.

Dominus cardinalis legatus, facta collacione per dictum doctorem, laudavit sanctum et bonum propositum prefati domini regis Cippri, regraciando dicto domino regi de tanto zelo, quem habet ad sacrum concilium, similiter et suis ambassiatoribus, offerens sacrum concilium ad eorum beneplacita et ad presidium exhibendum.

Fuit ordinatum quod die crastina fiant deputaciones, in quibus dentur deputati, coram quibus poterunt exponere quicquid voluerint ambassiatores regis Cipri.

Hiis peractis ipsi duo ambassiatores nomine ambassiatorio ipsius domini regis concilio fuerunt incorporati.

Doctor existens cum ambassiatoribus domini generalis ordinis Rodi narravit multa privilegia per sedem apostolicam concessa, virtute quorum ipse ordo semper hactenus ab omni onere et exactione liber fuit et esse debet. Quare supplicavit, quod attentis auxiliis per eundem dominum generalem regi Aragonum et diversis dominis ad debellandum inimicos Christi diversis vicibus impensis, sacrum concilium dignetur dare deputatos, coram quibus possint ipsi ambassiatores dicere quicquid voluerint etc.

[a]) martis Poscha *P.* [b]) de Cypro *R.* [c]) Ebredonensis *R.* [d]) Rozenbergh *R.* [e]) dom. Paul. *fehlt*, *R.* [f]) Rempstorph *R.* [g]) tam diu *fehlt*, *R.* [h]) *fehlt*, *P.* [i]) innuit aut *R*, *statt* nunc et.

Dominus cardinalis legatus tanquam presidens concilii exhortatus est concilium, ut circa materiam reformacionis velit intendere et presertim circa illa duo decreta de symonia et concubinatu. Et videbatur sibi quod deputaciones singulis diebus lune et martis circa materiam reformacionis solum deberent intendere. Item fiat declaracio, quod papa potest committere symoniam.

Deinde ipse dominus cardinalis legatus legit articulatim formam decreti contra symoniacos, dando motiva per que videbatur sibi, quod in forma concepta debebat sic transire; nichilominus referebat se ad deputaciones, que mature super hoc possent deliberare etc.

Domini ambassiatores domini regis Francie surrexerunt in medium et inter cetera per organum domini Lugdunensis dixerunt, quod antequam transiret huiusmodi decretum, videbatur eis quod domini legati ad presidendum admitterentur. Quo vero ad articulum de annatis dixerunt, quod quando assumentur cardinales de singulis nacionibus, quelibet nacio providebit suis cardinalibus de neccessariis.

Dominus patriarcha Anthiocenus proposuit, quod non stat per sacrum concilium, quominus admittantur domini legati domini nostri pape. Nam ipsi legati nolunt approbare decretum Constanciensis concilii de auctoritate conciliorum etc.

Dominus cardinalis S. Petri excusavit dominos cardinales.

Dominus archiepiscopus Turonensis aperuit motiva, per que sine difficultate omnia bene prosperabuntur etc. et omnia possunt reduci ad bonam concordiam.

Item quod dentur deputati pro pace Francie.

P] Die mercurii ultima marcii in deputacione pro communibus ad audiendum quicquid voluerint dicere et proponere ambassiatores domini regis Cipri et generalis ordinis Rodi cum aliis deputatis aliarum deputacionum et referendum deputacionibus fuerunt deputati domini Lugdunensis archiepiscopus [a], Cumanus et Lubicensis episcopi.

Placuit quod alias deputati pro pace Francie conveniant hodie et aliis diebus cum domino cardinali legato et deputatis aliarum deputacionum et provideant attente circa huiusmodi pacem.

Ad adeundum dominum imperatorem et impetrandum Karolinam et dare executores fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis et Lubicensis episcopus [b].

Quo ad supplicacionem fratris Radulphi Godart electi in priorem prioratus S. Sanxonis Aurelianensis dati sunt deputati domini Pergamensis

[a] archiepiscopi *P.* [b] episcopi *P.*

et Constanciensis episcopi, qui videant et examinent contenta in supplicacione et referant.

Pro parte deputacionis pacis relatum est, ipsam dedisse deputatum[a] ad audiendum proponenda per ambassiatores regis Cipri et referendum archiepiscopum Cretensem.

Ad conveniendum cum deputatis aliarum deputacionum et videndum de modo se gerendi in prosecucione pacis Francie fuerunt deputati episcopus Vticensis et abbas Virziliacensis.

Ad audiendum ambassiatores generalis ordinis Rodi fuerunt deputati archiepiscopus Cretensis et episcopus Foroiuliensis.

Dominus Johannes canonicus Hiseldemensis obtinuit licenciam recedendi.

A dominis deputatis ad audiendum excusaciones etc. dominus Petrus de Trillia archidiaconus Lodouensis[b] obtinuit licenciam recedendi usque ad tres menses incohandos a tempore sui recessus a concilio.

Lectis duobus primis capitulis decreti de symonia, placuerunt huiusmodi duo decreta in forma, ita quod intelligantur pro tempore futuro. Item provideatur circa episcopos titulares. Item ponatur alius terminus loco illius termini „erroneam“.

Pro presidente instantis mensis aprilis fuit electus presidens dominus episcopus Lubicensis.

Pro dominis de duodecim fuerunt nominati domini episcopus Lausanensis continuatus, decanus Eistetensis et Gerardus de Columpna.

Pro custodia clavis fuit deputatus dominus Jacobus Alberti.

Dominus imperator personaliter accessit ad sacram deputacionem, rogando et exhortando dominos de eadem deputacione, quod velint intendere et deliberare circa presidenciam dominorum legatorum domini nostri pape omnibus postpositis, ut sacrum concilium circa reformacionem possit intendere. Item recommendavit factum dominorum ambassiatorum racione sedium etc. Item similiter materiam ecclesie Lausanensis, in qua petit quod per sacrum concilium procedatur eodem modo, quo fit in causa ecclesie Treuerensis etc.

P] Die iovis prima aprilis in deputacione pro communibus quo ad requestam domini imperatoris concernentem ecclesiam Lausanensem, scrutatis singulorum votis dominorum, nemine discrepante placuit, quod per sacrum concilium procedatur eisdem modo et forma, quibus proceditur in causa Treuerensi, videlicet quod vocentur personaliter partes hincinde et procedatur in eadem summarie simpliciter et de plano, sola facti veritate inspecta, observent[ur]que decreta sacrorum Constanciensis et Basiliensis conciliorum.

[a]) deputatos *P.* [b]) Lodom̄ *P.*

Quo ad requestam electi in priorem S. Sampsonis Aurelianensis, facta relacione per dominos deputatos de contentis in requesta, scrutatis bina vice votis singulorum dominorum, placuit maiori parti quod causa comittatur domino cardinali Placentino, coram quo nunc causam dicitur ventilare.

Pro parte reformatorii relatum est ipsam deliberasse, quod hodie conveniant deputati super presidencia cum reverendissimo domino cardinali legato et concludant de relacione fienda die sabbati in deputacionibus.

P] Eadem die dominus decanus Cabilonensis procurator capituli Parisiensis obtinuit a domino cardinali legato licenciam recedendi usque ad sex menses immediate sequentes.

Eadem die dominus episcopus Malleacensis obtinuit dilacionem termini a dominis deputatis usque ad festum Nativitatis S. Johannis Baptiste.

PR] Die veneris II[a] aprilis M[o]iiij[C]xxxiiij[o] fuit congregacio generalis, in qua more solito fuerunt incorporati domini Petrus de Mera, Guillermus Gerardi de Ledis[a)] decretorum doctores pro episcopo et clero Traiectensibus, promittentes producere sufficiencius mandatum infra duos menses, magister Guillermus Gerardi magister in artibus et baccallarius in theologia Parisiensis, dominus Hermannus Regelhusen[b)] canonicus Padeburnensis pro capitulo, frater Martinus de Senghin religiosus[c)] monasterii Medligensis[d)] ordinis S. Benedicti Patauiensis diocesis pro abbate, domini episcopi Metensis et Croyensis[e)], Henrricus de Alba baccallarius in decretis et canonicus Metensis, Johannes capellanus domini episcopi Metensis[f)], dominus Philippus de Fontenellis[g)] licenciatus in decretis decanus et canonicus Aquilegiensis, Doringocius de Melssio[h)] canonicus Aquilegiensis, ambo pro capitulo Aquilegiensi, Jacobus de Gramineis[i)], dominus Nicolaus de Spataronis[k)] canonici ecclesie Ciuitatensis pro capitulo eiusdem ecclesie, domini Marcus de Maronibus decretorum doctor pro clero diocesis Cumane, abbas Doue Aniciensis diocesis, magister Johannes de Stampis licenciatus in legibus cantor ecclesie Bituricensis pro capitulo Bituricensi[l)], magister Ludouicus de Monteliano in artibus et medicina doctor, magister Volcmarus[m)] de Halis[n)] magister in artibus et licenciatus in decretis, magister Henrricus de Jancussio[o)] decretorum doctor presbiter, Marchus de Tanda[p)] archidiaconus in ecclesia Cretensi sciens litteras grecas, Henrricus Boydembergh[q)]

[a)] Ledic *P.* [b)] Righengulsen *P.* [c)] Senghenr. *R, satt* Seng. rel. [d)] Medlug̃ *R.* [e)] dom.—Croy. *fehlt, R.* [f)] dicti domini ep. Met. pro domino episcopo *R.* [g)] Fonte uallis *R.* [h)] Demgocius de Melsso *R.* [i)] Grauch. *R.* [k)] Spatarinis *R.* [l)] pro cap. Bit. *wiederholt, P.* [m)] Volcmarus *P.* [n)] Hallis *R.* [o)] Imcussio *R.* [p)] Marcus de Cauda *R.* [q)] Boydemborch *R.*

archidiaconus Parginensis[a] in ecclesia Swerinensi[b], frater Angelus prior monasterii S. Mathie de Moriano[c] Camaldulensis ordinis Torsselanensis diocesis.

Lectis concordatis per dominos deputatos de duodecim super supplicacione electi in priorem S. Sampsonis Aurelianensis, fuit conclusum per organum reverendissimi domini cardinalis legati et presidentis, quod causa confirmacionis dicti electi auctoritate sua committatur[d] et commissa fuit reverendo patri domino episcopo Aurelianensi iuxta avisata trium deputacionum concorditer deliberancium.

Nichilominus tamen ipse reverendissimus pater dominus cardinalis legatus rogavit dictum dominum episcopum Aurelianensem, ut per aliquos dies velit supersedere a procedendo in huiusmodi negocio, donec pars adversa audita fuerit in deputacionibus, si aliquid proponere voluerit.

Item similiter in causa domini Johannis Ricardi abbatis monasterii S. Audoeni[e] Rothomagensis, lectis deliberacionibus deputacionum placuit et fuit conclusum, quod iuxta avisamenta trium deputacionum concorditer deliberancium dominus episcopus Olomucensis procedere habeat in causa.

Dominus episcopus Olomucensis requisivit nomine imperialis maiestatis, quod in materia ecclesie Treuerensis nichil concludatur, quousque ipse dominus imperator loqutus fuerit cum dominis deputatis in huiusmodi causa; nam ipse dominus imperator credit in causa aliquam bonam concordiam invenire.

In ipsa causa Treuerensi pro parte nobilium adherencium domino Vlrico etc. per dominum Nicolaum de Cusa[f] certe cause adiuncte fuerunt et proposite, videlicet de privilegiis imperialibus, que [non] nisi coram imperatore, ut asseruit, deduci possunt, que ecclesie Treuerensi concessa sunt; item de iuramentis ipsorum nobilium super observacione ipsorum privilegiorum; item de quadam bulla a sacro concilio emanata, per quam videtur ecclesiam Treuerensem episcopo Spirensi adiudicatam fore. Ideo si se ordinacioni sacri concilii submitterent[g], videretur ipsos approbare execucionem dicte sentencie, et idcirco ille sunt cause, propter quas ordinacioni sacri concilii se submittere non possunt, et hocidem allegaverunt coram imperiali maiestate. Obtulerunt tamen viam pacis recipere, ymo de hoc supplicarunt.

Ipse eciam dominus Nicolaus et decanus beate Marie Wesaliensis, in citacione concilii comprehensi, pro se ordinacioni sacri concilii se submittentes, obtulerunt se de propositis et allegatis alias in hac causa pro parte sua probabiliter docere, si in deputacionibus huiusmodi proposita

[a]) Pergamensis *R.* [b]) Swennensi *R.* [c]) Mathee de Mariano *R.*
[d]) dicti prioratus comittatur. *R.* [e]) Audonei *R.* [f]) Cosera *P.* [g]) se subm. *P.*

et allegata ponantur et super hiis audiantur. Item similiter docere et de non iure domini episcopi Spirensis ad ecclesiam Treuerensem, eciam si dominus Vlricus electus non fuisset. Dictus dominus decanus beate Marie Wesaliensis protestatus est, ut in cedula, vel in effectu.

Ad premissa ex parte sacri concilii per dominum cardinalem legatum responsum extitit, illa non adducere aliquid, propter quod non debeant se submittere ordinacioni sacri concilii, adducendo raciones ad hoc evidentes. Et ideo hortatus est dictum dominum Vlricum assertum electum et nobiles cum eo existentes, ut se submittant sacro concilio.

Item quia dominus cardinalis legatus in[a)] suis responsionibus et exhortacionibus dixerat, quod si non vellet ipse dominus Vlricus se submittere, multi possint dicere ipsum querere subterfugia, dictus dominus Vlricus respondit, quod salva reverencia ipsius domini cardinalis legati non querebat nec sui querebant subterfugia. De huiusmodi verbis officialis Basiliensis nomine promotorio peciit instrumentum.

Deinde ex parte sacri concilii, iterum verba sua dirigens dicto domino Vlrico et nobilibus adherentibus eidem, in effectu dixit, quod sacrum concilium intendebat sibi bonam iusticiam ministrare et non procedere in hac causa cum rigore iuris, ita quod propter hoc terreri debeant, dummodo velint remanere adhuc in hoc concilio. Quod si hoc non velint facere, concilium protestabatur quod nichilominus sacrum concilium ulterius per viam iuris in hac causa intendit procedere; et ideo sub illa condicione, quod non recedant, sacrum concilium prorogavit sibi salvumconductum alias sibi concessum ad octo dies inde sequentes.

Tandem expositis hiis que superius allegata sunt, de mandato sacri concilii per organum fratris Petri religiosi ordinis S. Augustini in vulgari theutonico, ut ipsi nobiles intelligerent, et responso in vulgari per quendam militem de adherentibus eidem domino Vlrico et exposito per eundem fratrem Petrum in latino, quia ipsi dominus Vlricus et nobiles dixerunt super hiis velle maturius deliberare, pecierunt quod darentur eis deputati, coram quibus vel coram domino legato possent suum super hoc dare responsum. Super quo fuit ordinatum et placuit, quod die crastina hora tercia post meridiem super suis propositis dare debeant coram deputandis vel domino cardinali legato responsum suum.

P] Die sabbati tercia mensis aprilis in deputacione pro communibus abbas S. Marie de Jubino Cisterciensis ordinis Januensis diocesis obtinuit licenciam recedendi.

Quo ad requestam domini ducis Guillermi, concernentem abbaciam de Ebesbergh, commissa est domino cardinali legato in forma, qua bone

[a)] michi *P.*

memorie domino cardinali S. Eustacii commissa fuerat, iuxta eciam avisamenta trium deputacionum hocidem concorditer deliberancium.

Super requesta domini episcopi Lubicensis, requirentis dispensari a iuramento per eum prestito de visitando limina apostolorum etc., placuit quod reverendissimus dominus cardinalis legatus dispenset, ut petitur.

Quo ad subsidium caritativum per eum petitum placuit, quod ipse recipiat a subditis, et expediatur sub bulla in forma, qua alii domini prelati habere consueverunt.

Quo ad supplicacionem Karoli de Thugny et Johanne de Bruile, petencium expediri supplicacionem per dominum nostrum papam seu de eius mandato signatam, placuit si constiterit de supplicacione originali, quod expediantur littere oportune per cancellariam et sub bulla sacri concilii, ut petitur etc.

Super supplicacione Victoris de Wysot, petentis dispensari super deffectu cognacionis spiritualis, placuit quod reverendissimus dominus cardinalis S. Crucis legatus provideat supplicantibus, prout sue consciencie videbitur.

Quo ad supplicacionem comitis de Ottinghen in favorem Johannis Stuphart, petentis dispensari quod possit promoveri ad omnes sacros ordines, placuit quod reverendissimus dominus cardinalis legatus, attentis persone condicionibus, dispenset auctoritate sacri concilii, prout sibi videbitur.

Dominus dux Guillermus, episcopus Patauiensis et quidam comes nomine imperialis maiestatis exhortati sunt dominos, quod velint cogitare de bonis mediis pacificandi dominos contendentes de sessionibus etc.; nam domini electores, nisi super hoc celeriter provideatur, non intendunt contribuere semidecime.

Domini prepositus Lausanensis et Humbertus de Chissiaco nomine domini ducis Sabaudie necnon electi et canonicorum ecclesie Lausanensis requisiverunt, ut domini de deputacione pro communibus vellent suam ultimam deliberacionem ad instanciam domini imperatoris factam emendare, offerentes ob hoc requestam, quam instanter requisiverunt publice legi et vota super hoc scrutari.

Item dominus episcopus Lausanensis, quia predicti nominaverunt eum episcopum Auinionensem, per quod asseruerunt [a] ipsum fuisse promotum, peciit de hoc instrumentum etc.

Deputacio pacis retulit continuasse materiam dominorum ambassiatorum dominorum principum contendencium de sedibus per totum istum mensem aprilis in statu, in quo nunc est.

Die lune deliberetur de sedibus etc.

[a]) *undeutlich, P.*

P] Die lune quinta aprilis M°iiij^{c}xxxiiij° in deputacione pro communibus, facta relacione per dominos deputatos ad examinandum requestas, super requesta domini Henrrici auditoris camere placuit, quod dominus episcopus Vratislauiensis vel capitulum, si ad eos de iure communi hoc pertineat, recepta prius et admissa resignacione canonicatus et prebende ecclesie Wratislauiensis per dominum Henrricum Flekel auditorem possessorem in manibus domini episcopi vel capituli aut eius nomine facienda, huiusmodi canonicatum et prebendam auctoritate sacri concilii conferre possit illi, quem ipse dominus Henrricus auditor duxerit nominandum, non obstantibus reservacione et aliis in dicta requesta contentis, ut petitur.

Quo ad requestam illius pauperis, petentis litteras ad questandum cum indulgenciis, si constiterit per legitima documenta de assertis, placuit quod supplicans habeat litteras a sacro concilio recommendatorias.

Super requesta Symonis de Landriano et Anthonie de Aduocatis de Mediolano, petencium secum super matrimonio iam carnali copula subsequta contracto dispensari, commissa est huiusmodi supplicacio reverendissimo domino cardinali Placentino, qui dispenset cum supplicantibus et provideat, ut pet[it]ur.

Ad conveniendum cum domino cardinali legato et deputatis aliarum deputacionum et concordandum de pecuniis habendis cum aliquibus religionibus pro succursu civitatis Pilzne per Bohemos obsesse fuit deputatus dominus episcopus Constanciensis.

Quo ad materiam pacis regni Francie, facta relacione per dominum episcopum Lausanensem de gestis per dominos deputatos super huiusmodi materia etc., placuit quod[a] pro ambassiata mittenda ad dominos reges Francie et Anglie necnon ducem Burgundie mittantur divisim reverendissimi patres domini cardinales de Cipro et S. Petri ad vincula, qui secum prelatos assumant et doctores, quos voluerint; et rogetur dominus imperator, ut aliquos de suis nomine imperialis maiestatis pro huiusmodi ambassiata [deputet][b].

Pro parte deputacionis pacis extitit relatum, quod ipsa noluit deliberare in materia Lausanensi, attento quod dominus dux Sabaudie dixit, se habere interesse in hac materia, et potest esse bonus mediator circa pacem Francie, ne indignetur ipse dominus dux; requirens ipsa deputacio pro pace, quod hec materia pro nunc suspendatur.

Item quod ipsa deputacio pacis dedit deputatos ad rogandum dominum cardinalem de Cipro, ut velit assumere onus ambassiate ad Franciam, et recipiat prelatos vel doctores sibi gratos.

[a]) quod *über der Zeile, P.* [b]) *P fährt ohne Absatz fort.*

Item ad conveniendum cum domino legato et deputatis deputacionum pro succursu Pizne elegit ipsa deputacio pacis abbatem Virziliacensem.

Domini de deputacione reformatorii elegerunt dominos cardinalem de Cipro et S. Petri ad vincula pro legatis mittendis ad dominos reges Francie et Anglie ac dominum ducem Burgundie.

Quo ad materiam sedium etc. deliberavit ipsa deputacio reformatorii, quod dominus cardinalis legatus recipiat et vocet quos voluerit pro concordia, et si fieri non possit, fiat iusticia.

P] Die martis VI[a] aprilis in deputacione pro communibus pro parte serenissimi imperatoris fuit oblata cedula concernens materiam presidencie,[1] super qua nonnulli domini de[a)] deputacione sua dederunt vota; sed quia hora erat tarda, continuata sunt vota usque ad diem crastinam.

Dominus episcopus Albinganensis, interim quod scrutabantur vota super eadem materia presidencie, requisivit dominos de dicta deputacione, quod super pecuniis per eum nomine concilii [receptis] a quibusdam prelatis et aliis camere apostolice debitis, antequam admittantur legati domini nostri pape, vel saltem post, sacre deputaciones velint taliter providere, quod concilium nec ipse dominus thesaurarius et officiales camere sacri concilii non paciantur incommodum etc.

P] Die mercurii VII[a] aprilis in deputacione pro communibus pro parte reformatorii relatum est, ipsam deputacionem deliberasse super materia presidencie, videlicet quod placuerunt articuli compositi per deputatos sacri concilii et concordati cum ambassiatoribus domini nostri pape, scilicet quod incorporentur ut private persone et postea iurent nominibus suis propriis, deinde quod admittantur ad presidendum cum clausulis et condicionibus per deputatos sacri concilii factis. Item quando admittentur, prestent iuramentum sacro concilio de fideliter exercendo dictum officium ad laudem et honorem sacri concilii cum aliis clausulis neccessariis.

Item quantum ad renovacionem decreti concilii Constanciensis de potestate conciliorum placuit, quod dictum decretum post admissionem renovetur in sessione publica.

Item quod componatur una bona forma decreti super premissis, in qua extendantur articuli avisati ad longum. Pro qua facienda sunt

[a)] de *über der Zeile, P.*

[1] *M. C. 2, 644.*

deputati alias et ultimo deputati, qui conveniant cum domino cardinali legato et referant.

Item pro parte deputacionis de fide relatum est, quod placuerunt avisamenta dominorum deputatorum et cedula oblata per dominum imperatorem super materia presidencie, et quod ipsi domini legati admittantur ad presidendum et nenovetur decretum de auctoritate conciliorum. Et ad componendum decretum admissionis ipsorum dominorum legatorum fuerunt electi prius deputati.

In deputacione pro communibus:

Super materia presidencie legatorum domini nostri [pape, scrutatis singulorum votis dominorum, fuerunt lij vota, quod domini legati sanctissimi domini nostri pape nomine eiusdem ad presidendum in hoc sacro concilio admittantur iuxta cedulam per serenissimum dominum imperatorem dominis ad hoc ultimo deputatis oblatam, cum modificacionibus et clausulis per ipsos dominos deputatos avisatis. Sunt xiiij vota, quod renovetur decretum Constanciense in sessione publica, ipsis dominis presidentibus presentibus, qui huiusmodi decreto consensum prebeant, quodque requiratur serenissimus dominus imperator nomine sacri concilii, ut serenitas sua habeat eosdem dominos legatos ad hoc faciendum exhortari. Sunt quinque vota cum dominis XLIX primo deputatis et duo vota cum deputacione reformatorii.

Et ad componendum formam decreti super huiusmodi admissione cum reverendissimo domino cardinali legato fuerunt nominati domini ultimo super hac materia deputati.

Super materia domini L[udouici] episcopi Lausanensis, scrutatis votis dominorum, placuit quod deliberacio ultimo in dicta deputacione capta in favorem serenissimi domini imperatoris suum sorciatur effectum et locum habeat.

P] Die iovis octava aprilis in deputacione pro communibus supplicacio domini Gerardi Brant ambassiatoris domini comitis Palatini Reni commissa est dominis episcopo Pargamensi et Henrrico Flekel auditori, qui constito de assertis exequantur ut petitur.

Super supplicacione Reginaldi Fabri, habentis graciam in forma communi pauperum, placuit oppinio deputacionis fidei, videlicet quod per procuratorem possit acceptare virtute gracie expectative beneficium.

Quo ad supplicacionem fratris Natalis de Veneciis vicarii generalis ordinis Carmelitarum placuit, quod iudex, coram quo lis pendet, procedat summarie etc., sola facti veritate inspecta, ut petitur, et iusticiam faciat.

Quo ad materiam dominorum ambassiatorum dominorum principum

contendencium de sedibus etc. placuit, quod hec materia prorogetur usque ad XX dies et partibus hincinde inhibeatur sub penis, ut prius etc. Quod et factum est in scriptis, prout retulit cursor.

Quo ad requestam domini decani Autissiodorensis, attento quod constat de mandato, qualiter pro parte dominorum de capitulo ecclesie Autissiodorensis est hic in concilio procurator missus, placuit quod idem de capitulo prouideant dicto decano de expensis et neccessariis preteritis et futuris.

Quo ad supplicaciones que porriguntur in deputacionibus, ut sacre deputaciones valeant circa materiam reformacionis et alias arduas materias sacrum concilium concernentes commodius intendere, placuit quod reverendissimus dominus cardinalis Rothomagensis vicecancellarius aut eius locumtenens necnon domini precognitores, vocatis secum duobus vel tribus abreviatoribus, huiusmodi supplicaciones tam graciam quam iusticiam in se continentes videant et examinent et super ipsis prouideant, prout eis videbitur.

Supplicacio fratris Ottonis de Ottobonis commissa est ordinario loci, qui constito de assertis in supplicacione summarie et de plano prouideat supplicanti ut petitur.

Quo ad requestam decani Aberdonensis placuit oppinio reformatorii, videlicet quod committatur dicta requesta ordinario, qui examinata diligenter electione, si aliud non obstet canonicum, dictam electionem confirmet suppleatque deffectus, si qui sint in non observacione solemnitatum decretorum huius sacri concilii.

Super supplicacione capituli Verdensis placuit, quod si constiterit de notorio, non audiantur appellantes.

PR] Die veneris IX[a] mensis aprilis M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali fuerunt incorporati more solito episcopus Patauiensis, episcopus[a] Torsselanus[b], dominus Aymericus de Harpaione pro episcopo Vabrensi[c], dominus Johannes de Mutonibus et dominus Petrus Ridonis[d] pro capitulo ecclesie Taruisine[e], magister Anthonius Procheti[f] licenciatus in decretis officialis Agathensis pro se et episcopo Agathensi[g], magister Thomas Francisci pro magistro L[udovico] de Borreya decano[h] ecclesie Baiocensis, magister Guillermus Coulieti[i] litterarum apostolicarum abbreviator, dominus Petrus de Sopia utriusque iuris doctor, magister Petrus de Vicomercato magister in theologia ordinis Minorum, magister Robertus au Clou[k] procurator domini ducis Burgundie, Henrricus de Limphiis[l] decre-

[a]) episcopus *fehlt*, *P.* [b]) Torselanus *R.* [c]) Vaprensi *R.* [d]) Ridon̄ *P*, Rubeñ *R.* [e]) Carnisiñ *R.* [f]) Prorocheti *P*, Piotheci *R.* [g]) Aghatensi *R.* [h]) mag. Ludouico decano *R.* [i]) Couleti *R*, Coulien (?) *P.* [k]) Oclow *R.* [l]) Limphis *R.*

torum doctor, frater Ypolitus de Cunis doctor in theologia et decretis ordinis Minorum, frater Augustinus de Monte provincie Marchie minister[a] de mandato domini legati.

Dominus dux Barrensis[b] et Lotharingie[c] accessit ad congregacionem generalem et habuit locum inter dominum cardinalem legatum et presidentem et cardinalem Bononiensem. In cuius presencia dominus archiepiscopus Turonensis proposuit, recommendando sacro concilio personam ipsius domini ducis offerendoque personam et bona ad beneplacita ipsius. Similiter recommendavit negocia dominorum Francie et Sicilie dicti ducis fratris regum[d] etc.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii de oblacionibus per dictum dominum ducem Barrensem per organum domini archiepiscopi Turonensis factis regraciatus est[e] ipsi domino duci, offerens concilium ad ipsius beneplacita.

Placuit quod quando dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii prohibet alicui quod taceat, talis habeat silere etc.

Dominus decanus de Salceya, postquam ipse dominus dux Barrensis recessit, excusavit dominum comitem Vallemoncium, protestatus nomine ipsius domini comitis, quia prefatus dominus archiepiscopus Turonensis in sua proposicione vocaverat dictum dominum ducem Barrensem ducem Lotharingie, quod propter huiusmodi vocacionem eidem comiti nullum preiudicium generaret.

Lectis litteris credencialibus civium Pilzne, frater Nicolaus ordinis Minorum nomine eorundem civium, regraciato prius per eum de IIII milibus et V^{c}[f] florenis per eos[g] a sacro concilio receptis, supplicavit quatenus inceptum opus velit sacrum concilium usque ad optatum finem deducere etc.

Finita proposicione ipse frater Minor dedit nomina capitaneorum veniencium de Bohemia ad concilium et imperatorem, que sequntur: Johannes Salzco[1] supremus capitaneus Orphanorum, Johannes Calowez[h][2] capitaneus eciam Orphanorum, Andreas Karifka[i][3] supremus capitaneus antiquorum Thaboritarum, Biwysse[k][4] capitaneus Orphanorum, Sigismundus capitaneus Campestrorum, presbiter Procopius Parvus presidens Orphanorum, de parte illorum de qualibet civitate duo etc.

Reverendissimus pater dominus cardinalis legatus recommendavit dominis de sacro concilio factum dictorum civium, rogans ut illi, qui nundum subvenerunt, subveniant etc.

[a]) *fehlt, R.* [b]) Barensis *R.* [c]) Lothoringie *R.* [d]) regum *fehlt, R.* [e]) *fehlt, P.* [f]) C.V *R.* [g]) pro eis *R.* [h]) Rolewes *R.* [i]) Kariska *R.* [k]) Bewysse *R.*

[1] *Czapko.* [2] *Kralowez.* [3] *Kersky.* [4] *Swojse. Vgl. auch 1, 261.*

Placuit quod deputati per sacrum concilium transituri obviam Bohemis venturis habeant facultatem similem, quam habuerunt primi deputati, videlicet relaxandi cessum a divinis per loca per que transire debent.

Facta relacione per dominum Petrum de Sopia decretorum doctorem de singulis per eum auctoritate litterarum sacri concilii in provinciis Biturícensi et Turonensi ac aliis locis [peractis] venerabiles viri domini et magistri Matheus Mainage[a] et Guido de Versellis, quia ipse dominus Petrus auctoritate qua supra plures prelatos non exemptos, presertim de diocesi Andegauensi, ad veniendum ad hoc sacrum concilium infra certum terminum eis prefixum sub certis penis et censuris monuerat, qui tamen de iure nec de consuetudine ad sacra concilia venire nec mittere tenentur, supplicarunt sacro concilio, quod premissis attentis concilium dignaretur tales habere excusatos et declarare, eosdem huiusmodi penas et censuras minime incurrisse, et alias super hoc ipsis misericorditer providere. Super quo placuit et fuit conclusum, quod reverendissimus dominus archiepiscopus Turonensis dictorum prelatorum metropolitanus super hiis auctoritate concilii valeat providere.

Dominus Symon de Theramo advocatus pro parte ambassiatorum domini ducis Britanie ad obiectus propositos pro parte domini ducis Burgundie respondit, quod ipse dux Burgundie tanquam par[b] Francie est vassallus regis Francie. Item ad hoc quod dixit advocatus, quod dux Britanie esset vassallus ducis Normanie, dixit nunquam hoc fuisse auditum. Item dixit quod dux Burgundie non est ita propinquus stipiti regis Francie sicut dux Britanie, qui attingit regi Francie[c] in tercio gradu. Item precedit duces Andegauie et Aurelianensem, qui in secundo gradu attingit regi Francie. Item dixit quod dux Britanie antiquitus titulum regium habuit.

Hiis propositis pecierunt ambassiatores ducis Britanie incorporari et locum sibi debitum dari.

Deinde dominus Gaspar ad proposita domini Symonis pro et nomine domini ducis Burgundie seriose et articulatim respondit, concludens dominum ducem Burgundie dictum ducem Britanie preferri debere, et hoc obtulit nomine domini ducis Burgundie per iusticiam prosequi velle.

Dominus Symon de Theramo replicavit contra dicta domini Gasparis, asserens quod dux Britanie non est vassallus regis Francie illo modo, sicuti est dux Burgundie.

Hiis hincinde propositis, decanus de Salceya[d] pro honore corone Francie peciit in proxima congregacione audiri, de qua peticione peciit instrumentum.

[a]) Magnani *R.* [b]) pars *R.* [c]) sicut—Francie *fehlt*, *R.* [d]) Galceya *R.*

Domini ambassiatores domini regis Francie pro et nomine ambassiatorio protestati sunt, quod propter huiusmodi discordias ortas inter predictas partes non preiudicetur honori corone Francie etc.

Partes hincinde dominorum ducum Burgundie et Britanie protestati sunt, quod per ea que dicta sunt vel dicenda in futurum non dicunt nisi in quantum faciunt pro causa sua, non preiudicando alicui viventi.

Sub spe pacis in materia Treuerensi placuit, quod salvusconductus datus domino Vlrico prorogetur iterum ad octo dies cum clausulis et modificacionibus, ut prius etc.

Nobiles de Grimaldis per organum nobilis Nicolai de Grimaldis pecierunt, protestati sunt et alias fecerunt in materia eorum, concernente quoddam castrum, ut asseritur, de episcopatu Grassensi olim per quosdam summos pontifices alienatum et datum ipsis nobilibus, prout in quaterno papireo per eos oblato lacius continetur. Quibus dominus legatus respondit, quod hora erat tarda, idcirco eos remisit ad deputaciones. Qui responderunt se non velle ire quia, ut asserebant, non poterant consequi iusticie complementum etc. De quibus pecierunt instrumentum, quod obtinuerunt, prout cavetur in minuta etc. super hoc confecta.

P] Eadem die dominus Guillermus de Saueignaco clericus domini episcopi Autissiodorensis recepit a Benedicto et Anthonio de Albertis campsoribus bullas provisionis dicti episcopatus numero novem. Et promisit ipse Guillermus expediri facere recognitoriam sub sigillo et signeto episcopi Autissiodorensis eisdem Benedicto et Anthonio sub eadem forma ipsis tradita. Presentibus Hart[m]ano Connemkamp presbitero Leodiensis diocesis et Hermanno Wynkelsten clerico Pateburgensis diocesis.

P] Die sabbati X[a] aprilis in deputacione pro communibus quo ad requestam dominorum de capitulo ecclesie S. Aniani extra muros Aurelianenses, concernentem unionem factam de prioratu S. Sampsonis ad dictam ecclesiam S. Aniani, quia in congregacione generali fuit commissa causa confirmacionis electionis prioris dicti prioratus domino episcopo Aurelianensi ordinario loci, placuit sacre deputacioni pro communibus, eciam ad hoc interveniente parcium consensu, quod ipse dominus Aurelianensis episcopus de causa huiusmodi unionis pendente[a)] inter partes coram reverendissimo domino cardinali Placentino unacum negocio dicte confirmacionis cognoscat et iusticiam faciat.

Nobiles adherentes domino Vlrico asserto electo ecclesie Treuerensis accesserunt ad congregacionem et per organum domini Stephani de

[a)] *wiederholt, P.*

Nouaria advocati narraverunt causas sue adhesionis et alia fecerunt, prout in scriptis dederunt.

Pro parte deputacionis fidei relatum est, quod placuerunt avisamenta dominorum de duodecim missa deputacionibus, ita quod omnino hortentur domini deputati super gravaminibus, ut finem imponant super illis. Quo ad ultimum placuit, prout alias deliberaverunt domini de dicta deputacione, stetur consciencie dominorum de duodecim tam de canonicis ecclesiarum cathedralium quam curatis, eciam scriptoribus et abreviatoribus ad incorporacionem admittendis.

In deputacione pro communibus:

Quo ad primum avisatum dominorum de duodecim, quod domini presidentes singularum deputacionum simul conveniant certis horis et loco semper in die precedenti deputacionis et insimul de proponendis in unaquaque[a)] deputacione conferre [habeant], ita quod pariformiter semel et simul eadem die super eisdem avisatis deliberetur; si vero uno die in aliqua deputacione avisamenta expediri non possent, non proponantur alia, quousque super primis fuerit deliberatum, nisi aliqua de novo occurrerent, que celeriorem requirerent expedicionem:

Placuit quod si domini presidentes possint simul convenire, conveniant prout cavetur in avisamento, nec permittant ipsi domini presidentes super aliqua materia deliberare, nisi prius super avisamentis datis per dominos de duodecim fuerit deliberatum, nisi aliqua de novo occurrerent, que celeriorem requirerent expedicionem.

Quo ad secundum avisamentnm de gravaminibus placuit, quod domini deputati super hoc finem prosequantur et imponant.

Quo ad tercium articulum de incorporandis placuit, prout alias, quod qualificati admittantur ad incorporacionem, canonici vero ecclesiarum cathedralium, si mittantur per sua capitula cum mandato, recipiantur, de aliis canonicis non missis, similiter et de curatis ecclesiarum[b)] parrochialium ac de scriptoribus et abreviatoribus stetur consciencie dominorum de duodecim.

Quo ad requestam domini cardinalis Bononiensis placuit, quod eius servitor admittatur ad officium cursoris.

P] Die dominica XI[a c)] aprilis fuit missa solemnis et sermo in ecclesia maiori.

P] Die lune XII[a d)] aprilis in deputacione pro communibus super primo avisamento dominorum de duodecim placuit, quod in congregacione generali, antequam aliquid fiat, deliberata per deputaciones et concordata per dominos de duodecim legantur et super hoc concludatur.

[a)] unaquoque *P.* [b)] eciam *P.* [c)] *korr. aus* XII[a] *P.* [d)] *korr. aus* XIII[a] *P.*

Super secundo de forma decreti admissionis dominorum legatorum domini nostri pape ad presidendum placuit, quod deputati ad componendum huiusmodi decretum illud componant et sine mora expediant et referant deputacionibus.

Quo ad tercium avisamentum placuit, quod supposita deputacionum habeant frequentare diligenter suas deputaciones, quodque non venientes ad easdem, nisi fuerint debite excusati, et recedentes ab eisdem sine licencia presidentis [puniantur], prelati sub pena xij denariorum et inferiores vj denariorum.

Quo ad quartum articulum avisatum de advocatis placuit, quod teneatur consistorium, aut si advocati voluerint aliquid proponere sive in deputacionibus sive in congregacionibus, quod huiusmodi proponenda dare habeant in scriptis, nisi sint talia propter que merito sacrum concilium debeat informari, sicut in maioribus causis.

Quo ad materiam religiosorum placuit, quod materie concernentes observanciam regularem et statuta ordinum [admittantur], religiosi vero qui habent suos superiores, conveniantur coram suis superioribus, non habentes autem superiores et capita religionum, coram sacro concilio vel deputandis ab eo.

Relatum est pro parte reformatorii, ipsam deliberasse super avisamentis dominorum de duodecim datis die sabbati ultima, de supplicacionibus iusticiam continentibus domini vicecancellarius et precognitores cognoscant, de gracia vero remittantur ad deputaciones.

Lecta Sigismundina constitucione placuit, quod domini videant et deliberent loco et tempore opportunis.

P] Die mercurii XIIII[a] aprilis in deputacione pro communibus quo ad requestam domini vicarii generalis ordinis Carmelitarum, requirentis quod fratres non valentes venire ad proximum eorum capitulum non incurrant censuras, quamvis huiusmodi gracia non sit exaudita, tamen placuit quod diffinitores dicti capituli habeant cognoscere de excusacionibus fratrum non veniencium an sint legitime vel non et provideant iuxta statuta sui ordinis.

Domini de pace retulerunt, quod dederunt facultatem dominis deputatis suis concludendi in materia pacis regni Francie cum dominis legato et deputatis aliarum deputacionum, et acceleretur ambassiata mittenda ad dominos reges etc. Nam dominus rex in Lugduno non diu stabit.

P] Eadem die domini ad examinandum causas excusacionum admiserunt dominum Ysidorum advocatum pro abbate procuratorem.

Item dominus decanus beate Marie Wesaliensis constituit procuratores, ut in cedula hic annexa continetur.

PR] Eadem die mercurii XIIII[a] aprilis M°iiij[C]xxxiiij° reverendus pater dominus Vlricus de Mandescheit[a)] electus ecclesie Treuerensis in mei notarii et testium etc. presencia citra aliorum procuratorum suorum revocacionem suos constituit procuratores, videlicet dominos Nicolaum de Cusa[b)], Stephanum de Nouaria, Johannem de Lisura doctores iuris canonici, magistros Hermannum Wydelers, Willermum de Breda et Symonem de Cusa[c)] canonicum S. Paulini extra muros Treuerenses, procuratores et eorum quemlibet in solidum, videlicet ad respondendum et deffendendum honorem suum et ad excusandum recessum eiusdem domini Vlrici, iuxta cedulam inferius descriptam, promittens etc. De quibus etc. Actum Basilee in domo habitacionis ipsius domini Vlrici electi, presentibus dominis Frederico de Crouia Treuerensis, Henrrico de Herpel[d)] S. Seuerini Coloniensis, Tilmanno de Lyns S. Florini Confluencie ecclesiarum prepositis testibus etc.

Sequitur cedula de qua supra[e)].

In nomine Domini, amen. Reverendus pater dominus Vlricus electus Treuerensis coram me notario et testibus infrascriptis proposuit et dixit, quomodo ipse pro excusacione sua et ad declarandum patribus sacri concilii Basiliensis introitum suum ad ipsam ecclesiam, similiter et ad tractandum pacem cum reverendo patre domino Rabano episcopo Spirensi, ad hoc sacrum concilium sponte venisset. Et quia aliqualiter iam de titulo suo bono, ut speraret, in sacro concilio per raciones et decretum electionis ostendisset et data opportunitate suis loco et tempore paratus esset plura ad hoc faciencia [ostendere], et consequenter in tractatu pacis, ut speraret, attento non iure prefati adversarii sui, flexibilis inventus fuisset et non stetisset per eum quominus pax facta fuisset, patres eciam, qui fideliter laborassent in tractactu illius pacis, iam forte fatigati desisterent, eciam finis salviconductus sui proxime instaret: ob que omnia a loco sacri concilii se absentare pro suis et ecclesie necessitatibus disponeret, expectaret[f)] nichilominus in partibus conclusionem serenissimi domini imperatoris in quadam via tercii sibi per suam serenitatem aperta, tercio nundum consenciente, super qua via, si saltim continuabitur per serenissimum dominum imperatorem, tercio ad hoc consenciente, deliberare cum omnibus incolis et presertim temporalis dominii intendit, sicuti cum deputatis serenissimi domini imperatoris, illustrissimo

[a)] Mandeschet *P.* [b)] Cosera *P.* [c)] Cusera *P.* [d)] Herbipoli *P.*
[e)] *Überschrift fehlt, R.* [f)] expectaretur *P*, expectatur *R.*

scilicet principe domino marchione Brandeburgensi, strenuo milite Henrico Nothafft[a] et aliis hec conclusio finaliter capta est. Et subiunxit quod, cum adversarii sui soliti sint multis iniuriis semper in eum invehere[b], ideo ad respondendum et ad deffendendum honorem suum et ad excusandum secundum premissa recessum et absenciam suam et ad obviandum ipsis suis adversariis et aliis, si forte ipsi, uti sepe fecerunt, ipsum contumacem esse aut dicerent aut peterent vigore cuiusdam pretense citacionis, que neque legitime decreta nec executa fuit, cuius eciam forma nature[c] citacionis penitus contrariatur, ipsum contumacem decerni, et ad omnia que huiusmodi intencioni adversariorum et aliorum quorumcunque quo ad hoc obviare possent per supplicaciones in sacro concilio et deputacionibus, protestaciones et appellaciones a quibuscunque deputatis sive commissariis voluit ipse dominus Vlricus electus constituere et constituit procuratores ad faciendum premissa venerabiles viros dominos Nicolaum de Cusa[d] decanum S. Florini de Confluencia, Stephanum de Nouaria, Johannem de Lisura doctores iuris canonici, magistros Hermannum Wydelers, Willermum de Breda et Symonem de Cusa canonicum S. Paulini extra muros Treuerenses procuratores, Treuerensis Nouariensis et Coloniensis diocesum, et quemlibet eorum insolidum eciam cum potestate substituendi. Fuitque ipse reverendus pater dominus Vlricus prefatus protestatus, quod si sacrum concilium reverendissimo domino archiepiscopo Coloniensi et universitati Coloniensi coniunctim vel divisim aut aliis quibuscunque eidem domino Vlrico merito non suspectis ad instanciam reverendi patris domini Rabani Spirensis episcopi causam — sublatis processibus nullis et nulliter per reverendum patrem dominum episcopum Herbipolensem, ut dicitur, in ipsum dominum Vlricum et sibi adherentes fulminatis, et eciam sublata quadam littera formam bulle sacri concilii Basiliensis habente, que innuere[e] pretendit vassallos domini Vlrici a iuramento sibi prestito esse absolutos — commiserit, paratus semper erit coram illis respondere impeticioni domini Rabani, iuri stare et parere, sicuti eciam ista partim[f] coram domino sereuissimo imperatore in presencia reverendissimi domini cardinalis legati et aliorum episcoporum, ut asseruit, proposuit et partim in publica congregacione sacri concilii. Promisit ipse dominus electus constituens michi notario infrascripto, se ratum gratum et firmum perpetuo habiturum totum et quicquid per dictos procuratores suos et eorum quemlibet ac substituendum vel substituendos ab eis vel eorum altero actum dictum gestum factumve fuerit in premissis et quolibet premissorum sive procuratum etc. De quibus etc. Actum Basilee in domo habitacionis ipsius domini electi constitu-

[a]) Noschaff *P.* [b]) sepe et cum invehere *P*, semper et eum invehimus *R.* [c]) *korr. aus* mature *P*, mature *R.* [d]) Cosera *P.* [e]) innuere *P.* [f]) paratim *P.*

entis sub anno etc., presentibus ibidem dominis Frederico de Crouia Treuerensis, Henrrico de Herpel S. Seuerini Coloniensis, Tilmanno de Lyns S. Florini Confluencie ecclesiarum prepositis testibus etc.

P] Die iovis XV[a] aprilis in deputacione pro communibus super supplicacionibus quo ad supplicacionem dominorum decani et capituli S. Aniani Aurelianensis etc. placuit avisamentum dominorum de fide, videlicet quod dominus cardinalis Placentinus tam super materia eclectionis quam super tota causa videat cognoscat decidat et provideat, prout sibi equum videbitur, et iusticiam faciat.

Quo ad supplicacionem universitatis Wiennensis placuit, quod conservatoria perpetua huiusmodi expediatur iuxta deliberacionem dicte deputacionis pro communibus et aliarum deputacionum, tacito de clausula in deputacione pro communibus addita.

Super supplicacione militis Oziliensis diocesis, petentis absolvi etc., placuit quod comittatur domino archiepiscopo Rigensi metropolitano loci, qui vocatis vocandis et constito sibi de assertis absolvat in forma ecclesie consueta et alias provideat, ut petitur.

Quo ad supplicacionem Johannis de S. Maximino de Aurelianis, petentis dispensari super matrimonio etc., placuit quod dominus episcopus Aurelianensis ordinarius loci dispenset cum supplicantibus et provideat, ut petitur.

Quo ad supplicacionem Frederici Malberch pauperis clerici Monasteriensis diocesis, petentis dispensari super deffectu natalium etc., placuit avisamentum dominorum de pace, videlicet quod reverendissimus dominus cardinalis legatus dispenset cum supplicante et provideat, ut petitur.

Quo ad supplicacionem electi in generalatu ordinis Humiliatorum placuit, quod committatur domino episcopo Gadicensi, cui commissa est alia causa, ut procedat in huiusmodi causa et iusticiam faciat.

Quo ad supplicacionem prepositi et conventus monasterii in Bomsburgh Salzeburgensis diocesis ordinis canonicorum regularium remissa est ad papam.

Confirmacio prepositure Tricastrine remissa est ad papam, quia est de terris patrimonii ecclesie.

Supplicacio familiarium bone memorie cardinalis S. Eustacii placuit in forma ut petitur etc.

Quo ad supplicacionem Johannis Carmerii pauperis mercatoris Tullensis etc. placuit, quod committatur officiali Tullensi, qui vocatis vocandis summarie et de plano de contentis in supplicacione se informet et iusticiam faciat.

Quo ad supplicacionem prepositi decani et capituli ecclesie Pateburgensis placuit, quod committatur domino episcopo Laudensi, qui unacum deputandis aliarum deputacionum procedat in causa et iusticiam faciat.

Supplicacio domini Petri de Brenecuria Tullensis diocesis commissa est officiali Tullensi, qui vocatis evocandis summarie et de plano se informet de contentis in supplicacione et iusticiam faciat.

Quo ad supplicionem Henrrici Margus et Johanne uxoris eiusdem placuit, quod committatur officiali Leodiensi, ut vocatis vocandis de contentis se informet summarie et de plano et iusticiam faciat.

Placuit deputacioni pro communibus, quod domini deputati eiusdem deputacionis super materia pacis regni Francie haberent facultatem concludendi cum domino cardinali legato et dominis deputatis aliarum deputacionum, videlicet quo ad ambassiatas mittendas ad dominos reges et dominum Burgundie et eciam quo ad pecunias reperiendas et faciendum instructiones pro huiusmodi ambassiata mittenda.

P] Eadem die dominus episcopus Cumanus in omnibus et singulis suis causis constituit procuratorem suum magistrum Ysidorum advocatum. Actum in domo sue habitacionis, presentibus domino abbate S. Petri de Alexandria et . . eius notario.

PR] Die veneris XVI[a] aprilis M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali more solito fuerunt incorporati magister Johannes Tinelli pro archiepiscopo Tholosano, frater Yuo de Gruuy [a)] pro abbate Rothonensi [b)] Venetensis diocesis, magister Petrus Fortis pro capitulo Morinensi, frater Amedeus prior de Donzera [c)] pro abbate Trenorchiensi, magister Symon Messis licenciatus in decretis canonicus et sacrista ecclesie Valentinensis, magister Ambrosius de Vassiburga [d)] magister in artibus rector parochialis ecclesie in Frinsingha [e)], magister Martinus Maucourt litterarum apostolicarum abbreviator archipresbiter de Fixa Andegauensis diocesis, magister Boucherius de Haya magister in artibus et baccallarius in legibus rector parrochialis ecclesie [e)] de Plumeloch [f)] Maclouiensis diocesis, dominus Cormacus [g)] abbas monasterii S. Jacobi Scotorum Ratisponensis diocesis, magister Rodolphus de Rudersheim [h)] decretorum doctor Varmaciensis [i)], magister Petrus Reginaldeti [k)] magister in theologia ordinis Minorum Parisiensis, Franciscus Crey canonicus ecclesie cathedralis Metonensis [l)] et plebanus S. Panthaleonis diocesis Castellane, magister Guillermus de Begha [m)] legum doctor.

[a)] Genny *R.* [b)] Rochensi *R.* [c)] Donzura *R.* [d)] Vasiburga *R.* [e)] in Fris.–eccl. *fehlt*, *R.* [f)] Plumbeloch *R.* [g)] Cornutus *R.* [h)] Rudessen *P.* [i)] *fehlt*, *R.* [k)] Reynaldi *R.* [l)] Metensis *R.* [m)] Vegha *R.*

Lectis deliberacionibus deputacionum et concordatis per dominos de duodecim in materia ecclesie Lausanensis et scrutatis singulorum votis dominorum, quorum fuerunt vota ii^{C}iiij^{XX}iiij[a] quod concludatur et lxxiiij quod non, idcirco a maiori parte reverendissimus dominus cardinalis legatus et presidens iuxta deliberaciones trium deputacionum concorditer deliberancium conclusit in eadem.

Nobiles de Grimaldis quandam cedulam obtulerunt, petentes ipsam legi, de quibus etc.[b]

Dominus Anthonius comes Valismoncium[c] accessit ad congregacionem, sedens ad sinistrum latus primus, et per organum domini decani de Salceya sub temate „ut peccatis mortui seculo vivamus“ [1] proposuit, nominando dominum comitem prefatum verum heredem Lotharingie, recommendando ipsum et facta sua sacro concilio et offerendo personam et bona, similiter et suam armatam, quam secum habebat, ad iussum et mandatum concilii. Item obtulit ipse dominus comes conducere[d] ambassiatam mittendam ad Franciam et specialiter per obedienciam suam in propria persona etc.

Dominus cardinalis legatus regraciatus est domino comiti predicto de oblacionibus factis concilio.

Lecte fuerunt littere patentes facultatis ipsius comitis concesse suis ambassiatoribus ad comparendum in concilio.

Super conservatoria perpetua danda universitatibus studiorum Wyennensi et Erphodensi[e], lectis deliberacionibus deputacionum et concordatis per dominos de duodecim, placuit et fuit conclusum, quod huiusmodi conservatoria expediatur per cancellariam et sub bulla concilii.

Super confirmacione decanatus Aberdonensis, lectis deliberacionibus trium deputacionum de communibus, de pace et de reformatorio, quia magister Johannes de Segobia[f] presidens deputacionis fidei proposuit, quod[g] fuit relatum in dicta deputacione fidei quod possessor vivebat, ideo hec materia remissa est ad deputaciones.

Lectis deliberacionibus quatuor deputacionum in materia monasterii de Esbestperch[h], placuit et fuit conclusum iuxta deliberacionem ipsarum quatuor deputacionum, ut petitur.

Dominus Humbertus de Chissiaco[i] ambassiator domini ducis Sabaudie, audito quod sacrum concilium concluserat in materia ecclesie Lausanensis, protestatus est prout dare debet in scriptis.

[a]) II^{c}. XXIIII. IIII.^{or} *R.* [b]) de quibus etc. *fehlt, R.* [c]) Vallismoncium *R.* [d]) *folgt getilgt* suam *P.* [e]) Forffordensi *P.* [f]) Sagobia *P.* [g]) et *R.* [h]) Esbesperch *R.* [i]) Humpertus de Thissiaco *R.*

[1] *1. Petri 2, 24:* ut peccatis mortui iustitiae vivamus.

Finita relacione per dominum Petrum Corserii alterum deputatorum in materia monitorii[a)] ecclesie Gurcensis et lecta conclusione capta alias super hoc in congregacione generali, placuit quod domini deputati, saltem maior pars eorum aliis absentibus possit procedere summarie, eciam ad concessionem monitorii, prout de iure eisdem deputatis videbitur expedire.

In materia dominorum contendencium de ecclesia Treuerensi, lecta cedula per dominos deputatos pro pace et concordia tractanda exposita et avisata factaque relacione per dominum cardinalem legatum de gestis per eosdem deputatos et scrutatis votis dominorum cardinalium et paucorum aliorum dominorum prelatorum, quia hora erat tarda huiusmodi materia remissa est ad deputaciones, que habeant dare iudices in huiusmodi causa.

PR] Die sabbati XVII[a] aprilis M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali fuerunt incorporati magister Petrus de Brena cantor ecclesie Lingonensis pro magistro Johanne Gobillon electo in episcopum Lingonensem, super qua incorporacione protestatus est magister Symon de Valle, quod non preiudicet domino A[nthonio] electo etc.; magister Bertoldus Bokenoue[b)] licenciatus in decretis pro episcopo et capitulo Mindensibus[c)], frater Henricus de Cocher[d)] pro abbate monasterii Montissanctipetri Maguntinensis diocesis, magister Johannes Gerardi licenciatus in legibus sacrista Aquensis pro domino rege Ludouico et patria Prouincie, magister Thomas Haube decanus[e)] de Salceya, magister Robertus de Mera, dominus Michael capellanus et frater Henricus prior de Boulencuria[f)] etc.

In materia monitorii petiti per dominum promotum ad ecclesiam Gurcensem placuit et fuit conclusum, quod huiusmodi monitorium iustificatum concedatur et concessum est supplicanti cum prefixione termini infra quem partes hincinde possint convenire et de iure suo docere.

Lecta cedula porrecta per nobiles de Grimaldis de Janua, quia per illam provocaverunt a concilio ad dominum nostrum papam et concilium futurum, magister Nicolaus Amici promotor fidei publice verbo protestatus est de prosequendo ipsos in materia fidei, requirens quod darentur deputati, qui huiusmodi appellaciones et alia scripta viderent et examinarent. Hocidem requisivit promotor concilii, et quod ipsi nobiles arrestentur etc. Hec materia remissa est ad deputaciones deliberanda.

Dominus Symon de Theramo advocatus domini Rabani archiepiscopi Treuerensis requisivit, quod sacrum concilium procederet contra dictum dominum Vlricum in materia fidei, prout in supplicacione per eum porrecta continetur.

[a)] *fehlt, R.* [b)] Volzenon̄ *R.* [c)] pro capit. Myndensi *R.* [d)] Cacher *? P*, Tacher *R.* [e)] *fehlt, R.* [f)] Bolencuria *R.*

Dominus Stephanus de Nouario advocatus domini Vlrici requisivit, quod hec materia remittatur ad deputaciones examinanda, quodque dentur iudices non suspecti.

Hec materia ecclesie Treuerensis remissa est ad deputaciones et ordinatum est, quod singuli notarii recipiant copiam citacionis, qua visa deliberent deputaciones de iudicibus dandis partibus non suspectis[a)].

Lectis deliberacionibus quatuor deputacionum super ambassiata mittenda ad dominos reges Francie et Anglie et dominum ducem Burgundie pro pace regni Francie, antequam concluderetur placuit quod domini patriarcha Aquilegiensis, Vticensis Albinganensis et Visensis episcopi missi sunt ad reverendissimum dominum cardinalem S. Crucis, ut in hac materia vellet dare sanum et salubre consilium, quid sit in hac materia agendum, attento quod magno tempore praticavit huiusmodi pacem.

Et facta relacione per eosdem dominos de gestis erga eundem dominum cardinalem S. Crucis, approbantem avisamenta deputacionum de persona domini cardinalis de Cippro, quia nundum facta erat provisio dicto domino cardinali de expensis, conclusio remissa est ad proximam congregacionem.

Magister Johannes Pulcripatris nomine universitatum studiorum in concilio existencium supplicavit sacro concilio, ut dignetur vacare circa materiam reformacionis, propter quam specialiter concilium congregatum est, et specialiter super expedicione decretorum de symonia et concubinatu, de causis et aliis decretis alias avisatis et datis per dominos xxiiij sacris deputacionibus, incipiendo a capite, deinde ad membra, protestando de lacius declarando loco et tempore opportunis.

P] Die dominica XVIII[a] aprilis fuit missa solemnis et sermo in ecclesia maiori Basiliensi.

P] Die lune XIX[a] mensis aprilis in deputacione pro communibus comparuit reverendissimus dominus Rabanus archiepiscopus Treuerensis, petens et supplicans per organum magistri Symonis de Theramo, quod liti et cause inter ipsum et dominum Vlricum pretensum electum de et super ipsa ecclesia Treuerensi imponatur finis. Ad idem per organum domini vicarii Maguntini pecierunt domini de capitulo ecclesie Treuerensis etc.

Similiter per organum domini Symonis de Valle pecierunt et supplicarunt procuratores cleri communis nobilium et civium civitatis Treuerensis.

[a)] suspecti *P.*

Pro alia parte, videlicet domini Vlrici electi, comparuerunt domini Stephanus de Nouaria et Nicolaus de Cosera, offerentes quendam quaternum papireum, petentes antequam aliquid deliberetur vel ordinetur in huiusmodi materia, ipsum quaternum seu scripta in eo publice in ipsa deputacione legatur [a].

Quia contencio erat inter ambassiatores dominorum ducum Burgundie et Britanie, mandatum fuit per dominum legatum nomine deputacionis, quod domini Constanciensis et Leonensis exirent ipsam deputacionem. Et quia ipse dominus Leonensis requirebat, quod dominus abbas de Dompnomartino exiret, quia erat ambassiator domini ducis Burgundie, ipse dominus abbas respondit, se non debere exire, quia non tenebat locum ambassiate, sed locum domini abbatis Premonstratensis, quem semper tenuit. De qua responsione dominus Leonensis peciit instrumentum.

Super [b] materia dominorum contendencium de ecclesia Treuerensi placuit sacre deputacioni pro communibus, quod domini qui fuerunt prius deputati, videlicet domini Firmanus cardinalis, Lugdunensis archiepiscopus et Vizensis episcopus, statuant partibus hincinde terminum paucorum dierum, infra quem utraque pars producat quicquid producere voluerit in huiusmodi causa; et hoc per edictum ponendum in valvis ecclesie maioris. Et nichilominus parti principali, videlicet domino Rabano, et procuratori alterius partis, si quem dimiserit, hoc intiment, post quem terminum recepta informacione debita et sufficienti super huiusmodi causa referant in generali congregacione, et concilium provideat prout Spiritus dictaverit.

Item quod mandetur dictis dominis iudicibus, ut non obstante quadam bulla, concernente quedam iuramenta prestita per vassallos et subditos ecclesie, procedant in eadem causa non habendo respectum ad ipsam bullam, ac si nunquam emanasset.

Ad conveniendum super facto Sigismundine [1] cum deputatis aliarum deputacionum deputati fuerant domini Glasguensis, duo domini episcopi ambassiatores regis Dacie, Ludouicus de Garsiis et scolasticus Lubicensis.

PR] Die martis XX[a] mensis aprilis M^{o}iiij^{C}xxxiiij^{o} fuit congregacio generalis, in qua more solito fuerunt incorporati domini Petrus Som-

[a]) *so, P.* [b]) *der Absatz, mit unbedeutenden Varianten, auch im Cod. Ottobon. f. 247*[b]. *Einen Protokollpunkt aus der deput. reformatorii von diesem Tag und verschiedene spätere Beschlüsse in derselben Angelegenheit s. in den Beilagen.*

[1] *Sigmunds Bestätigung der Constitutio Carolina (Karls IV.)* de libertate ecclesiastica, *ohne Datum bei Rainald 1433 § 15. 16.*

mardi [a] pro episcopo Riuensi et dominus Hustinus [b] Paulini pro episcopo Tutellensi [c] qui promiserunt solvere iura etc. infra tres menses.

Dominus abbas Bone Vallis pro et nomine dominorum archiepiscoporum et episcoporum ac inferiorum prelatorum proposuit circa materiam symonie, protestans expresse quod non intendebat aliquid dicere contra honorem sacri concilii nec doctrinam sanctorum doctorum per ecclesiam approbatorum, submittens se ordinacioni et determinacioni sacri concilii. Illa vero que proposuit, protulit in scriptis sub theumate „mementote operum patrum vestrorum, que fecerunt in generacionibus suis.“ [1]

Vicarius Maguntinus, presentibus dominis patriarcha Aquilegiensi, filio marchionis Brandeburgensis et quampluribus nobilibus, proposuit nomine ipsius domini patriarche, supplicando sacro concilio quod [d] dignaretur deputare aliquos deputatos, qui adirent dominos [d] ambassiatores Venetorum, ut ipsi Veneti vellent restituere temporalitatem ipsius patriarchatus ipsi domino patriarche, attento quod alias ipsi Veneti scripserunt sacro concilio offerendo se ad beneplacita eiusdem concilii.

Dominus Gaspar de Perusio advocatus Venetorum requisivit, quod in hac materia posset audiri, antequam ulterius deliberaretur; nam vellet proponere certas causas racionabiles, propter quas illustre dominium Venetorum hoc merito potuit facere.

Dominus cardinalis legatus respondit, quod sacrum concilium super hoc vellet deliberare.

Facta proposicione per prefatum dominum abbatem Bone Vallis concernente materiam symonie, dominus archiepiscopus Turonensis circa huiusmodi materiam pro et nomine dominorum prelatorum maiorum et inferiorum proposuit multas allegaciones iuris, confirmando dicta domini abbatis. Finaliter requisivit quod dentur deputati, qui cum reverendissimo patre domino cardinali legato habeant huiusmodi capitula de symonia revidere et iura dominorum prelatorum ponderare et ita componere et moderare decretum huiusmodi, quod sacrum concilium merito debeat illud approbare.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus presidens, auditis dictis et propositis per dominos Turonensem archiepiscopum et abbatem Bone Vallis in huiusmodi materia symonie, et responso per eundem dominum legatum ad multa allegata, dixit quod deputati ad hoc iterum revideant etc.

Item exhortatus est ipse dominus cardinalis legatus dominos de sacro concilio, ut concilium velit vacare circa materiam reformacionis.

[a]) Soumardi *R.* [b]) Justinus *R.* [c]) Tricellensi *R.* [d]) quod—dom. *fehlt, R.*

[1] *1. Macc. 2, 51.*

Placuit et fuit conclusum, quod deputaciones singule habeant deinceps vacare circa materiam reformacionis singulis diebus lune et martis, et si contingat aliquod festum precipuum illis diebus evenire, die sequenti habeant vacare in dicta materia deputaciones, quodque illis diebus nulla alia materia in eisdem deputacionibus tractetur.

Placuit quod domini archiepiscopi et episcopi habeant eligere aliquos de suis, peritos tam in iure divino quam humano, qui habeant convenire cum deputatis ad examinandum huiusmodi decretum de symonia.

Ad requirendum dominos ambassiatores Venetorum super materia domini patriarche Aquilegiensis fuerunt deputati domini archiepiscopus Turonensis, Constanciensis Gebennensis et Dignensis episcopi.

Pro legacione et ambassiata mittenda ad Franciam pro pace regni Francie iuxta avisamenta deputacionum etc. fuerunt deputati domini cardinalis de Cipro et cum eo archiepiscopus Auxitanus, episcopus Glasguensis, abbas S. Honorati in provincia Prouincie et Egidius Carlerii.

PR] Eadem die martis post meridiem in ecclesia maiori Basiliensi magister Robertus au Clou[a] ambassiatorio et procuratorio nomine ambassiator domini ducis Burgundie protestatus est in scriptis, prout sequitur:

„Ex expresso mandato illustrissimi principis domini ducis Burgundie et certis causis et racionibus ambassiatores et procuratores eius[b] hic existentes protestantur, quod in semidecima imposita vel imponenda per hoc sacrum concilium in terris et dominiis eiusdem domini ducis nullatenus consenciunt nec dicto nomine consentire intendunt, donec aliud habuerint in mandatis.“ De quibus peciit instrumentum, presentibus magistris Egidio Carlerii[c] decano Cameracensi et Guillermo de Laire baccallario in theologia curato S. Germani de Montibus in Hanonia[d], testibus etc.

Illico et incontinenti, reverendissimo patre domino cardinali legato et pluribus aliis dominis archiepiscopis episcopis doctoribus et magistris in stupha maiori congregatis, ipse magister Robertus au Clou nomine quo supra intimavit et notificavit eidem domino cardinali legato huiusmodi protestacionem suprascriptam. De quibus etc., presentibus dominis episcopo Constanciensi, abbate Virziliacensi et Bartholomeo de Fraxino canonico Eduensi.

P] Die mercurii XXI[a] aprilis in deputacione pro communibus super materia appellacionum interpositarum et interponendarum a sacro con-

[a]) Oclow R. [b]) eius *über der Zeile, P*; *fehlt, R.* [c]) Karlerii *R.* [d]) in Han. *fehlt, R.*

cilio ad dominum nostrum papam etc. fuerunt deputati domini Johannes Pulcripatris, Petrus Corserii et Ludouicus de Garsiis, qui cum deputatis aliarum deputacionum videant de modo providendi et procedendi contra tales appellantes et referant.

Quo ad requestam domini Nicolai Tok, requirentis remitti sibi annatam etc., attento quod multum laboravit pro honore et statu sacri concilii, placuit quod dominus thesaurarius et alii domini de camera sacri concilii prouideant eidem supplicanti, ut petitur.

Quo ad factum causarum remittendarum etc. placuit, quod omnes cause in hoc sacro concilio introducte in eodem remaneant; de introducendis vel remittendis dati sunt deputati prefati domini Johannes Pulcripatris, Petrus Corserii et Ludouicus de Garsiis, qui cum deputatis aliarum deputacionum videant huiusmodi causas, que in concilio tractari debent vel non, et referant.

De provisione notariorum placuit et fuit ordinatum, quod reverendissimus dominus cardinalis Rothomagensis vicecancellarius aut eius locumtenens habeat singulis ebdomadis describere singulis notariis concilii pro oneribus suis supportandis unam commissionem.

Pro parte deputacionis pacis relatum est, quod dedit suos deputatos, qui videant de causis in concilio tractandis vel non, videlicet archiepiscopum Cretensem, episcopum Gebennensem et abbatem Virziliacensem.

P] Die iovis XXII[a] in deputacione pro communibus quo ad requestam concernentem gracias expectativas in regno Dacie Swessie etc., videlicet quod non habeant locum ad ecclesias cathedrales, nisi sint persone graduate aut nobiles etc., placuit quod pronunc supersedeatur.

Quo ad requestam illius, qui patitur maculam in oculo, placuit quod committatur duobus aut tribus episcopis in partibus, coram quibus se representet, et si macula non fuerit enormis aut scandalosa, de quo onerentur eorum consciencie, dispensent cum supplicante.

Quo ad supplicacionem Johannis Schlegel et Elizabeth Broessin Constanciensis diocesis, petencium dispensari super matrimonio dudum contracto super cognacione spirituali, placuit quod auctoritate concilii dispensetur cum eisdem, dumtamen contraxerint ignoranter.

Super supplicacione Eggi Barongha laici et Lindzegha diocesis Traiectensis, petencium ut supra dispensari, similiter dispensetur.

Ad idem cum Johanne Fabri et Adelaidis Kolberim diocesis Constanciensis, qui iam contraxerunt, dispensetur ut supra.

Quo ad supplicacionem familiarium dominorum cardinalium incorporatorum concilio placuit, quod ipsi familiares qui sunt presentes in

concilio et eo durante possint permutare sua beneficia in manibus reverendissimi domini cardinalis legati, ut petitur in supplicacione.

Super requesta fratris soldani etc. placuit, quod iudices in causa iuxta formam iuris procedant et iusticiam faciant, prout eisdem videbitur.

Pro precognitore fuit electus loco domini Cumani absentis pro tribus mensibus sequentibus dominus abbas S. Honorati etc.

P] Eadem die reverendissimus dominus cardinalis legatus mei contemplacione admisit in scriptorem litterarum sacri concilii Johannem Geffroy clericum Nouiomensis diocesis.

P] Die veneris XXIII[a] aprilis in deputacione pro communibus pro parte deputacionis fidei relatum est, quod ipsa unanimiter concordavit in materia presidencie iuxta cedulam.

Pro parte deputacionis pacis ad idem, quodque de qualibet deputacione dentur deputati, qui habeant regraciari domino imperatori de laboribus per eum in huiusmodi materia assumptis.

Pro parte reformatorii ad idem.

In deputacione pro communibus:

Quo ad materiam presidencie, lectis cedula et forma decreti admissionis dominorum legatorum sanctissimi domini nostri pape ad presidendum per dominos deputatos avisata etc., scrutatis singulorum votis dominorum, placuit quod ipsi domini legati iuxta cedulam et decretum huiusmodi admittantur ad presidenciam, quodque die crastina fiat congregacio generalis, in qua admittantur ad incorporacionem nominibus privatis, et die lune fiat sessio publica, in qua nomine sanctissimi domini nostri pape presidentes admittantur.

PR] Die sabbati XXIIII[a] aprilis M[o]iiij[C]xxxiiij[o] fuit congregacio generalis, in qua more solito fuerunt incorporati dominus abbas Bone Vallis pro episcopo Mimatensi et abbate S. Guillermi de Deserto Lodouensis[a] diocesis, magister Egidius Ogerii canonicus Remensis pro se et abbate S. Thiberii Agathensis diocesis, magister Robertus de Poers[b] decanus Limriensis et archidiaconus Lismorensis[c] pro archiepiscopo Cassellensi[d] et eius suffraganeis de Ybernia et nomine privato, Johannes Perieti[e] Nycossiensis serviens armorum domini nostri pape, magister Guillermus de Laire magister in artibus et baccallarius in theologia, Henricus Prepositi licenciatus in decretis, Petrus Gufer[f] canonicus ecclesie S. Bartholomei Francfordensis licenciatus in decretis, Robertus de Cuculis

[a]) Londonensis *R.* [b]) Potis *R.* [c]) Lisinorensis *R.* [d]) episcopo Cassalensi *R.* [e]) Perioti *R.* [f]) Gussen *R.*

licenciatus in legibus subdiaconus ecclesie S. Aniani Aurelianensis et quidam abbas de Alamania.

Lectis cedula et forma decreti admissionis dominorum legatorum sanctissimi domini nostri pape ad presidendum et deliberacionibus deputacionum de renovacione decreti Constanciensis de auctoritate conciliorum, dominus prior Deaurate[a] ordinis Cluniacensis nomine privato et domini sui comitis Arminiaci protestatus est, quod non consentit nec intendit consentire renovacioni decreti Constanciensis de auctoritate conciliorum etc., nisi prius auditis quibusdam racionibus, super quibus causam habet dubitandi, et habita declaracione veritatis et consulto domino suo. De quaquidem protestacione procurator fidei et promotores concilii protestati sunt de prosequendo eum contra suam protestacionem tanquam non bene sanam in fide et turbativam unionis habende inter concilium et papam. Quibus promotoribus adiunxit se procurator fiscalis, petendo instrumentum.

Dominus Lectorensis requisitus per promotores, an vellet adherere huic antedicte facte protestacioni, respondit quod protestabatur contra huiusmodi protestacionem, quia non habebat ad hoc mandatum a domino comite Arminiaci, licet sit eius ambassiator.

Item dominus Petrus Corserii eius collega, interrogatus ut supra, dixit quod potestas sua est penes notarios concilii, nec credit quod huiusmodi mandatum se ad hoc extendat.

Super materia presidencie dominorum legatorum etc., scrutatis generaliter votis dominorum et responsso in genere[b] per verbum „placet“, reverendissimus pater dominus legatus et presidens iuxta deliberaciones deputacionum de decreto renovando in sessione publica et eciam iuxta huiusmodi cedule tenorem conclusit, prefatos dominos legatos nominibus privatis ad incorporacionem admitti debere.

Deinde reverendissimus dominus cardinalis S. Crucis necnon reverendissimi patres domini archiepiscopus Tarentinus, episcopus Paduanus et abbas S. Justine Paduane accesserunt ad congregacionem generalem, et ipsis sedentibus, videlicet domino S. Crucis iuxta dominum legatum et aliis tribus supra nominatis post dominum cardinalem S. Petri ad vincula ad dextrum latus, et prestito iuramento nominibus privatis de manutenendo et deffendendo decretum Constanciensis concilii de auctoritate conciliorum et alias iuxta tenorem cedule, sacro concilio incorporati fuerunt. De quibus promotores pecierunt instrumentum etc.

Domini marchio Brandeburgensis, patriarcha Aquilegiensis, archiepiscopus Magdeburgensis, Curiensis Augustensis Frinsingensis Triden-

[a]) decurate *R*, de Aurate *P*. [b]) in genere *fehlt, R*.

tinus episcopi nomine imperatorie maiestatis per organum domini vicarii Maguntini requisiverunt, finem aponi debere in materia ecclesie Treuerensis.

Similiter nomine quo supra recommendaverunt factum domini patriarche Aquilegiensis sacro concilio, requirentes quod benigne sacrum concilium dignaretur audire relacionem dominorum deputatorum, qui transiverunt ad ambassiatores Venetorum.

In materia dominorum contendencium de ecclesia Treuerensi:

Lectis deliberacionibus deputacionum super materia dominorum contendencium de ecclesia Treuerensi et propositis[a] causis et racionibus per advocatos hincinde parcium et protestacione facta per dominum Nicolaum de Cusa[b], quod non procedatur in huiusmodi causa, nisi iuxta avisamenta per eum singulis deputacionibus data, placuit et fuit conclusum, quod quelibet pars dominorum contendencium de ecclesia Treuerensi[a] coram dominis tribus deputatis, videlicet dominis cardinali Firmano, archiepiscopo Lugdunensi et episcopo Visensi, infra duos vel tres dies habeant dare in scriptis xxx aut xl personas, quas non habebit suspectas, et si dicti domini deputati repererint de dicto numero aliquas personas neutri parti suspectas, huiusmodi persone utrique parti grate in causa hiusmodi iudices constituantur, alioquin prefati domini tres deputati remaneant iudices in causa, qui procedant in eadem iuxta deliberaciones deputacionum de communibus, de fide et de pace etc.[c]

Facta relacione per dominum archiepiscopum Turonensem de gestis per eum et deputatos, qui audierunt ambassiatores Venetorum super requesta domini patriarche Aquilegiensis, ipse dominus patriarcha per organum vicarii Maguntini requisivit sacrum concilium ad[d] possessionem dominii sui temporalis restitui et iusticiam ministrari.

Et responso per dominum Gasparem nomine Venetorum ad proposita pro parte dicti domini patriarche, hec materia remissa est ad deputaciones deliberanda.

Deinde dominus Gaspar pro et nomine dominorum ambassiatorum illustris domini ducis Burgundie respondit in scriptis, prout in cedula, ad proposita tam per dominum archiepiscopum Turonensem quam ambassiatores domini ducis Britanie racione sedium etc.

Quibus sic peractis, ambassiatores domini ducis Britanie pecierunt[e] copiam propositorum et audienciam ad respondendum obiectis sibi dari. Hec materia remissa est ad deputaciones.

Placuit quod decretum Constanciensis concilii de auctoritate conciliorum renovetur.

[a]) et propos.—Treuer. *fehlt, R.* [b]) Cosera *P.* [c]) *der Absatz verkürzt in Cod. Ottob. f. 247*[b]. [d]) ut ad *P.* [e]) pcc. sibi dari *P.*

P] Die dominica XXV[a] aprilis fuit missa solemnis in ecclesia maiori ob reverenciam beati Marci evangeliste.

P] Eadem die in domo habitacionis mei notarii magister Johannes de Vado procurator constitutus magistri Petri de Pumino canonici prebendati Nouiomensis substituit procuratores nominandos per magistrum Christianum Mareschalli ad effectum resignandi causa permutacionis et non alias huiusmodi prebendam Nouiomensem ad capellaniam Katherine in ecclesia parrochiali de Graco Bisuntine diocesis, iuxta facultatem sibi attributam etc., presentibus domino Petro Basseti presbitero Bisuntinensis diocesis et Alexandro Maioris clerico Attrebatensis diocesis.

PR] Die lune XXVI[a] aprilis M[o]iiij[C]xxxiiij[o] fuit XVII[a a)] sacri concilii Basiliensis sessio celebrata, videlicet hoc modo: missa de Sancto Spiritu celebrata per dominum archiepiscopum Cretensem nacionis Ytalice dictisque suffragiis letaniis evangelio secundum Johannem[1]: „elevatis Jhesus oculis in celum dixit: Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut et filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem“ etc., et ympno[b)] „Veni creator Spiritus“ decantato cum versiculo et collecta, assistente domino imperatore in habitu imperiali, septrum[c)] domino comite, mundum[d)] marchione[e)] et quodam nobili gladium evaginatum[f)] tenentibus, centum et sex prelatis in mittris et pluvialibus tam a dextris quam sinistris existentibus et sedentibus, inter quos ad dextrum latus erant septem cardinales, quorum primus nomine pape erat dominus cardinalis S. Crucis, et aliis tribus, Tarentino archiepiscopo, episcopo Paduano et abbate S. Justine Paduane ad sinistrum latus primum locum tenentibus, dominus episcopus Lectorensis pronunciavit decretum admissionis dominorum legatorum domini nostri pape ad presidendum in concilio. Quibus lectis et responso per verbum „placet“, de huiusmodi lectura et pronunciacione et aliis actitatis in dicta sessione promotores pecierunt instrumentum p[ublicum][g)], testimonium domini imperatoris, domini ducis de Barro, filii marchionis et aliorum dominorum presencium invocando. Testes eciam fuerunt domini Gaspar cancellarius domini imperatoris, dominus Bruno de la Schala[h)] et plures alii.[2]

P] Die martis XXVII[a] aprilis in deputacione pro communibus ad eligendum iudices causarum fuerunt deputati domini Pergamensis et Lausanensis episcopi et Henrricus auditor.

[a]) XVI[a] *R.* [b]) *fehlt, P.* [c]) septro *P.* [d]) mundo *P.* [e]) sceptrum dom. marchione, mundum Wylhelmo duce Bauarie *R.* [f]) gladio evaginato *P.* [g]) *fehlt, R.* [h]) Octaui de Scala *P.*

[1] *Joh. 17, 1.* [2] *folgt in R f. 325[a] der Wortlaut des Dekrets. Mansi 29, 90. M. C. 2, 649.*

Pro precognitore loco domini abbatis transire debentis ad Franciam cum domino cardinali legato de Cipro pro pace regni Francie dominus episcopus Constanciensis.

Dominus Christoforus ambassiator domini ducis Mediolani, associatus dominis Albinganensi Laudensi et Papiensi episcopis, accessit ad deputacionem et narravit, quod ad ipsius noticiam pervenerat, quod dominus imperator heri in presencia nonnullorum dominorum prelatorum proposuit et dixit aliqua contra honorem ipsius domini ducis. Ideo rogabant dominos, quod non vellent esse . . . voluntatis aliene nec aliquid facere contra ipsum dominum ducem, nisi prius ipso domino ambassiatore audito pro excusacione ipsius domini ducis.

Pro parte reformatorii relatum est, quod ipsa deputacio deliberavit super materia sedium, quod fiat decretum generale, ita quod excipiantur reges, quodque provisio facta per concilium, antequam fiat decretum, revocetur. Et pro componendo decretum fuerunt deputati domini patriarcha Anthiocenus et archiepiscopus Tarentinus.

Super materia sedium data per dominos de duodecim scrutatis votis dominorum placuit maiori parti, quod fiat decretum generale, videlicet quod ambassiatores dominorum regum et principum sedeant iuxta suas primogenituras et dignitatum suarum et graduum promociones, cum modificacionibus et condicionibus per dominos deputandos avisandis, quodque concilium scribat domino regi Francie per reverendissimum dominum cardinalem de Cippro, ut huiusmodi decreto consentire velit.

Item rogetur serenissimus dominus imperator, ut ad hoc faciendum velit principes electores inducere.

Quo ad materiam dominorum contendencium de sedibus placuit, quod prorogetur eis terminus usque ad octabas solemnitatis Corporis Christi inclusive et inhibeatur partibus hincinde, ut prius.

Domini episcopi Constanciensis et abbas de Dompnomartino ambassiatores domini ducis Burgundie in hoc non consenserunt.

P] Die mercurii XXVIII[a] aprilis in deputacione pro communibus super materia decreti concilii Constanciensis de auctoritate conciliorum renovandi, quia in deputacionibus et congregacione generali fuit conclusum quod renovetur, placuit quod fiat sessio.

Quo ad sessionem celebrandam super renovacione decreti Constanciensis concilii de auctoritate conciliorum placuit, quod fiat forma legenda primo per deputaciones et deinde in congregacione generali, et postmodum publicetur unacum aliis decretis possibilibus expedire in sessione publica celebranda futura septimana.

Placuit quod sacrum concilium scribat Frederico filio comitis Silie,

qui detinet dominum archiepiscopum Colocensem presionarium, ut eum relaxet sub penis etc., et quod reverendissimi patres domini patriarcha Aquilegiensis et archiepiscopus Lugdunensis hac de causa adeant dominum imperatorem, rogando ipsum nomine sacri concilii, ut similiter pro relaxacione huiusmodi domini archiepiscopi supradicto Frederico dignetur scribere litteras opportunas.

P] Die iovis XXIX[a] aprilis in deputacione pro communibus quo ad materiam iudicum, licet per decretum sacri concilii sit statutum, quod iudices causarum de tribus mensibus in tres menses debeant eligi[a)] et renovari et ad hoc deputacio pro communibus suos elegisset deputatos, nichilominus quia alie deputaciones, ut intellexit, suos continuarunt, ut habeatur concordia et ut observentur huiusmodi statuta, ipsa sacra deputacio priores iudices, videlicet dominos Petrum Corserii et officialem Monasteriensem non per modum continuacionis sed de novo elegit, rogans ipsa deputacio alias sacras deputaciones, ut huiusmodi statuta in hac parte deinceps observent.

Quo ad supplicacionem dominorum ducum et principum de Germania super spoliis concernentibus dominum abbatem S. Anthonii placuit, quod dentur deputati unacum domino legato, qui audiant partes hincinde et se informent de contentis in supplicacione. Et ad hoc electi fuerunt cum domino legato domini Pergamensis et Lausanensis episcopi et referant.

Super facto abbatis S. Georgii Brixinensis diocesis placuit, quod committatur domino Ludouico de Garsiis, ut si sibi constiterit verissimiliter processus executoriales in huiusmodi causa factos ad noticiam intrusi devenisse, quod perinde procedat, ac si huiusmodi processus eidem intruso in eius propria persona intimati extitissent, eciam summarie simpliciter et de plano, eciam per edictum.

Quo ad requestam fratris Johannis de Lorch preceptoris S. Anthonii in Rustorf Maguntinensis diocesis etc. placuit, quod causa remaneat coram domino Ludouico de Garsiis, qui procedat in causa decidendo eandem de consilio dominorum de rota et iusticiam faciat etc.

Quo ad requestam domini episcopi Ruthenensis placuit, quod domini de camera sacri concilii provideant eidem domino episcopo, prout petitur in supplicacione.

PR] Die veneris ultima aprilis M°iiij^{C}xxxiiij° in congregacione generali, presidentibus legatis domini nostri pape, fuerunt incorporati domini Galeacius[b)] de Mantua pro capitulo et quibusdam prelatis, Franciscus de Aluarotis legum doctor, Lucidus Petri[c)] decretorum doctor

[a)] elegi *P.* [b)] Galiacius *R.* [c)] Petrus *P.*

pro capitulo Paduano, frater Henrricus canonicus[a] S. Crucis de Scocia licenciatus in decretis, dominus Andreas plebanus ecclesie collegiate S. Blasii de Veneciis, Petrus Zoceti[b] capellanus domini episcopi Foroiuliensis, Hulricus[c] Dusther licenciatus in decretis canonicus beate Marie veteris capelle[d], Ambrosius plebanus S. Vitalis et canonicus Motonensis presbiter, Dominicus de Sancto Laurencio canonicus Cretensis, Johannes Pascalis[e] plebanus S. Agathe et canonicus Concordiensis, Georgius canonicus Brixiensis, Johannes Capizaco[f] plebanus S. Juliani de Veneciis, Gundisaluus[g] de Medina nomine capituli Tudensis, frater Jacobus de Pisis ordinis Predicatorum pro clero Ragusino[h].

Dominus archiepiscopus Lugdunensis nomine omnium aliorum dominorum ambassiatorum regum in hoc sacro concilio existencium et incorporatorum proposuit, petens reges suos non excludi a suis sedibus in sacro concilio, sed ipsos in eis et suis iuribus et honoribus conservari[i], causis et racionibus per eum allegatis.

Et quia dictus dominus Lugdunensis tetigerat, quod aliqui suspicabantur, quod ex deliberacione sedium nuper facta verisimiliter posset dissolvi sacrum concilium, reverendissimus dominus cardinalis S. Crucis tunc presidens excusavit se et suos collegas dominos presidentes sacri concilii, quod nunquam proposuissent hoc facere nec fecissent tendendo ad dissolucionem concilii etc.

Dominus episcopus Grassensis exposuit, qualiter nobiles de Grimaldis nuper in hac congregacione generali appellarunt a sacro concilio ad dominum nostrum et deinde recesserunt; quare supplicabat, quod attentis hiis et non obstante appellacione huiusmodi dignentur mandare, ut sibi fiat iusticia.

Magister Nicolaus Amici procurator fidei narravit recessum ipsorum de Grimaldis, et quia ipsi fundarunt intencionem suam super libello „Deus novit“,[1] idcirco offerebat se ad procequcionem ipsius libelli iuxta declaracionem[k] sacri concilii.

Dominus episcopus Dignensis in favorem fidei supplicavit, ut sicut domini deliberaverunt renovare decretum Constanciensis concilii de auctoritate et stabilitate conciliorum, ita eciam dignentur deliberare de renovacione illius decreti, in quo cavetur quod papa est caput universalis ecclesie; et de hoc peciit instrumentum.

Dominus Symon de Theramo advocatus ambassiatorum domini ducis Britanie, presentibus episcopis Trecorensi[l] et Leonensi et aliis, in paucis

[a]) Paduanus *P, statt* can. [b]) Sozeti *R.* [c]) Vlricus *R.* [d]) castelle *PR.* [e]) Paschalis *R.* [f]) Capizano *R.* [g]) Gundislaus *R.* [h]) Ragusio *P.* [i]) conservantur *R*, conserventur *P.* [k]) deliberacionem *R.* [l]) *Lücke, R.*

[1] *s. 1, 258.*

verbis et postmodum quidam doctor Brito[a] nomine dicti domini ducis Britanie in scriptis proposuerunt, respondendo ad proposita alias per dominum Gasparem nomine domini ducis Burgundie. Et inter cetera de suis scriptis legit, quod dux Britanie non ut vassallus regi Francie subicitur, sed quilibet suo iure contentus remanet, de quo magister Robertus au Clou[b] procurator dicti domini ducis Burgundie peciit instrumentum etc. Concludentes ipsi domini ambassiatores ducis Britanie, quod domini dignentur adiudicare prioritatem loci dicto domino duci Britanie ante dictum dominum ducem Burgundie.

Dominus Gaspar de Perusio nomine domini ducis Burgundie peciit suos ambassiatores conservari in sua possessione, attentis ordinacione sacri concilii et attestacionibus coram dominis cardinalibus factis; et si oratores domini ducis Britanie aliquid velint dicere in petitorio, dentur iudices et eisdem respondebunt, petendo audienciam sibi dari ad respondendum propositis per dominos oratores ducis Britanie et copiam propositorum per eosdem.

Dominus Symon de Theramo nomine quo supra peciit per dominos adiudicari, dictum dominum ducem Britanie anteferri debere dicto domino duci Burgundie.

Dominus Rodulphus canonicus Warmaciensis[c] nomine ambassiatorum dominorum principum electorum et eciam dominorum suorum protestatus fuit, quod dicta et proposita per dominum Gasparem nomine domini ducis Burgundie dictis ambassiatoribus et dominis suis nullum inferant preiudicium.

Similiter protestatus est, quod inhibicio facta dictis dominis ambassiatoribus dominorum electorum, quod hinc ad mensem non compareant ut ambassiatores, cum eadem inhibicio non fuerit conclusa in congregacione generali, eisdem non preiudicet.

Similiter fuit protestatus magister Robertus au Clou[b] nomine domini ducis Burgundie, quod huiusmodi inhibicio ambassiatoribus dicti domini ducis non preiudicet.

Dominus episcopus Constanciensis alter ambassiator domini Burgundie ad evitandum contenciones hincinde peciit, quod in huiusmodi causa darentur iudices.

Dominus officialis Coloniensis et domini prepositi S. Seuerini Coloniensis et S. Florini de Confluencia per organum dicti domini officialis Coloniensis proposuerunt, ad eorum noticiam devenisse, quod pro parte capituli ecclesie Padeburnensis porrecta fuerat[d] in deputacionibus quedam supplicacio, que tangebat honorem domini archiepiscopi Coloniensis, ex eo

[a]) vnico *P.* [b]) Oclow *R.* [c]) Wormaciensis *R.* [d]) fuerunt *P.*

quia in ea dicitur, quod ipse incorporari fecit ecclesiam Padeburnensem mense sue archiepiscopali ambiciose, petendo per ipsam supplicacionem eandem incorporacionem revocari. Idcirco petebant ipsi ambassiatores, quatenus domini non adhibeant fidem credulam talibus verbis, nec eosdem de capitulo in suis peticionibus exaudiri.

Lectis concordatis dominorum duodecim in materia fratrum Minorum de observancia de Bosna etc., placuit et fuit conclusum, quod reverendissimi patres domini S. Angeli legatus et S. Petri ad vincula, vocatis aliquibus de dicto ordine Minorum, de contentis in supplicacione se informent et provideant, prout petitur in eadem.

Quo ad supplicacionem domini Henrrici auditoris camere, concernentem prebendam ecclesie Wratislauiensis, placuit et fuit conclusum iuxta deliberaciones trium deputacionum concorditer deliberancium.

Licet tres deputaciones deliberaverint de iudicibus, quia tamen deputacio de fide non deliberavit, ideo[a)] in eadem materia nichil fuit conclusum.

PR] Die sabbati prima maii fuit missa solemnis in ecclesia maiori ob reverenciam festi SS. Philippi et Jacobi apostolorum.

P] Die dominica II[a] maii fuit missa solemnis in ecclesia maiori.

P] Eadem die hora iiij[a] post meridiem fuit deputacio pro communibus congregata de mandato dominorum presidencium deputacionum, in qua pauca ibidem fuerunt agitata, videlicet de generali congregacione ad diem crastinam indicenda etc.

PR] Die lune III[a] mensis maii die Invencionis sancte crucis M[o]iiij[C] xxxiiij[o], finita maiori missa, in ecclesia maiori fuit congregacio generalis, in qua interfuerunt domini presidens, cardinales de Bononia, de Placencia et Firmanus.

Dominus archiepiscopus Turonensis supplicavit nomine ambassiatorum domini ducis Britanie, ut concilium dignaretur dare operam, quod ipsi ambassiatores, qui desiderant incorporari[b)] circa illa ad que concilium est congregatum, incorporentur.

Dominus cardinalis presidens et legatus narravit, quod ipsi ambassiatores domini ducis Britanie optant incorporari, petens an placeret congregacioni sacri concilii, ut ipsi salvis iuribus et prerogativis domini sui et sine preiudicio eiusdem incorporentur et sedeant in locis suis secundum primogenituras et dignitatum suarum promociones.

Et responso per dominos de ipsa congregacione „placet“, ipsi do-

[a)] idcirco *R* [b)] *lies* cooperari ?

mini ambassiatores medio iuramento solito incorporati fuerunt, videlicet domini Trecorensis[a] Leonensis episcopi, abbas monasterii S. Melani[b] Redonensis ordinis S. Benedicti, abbas de Busayo Nannetensis diocesis ordinis Cisterciensis, Johannes Prigencii, magister Guillermus Grungnet in utroque iure licenciatus officialis Nannetensis et eciam magister P[etrus] Clerici[c] secretarius dicti domini ducis . . .[d], protestantes quod ista incorporacio non preiudicet iuri domini sui nec eciam eius honori, sperantes quod sacrum concilium super iure suo bonum imponeret[e] finem, petentes de premissis instrumentum.

Lectis deliberacionibus singularum deputacionum super legacione reverendissimi patris domini cardinalis de Cippro transituri ad reges et principes Francie et Anglie pro pace regni Francie, domini ambassiatores domini Francie regis per organum domini archiepiscopi Lugdunensis requisiverunt, quatenus eciam[f] domini debeant eidem dare facultatem similem in diocesi Lugdunensi in terris citra[g] regnum, qualem dant sibi in regno predicto, asserentes quod rex habet privilegium a sede apostolica, quod nullus legatus a latere debeat exercere officium legacionis inconsulto rege, protestando de iuribus et privilegiis regis ; sperant tamen, quod si rex requiratur, consenciet exercicio huiusmodi legacionis.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus, facta prius protestacione quod non intendit aliquid dicere nisi pro honore sacri concilii, domini nostri pape et eciam cardinalis de Cippro, et allegatis multis racionibus, quare sacrum concilium non debet vel saltem non expedit dare facultatem legati a latere, ubi sacrum concilium et papa sunt concordes, rogavit dominos, quatenus unum de duobus velint facere: aut rogare dictum dominum cardinalem de Cippro, ut cum facultate alias sibi data et non legati de latere velit transire; aut quod deputaciones velint iterum maturius deliberare, et si sacrum concilium deliberaverit, quod ipse illam habeat, ipse obtulit se missurum unum vel duos equitatores, qui plus ibunt in una die, quam ipse dominus cardinalis in tribus, ad defferendum sibi huiusmodi facultatem.

Dominus episcopus Vticensis et auditor dicti domini cardinalis de Cippro requisierunt et supplicarunt, quatenus honor domini sui cardinalis observetur et quod ipse habeat illam potestatem a latere iuxta deliberaciones quatuor deputacionum, quia alias non intendit exire ad huiusmodi legacionem, quoniam per huiusmodi legacionem nulli infertur preiudicium, neque domino nostro pape neque domino cardinali S. Crucis.

Tandem, visis altercacionibus et dum promotores pecierunt concludi,

[a]) *Lücke, R.* [b]) Melacii *P*, Meldei *R.* [c]) mag. P. Cl. *fehlt, R.*
[d]) *keine Lücke, R.* [e]) imponere *P.* [f]) quod eciam *R*, quatenus eciam quod *P.*
[g]) circa *R.*

reverendissimus pater dominus cardinalis legatus S. Angeli dixit, quod pro concordia videretur bonum, quod reverendissimi domini cardinales et presidentes unacum dominis ambassiatoribus serenissimi domini regis Francie et aliis qui voluerint interesse hora tercia post meridiem conveniant cum reverendissimo domino cardinali de Cipro ad videndum de modo concordie in hac materia reperiende.

Quequidem oppinio, scrutatis votis dominorum cardinalium et presidencium, similiter domini patriarche Anthioceni, quia iam hora erat tarda, multis de dicta congregacione placuit.

P] Die martis IIII[a] maii in deputacione pro communibus pro presidente fuit electus dominus abbas de Cherreto.

Pro dominis de duodecim fuerunt nominati domini episcopus Constanciensis, abbas S. Petri de Laude Veteri et decanus Eistetensis continuatus.

Pro custodia clavis magister Symon Freron etc.

Pro parte sacrarum deputacionum de fide, de reformatorio et pace relatum est, quod suos dederunt deputatos ad conveniendum hodie hora tercia post meridiem in Augustinensibus et videndum, que cause admittende sunt vel remittende.

Ad conveniendum cum dominis cardinalibus et presidentibus hodie hora iij[a] etc. post meridiem in S. Dominico pro certis negociis domini imperatoris fuerunt deputati domini patriarcha, archiepiscopus Lugdunensis, Constanciensis et Lausanensis episcopi etc.

Materia libelli, Judeorum, bulle contra Mendicantes, de renovacione decreti Constanciensis et supplicacione promotoris fidei, super quibus multi hodie deliberaverunt . . .

P] Die mercurii quinta maii in deputacione pro communibus Johannes Lamberti cursor ad officium custodie deputacionis admissus fuit, prestito per eum solito iuramento.

Illustris princeps dominus Henricus dux Saxonie ad deputacionem accessit et per organum domini Gasparis proponi fecit, ad ipsum racione ducatus electionem sacri Romani imperii et alios multos honores et privilegia pertinere debere, quos contulit marchio Misnensis. Et quia pluribus vicibus requisivit serenissimum principem dominum Romanorum imperatorem, ut sibi super hoc iusticiam ministrare dignaretur, quod facere recusavit, qua[re] supplicavit quod domini dignentur per suos deputandos instare apud cesaream maiestatem, quatenus deputare velit suos iudices, qui super hoc domino duci iusticiam ministrare habeant;

alioquin in deffectu seu denegacione[a)] iusticie dicti domini imperatoris, quod domini dignentur sibi dare iudices, qui sibi iusticiam ministrent, prout lacius in supplicacione per eum porrecta continetur etc.

Dominus Guillermus dux Bauarie, domini archiepiscopus Treuerensis et quidam alii prelati et nobiles ad deputacionem accesserunt nomine imperatoris et per organum domini vicarii Maguntini exhortari fecerunt sacrum concilium, ut velit attendere ad reformacionem generalem ecclesie, incipiendo primo in capite et deinde ad membra, attenta concordia habita inter concilium et papam.

Item exhortati fuerunt per organum cuius supra, ut concilium dignetur cum omni modestia et mansuetudine ac honore concilii revocare bullam alias missam domino duci Mediolani.[1]

Item quod recollectio semidecime imposite in Germania exponatur ad extirpacionem Bohemorum hereticorum et recolligatur per deputatos vel deputandos per ipsam nacionem Germanicam, quodque ordo Theutonicorum, attento quod habuit et sustinuit multas expensas et multos insultus contra infideles, sit liber et immunis ab huiusmodi semidecima.

Item dominus episcopus Frinsingensis nomine dicte imperialis maiestatis exhortatus est dominos de dicta deputacione, quatenus velint apponere finem in materia sedium ante recessum domini imperatoris.

Dominus Petrus canonicus regularis exposuit nomine domini ducis Guillermi protectoris, quod ipse intendit repatriare et idcirco supplicabat dominis, si quas negligencias et deffectus circa iniuncta sibi per imperatorem ad causam officii protectoris sacri concilii commiserit, domini dignentur ipsum habere excusatum et sibi veniam impertiri, offerens personam et bona sua ad mandata sua et singulorum dominorum eiusdem, dicens quod pro se et loco sui dimittit cum sufficienti mandato dominos episcopum Ratisponensem et vicarium Frinsingensem.

Dominus cardinalis legatus ad exposita per dictum fratrem Petrum respondit, quod displicet sacro concilio de recessu ipsius domini ducis, nisi esset urgens neccessitas, et quod dictum concilium vellet eundem semper habere secum; et ad hoc quod petit veniam, superfluum est, quoniam laudabiliter se gessit etc., offerens sacrum concilium et eius supposita semper facturos pro se et suis quitquid facere poterit.

Dominus vicarius Maguntinus nomine domini Frederici ducis Saxonie et marchionis Misnensis peciit copiam supplicacionis oblate per dominum Ericum ducem Saxonie.

[a)] denegacionem *P.*

[1] *Mansi 30, 228. vgl. M. C. 2, 658.*

Domini de pace retulerunt, ipsam dedisse deputatos ad componendum decretum generale super bulla concernente curatos et Mendicantes.

Domini de fide retulerunt, quod dederunt deputatos qui videant errores; super bulla videant domini vicecancellarius et alii de cancellaria. Super facto Judeorum eciam dederunt deputatos.

In deputacione pro communibus:

Super materia libelli, Judeorum, confessorum etc. ad videndum huiusmodi libellum et referendum fuerunt deputati domini episcopus Pargamensis, abbas de Mulbruno, provincialis Francie et Rodericus auditor domini cardinalis S. Petri.

Ad videndum de modo providendi super bulla concernente curatos et Mendicantes et videndum de modo providendi fuerunt deputati domini episcopus Lubicensis, Johannes Pulcripatris, Petrus Corserii, Johannes Crey, provincialis Paduanus ordinis Minorum et magister Thomas secretarius domini S. Crucis et referant.

Super supplicacione oblata per promotorem fidei etc. placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis S. Petri iudex in causis fidei habeat facultatem decernendi remissorias ad partes super articulis et examine testium et alia faciendi, que neccessaria in premissis causis sibi videbuntur.

P] Die iovis VI[a] maii die Ascensionis Domini fuit missa solemnis et sermo in ecclesia maiori etc.

PR] Die veneris VII[a] maii M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali fuerunt incorporati more solito Johannes Gasparini de Leocornis[a)], Nicolaus de Columbis canonici ecclesie Vincentine[b)] pro capitulo eiusdem, Vlricus de Werdembergh comes[c)] canonicus Argentinensis, Anthonius Pelacano[d)] plebanus SS. Apostolorum, Johannes Belino plebanus S. Johannis Baptiste canonicus Clugiensis[e)], Bernardus Boessonis licenciatus in legibus decanus ecclesie S. Michaelis[e)] Castri Novi S. Papuli diocesis.

Lecte fuerunt littere domini ducis Britanie, concernentes negocium pacis regni Francie, super quibus sui ambassiatores debent dare in scriptis avisamenta.

Judices sequentes iuraverunt de fideliter exercendo suum officium, videlicet episcopus Ebroicensis et electus Gurcensis pro reformatorio, Petrus Corserii et officialis Monasteriensis pro communibus, vicarius Parmensis pro pace. Alii, videlicet archidiaconus Metensis, Petrus de Cor-

[a)] Leocoriis *R.* [b)] Vicentine *R.* [c)] de Verdebergo *R*, de Werdemberghoes *mit Abbrev. P.* [d)] Pelecano *R.* [e)] Clug.—Mich. *fehlt, R.*

duba pro fide et alius eligendus in deputacione [pacis], iurabunt in manibus domini cardinalis legati.

Lecte fuerunt certe clausule contente in litteris domini Johannis de Polomar auditoris ambassiatoris[a] ad partes Bohemie super facto civitatis Pisne[b] etc.

Lectis deliberacionibus sacrarum[c] deputacionum, concernentibus factum ecclesie Lausanensis et abbatis Bonecumbe, reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii conclusit in illis, in quibus tres deputaciones concordant.

Cui conclusioni, si et in quantum concernit ecclesiam Lausanensem, dominus Humbertus de Chissiaco procurator dominorum ducis Sabaudie et domini Johannis de Prangino, prout constare asserit in actis cause, se opposuit.

Item lectis deliberacionibus quatuor deputacionum in materia ecclesie Padeburnensis, similiter fuit conclusum iuxta deliberaciones trium deputacionum concorditer deliberancium, videlicet quod iudices dati in causa procedant in eadem et iusticiam faciant.

Placuit quod reverendissimus dominus cardinalis legatus eligat aliquos dominos, qui adeant dominum imperatorem super facto Karoline et civitatis Pizne[b], necnon guerre que oriri speratur contra dominum Louicum ducem Bauarie.

PR] Die sabbati VIII[a] maii in reffectorio fratrum Predicatorum, instante domino imperatore, fuerunt congregati domini cardinales patriarche archiepiscopi episcopi abbates et ceteri domini qui voluerunt interesse. Quibus ipse dominus imperator exposuit suum recessum. Item exhortatus est dominos, quod concilium velit procedere per naciones, dando motiva per que videtur ita fieri.[1] Item quod domini principes electores reponerentur ad suas sedes priores. Dixit multa de domino duce Burgundie, et specialiter quod nimis alte volebat volare, dando versiculum: „O fili care, noli nimis alte volare! Si nimis alte volas, poteris comburere pennas[d].“ Item vicarius Maguntinus proposuit multa contra ipsum dominum ducem, volens innuere ipsum non debere precedere.

P] Die sabbati hora iiij[a] post meridiem fuerunt deputaciones.

In deputacione pro communibus:

[a]) ambassiatoribus *P.* [b]) Pilzne *R.* [c]) *hiernach eine halbe Zeile leer, R.* [d]) Si—pennas *fehlt, P.*

[1] *Mansi 30, 229.*

Archipresbiter Querii[a] Taurinensis diocesis narravit quod ipse intellexerat, quod provincialis Lombardie inter cetera dixerat, quod ipse archipresbiter alias in oppido Querii predicaverat certos articulos erroneos, videlicet quod quilibet[b] parrochianus confiteri tenetur proprio sacerdoti sub pena peccati mortalis, et quod fratres Mendicantes non poterant absolvere venientes ad se, et quod ipse eosdem articulos compulsus fuit publice revocare. Et propterea pro excusacione sua dixit, se alias predicasse in sua parrochia formam decreti „Omnis utriusque sexus“.[1] Et tandem revocavit illa verba dicta per dominum provincialem ad animum, protestans quod ipse semper fuit bonus christianus et quod ipse intendit suam innocenciam contra ipsum et quemcunque alium, qui hoc vellet asserere, prosequi.

Dominus provincialis Lombardie se excusavit, dicens quod ipse audivit, quod fama erat in diocesi Taurinensi de illis que in ipsa deputacione alias dixerat.

Domini episcopus Laudensis et abbas S. Petri de Laudeueteri obtinuerunt licenciam recedendi ad partes usque ad sex menses.

Quo ad congregacionem generalem indicendam super facto relacionis fiende in materia ecclesie Treuerensis per dominos deputatos etc., placuit quod reverendissimi domini presidentes sacri concilii, [dummodo] dicti domini deputati parati fuerint suam facere relacionem, possint indicere ob hanc causam generalem congregacionem, et relacione facta remittatur[c] huiusmodi causa ad deputaciones.

Quo ad benedictionem impendendam serenissimo domino imperatori recedere volenti placuit, quod solemnitas sibi impensa in concilio Constanciensi iuxta Pontificale observetur. Et ad intimandum eidem domino imperatori deputati fuerunt domini Lubicensis et Lausanensis episcopi.

P] Die dominica IX[a] maii fuit missa et sermo solemnis in ecclesia maiori Basiliensi.

P] Eadem die dominica hora iij[a] post meridiem fuerunt deputaciones intimate per cedulas.

In deputacione pro communibus:

Ad videndum, quit sit agendum et respondendum serenissimo domino imperatori super peticione ipsius heri facta de scribendo litteras pro recuperacione terrarum[d] ecclesie et ne fiat guerra domino nostro

a) Quern̄ *P.* b) quibus *P.* c) remeatur *P.* d) litterarum *P.*

1 *Decretal. Lib. V tit. 38 c. 12.*

pape, et providendum de cerimoniis tenendis pro benedictione recessus sui, deputati fuerunt domini patriarcha Aquilegiensis, Curiensis Constanciensis Laudensis et Lausanensis episcopi, abbas de Chereto, Johannes Pulcripatris, Henricus Nythardi, Franciscus de Bossis, Petrus de Corduba et Rodericus auditor domini S. Petri ad vincula, qui hodie post deputaciones conveniant cum deputatis aliarum deputacionum et referant.

Data est licencia per dominum presidentem deputacionis, eciam sub signeto manuali, recedendi reverendo patri domino episcopo Curiensi.

P] Eadem die hora vesperorum illustrissimus princeps dominus Ericus dux Saxonie constituit procuratores suos citra procuratorum[a] suorum revocacionem, videlicet reverendum in Christo patrem dominum Magnum dominum episcopum Hildesemensem fratrem suum germanum, illustrem dominum Gasparem de Perusio, Stephanum de Nouaria advocatos sacri consistorii, generosos dominos Conrardum de Wynsperch sacri imperii camerarium hereditarium, Rodolphum dominum de Kanstote, strenuum Stephanum de Lutzelbrune armigerum Herbipolensis diocesis, magistrum Johannem Christiani de Aluelde S. Andree, Johannem Gerwini Bardewicensem prepositos canonicos Verdenses, Henricum Vbelin canonicum Brixinensem, licet absentes tanquam presentes, ad agendum et deffendendum in quadam causa honores et privilegia sui ducatus racione electionis sacri Romani imperii concernente, que moveri speratur coram serenissimo domino imperatore seu iudicibus per eum deputandis, et in casu denegacionis iusticie sibi per eum ministrande, coram iudicibus per sacrum concilium in hac causa deputandis, cum potestate substituendi etc. Promisit etc. Actum Basilee in viridario domus habitacionis ipsius domini ducis, presentibus domino Johanne Dotzman presbitero et cappellano de clerinis de Essen de Clauis decimi[b], Johanne Dentzes de Balidersheim, Conrrardo de Seclendorff, Johanne Greck de Rochendorf nobilibus scutiferis prefati domini ducis, ac Nicolao Tok secretario eiusdem domini ducis, testibus.

PR] Die lune X^{a} mensis maii Miiij^{C}xxxiiij^{o} in congregacione generali fuit incorporatus magister Johannes Reynerii[c] prepositus S. Saluatoris Traiectensis doctor in medicinis pro et nomine domini Rodolphi[d] episcopi Traiectensis, cui incorporacioni dominus Stephanus de Nouaria advocatus novi electi Traiectensis se opposuit.

Presidentes fuerunt in eadem domini cardinalis S. Angeli legatus, archiepiscopus Tarentinus et Ludouicus abbas S. Justine, domini cardinales Placentinus, Rothomagensis, S. Petri ad vincula et Firmanus.

[a]) procuratorium *P.* [b]) *so P, lies* ecclesie de Essen Coloniensis diocesis? [c]) mag. Reynerus *R.* [d]) Rodulphi *R.*

In relacione facienda in materia ecclesie Treuerensis, instante magistro Symone de Valle advocato domini Rabani archiepiscopi Treuerensis etc., quia fuit iniunctum partibus hincinde quod recederent a dicta congregacione, dominus Nicolaus de Cusa[a] nomine domini Vlrici electi etc. expresse requisivit dominos de sacro concilio, quod vellent supersedere in huiusmodi relacione, quousque dominus archiepiscopus Lugdunensis alter deputatorum esset presens, qui eciam ad longum de meritis cause erat et est informatus. Item protestatus est quod, casu quo relacio fieret, quod legerentur de verbo ad verbum omnia per partem suam producta, ut domini de concilio, qui sunt iudices, essent plene informati de meritis cause huiusmodi. Item quia fuit sibi iniunctum ut recederet, de singulis peciit instrumentum et[b] instrumenta.

Finita relacione per reverendissimum dominum cardinalem Firmanum alterum deputatorum in scriptis de processu agitato coram ipsis dominis deputatis in materia dominorum contendencium de ecclesia Treuerensi, domino archiepiscopo Lugdunensi absente, et lecta cedula avisata per dominos deputatos, per quam dicitur[c] ius dicte ecclesie Treuerensis reverendissimo domino Rabano et non domino Vlrico compeciisse et competere, scrutatis votis singulorum dominorum, hec materia remissa est ad sacras deputaciones deliberanda, quid ulterius sit agendum.

P] Die martis XI[a] maii in deputacione pro communibus ad conveniendum cum reverendissimo domino cardinali S. Petri ad vincula iudice fidei et examinandum articulos extractos de libris assertarum revelacionum S. Brigite fuerunt deputati ambassiatores domini regis Dacie, episcopus Pergamensis, abbas Clareuallis, magister Johannes Pulcripatris, provincialis Lombardie, provincialis Francie ordinis Predicatorum, magister Symon Freron, dominus Petrus Corserii, doctor universitatis Erffordensis, et referant.

Ad conveniendum cum domino cardinali legato et deputatis aliarum deputacionum et examinandum litteras dirigendas ad Ytaliam pro recuperacione terrarum ecclesie fuerunt deputati domini episcopus Lubicensis, abbas de Dompnomartino et dominus Galeacius de Mantua, et referant.

P] Die mercurii XII[a] maii in sacra deputacione pro communibus super materia dominorum contendencium de ecclesia Treuerensi etc., scrutatis singulorum votis dominorum, fuerunt xxx vota quod in proxima congregacione generali feratur sentencia, per quam declaretur ius compeciisse et competere ad eandem ecclesiam domino Rabano translato,

[a]) Cosera *P.* [b]) et et *P.* [c]) perditur *R*, *statt* per quam dicitur.

et dominum Vlricum fuisse et esse intrusum nullumque ius in eadem [sibi] compeciisse seu competere. Sunt xij vota quod pro honore sacri concilii, et ne processus possit calumpniari, quod detur facultas dominis tribus iudicibus vel aliis deputandis repetendi terminos in huiusmodi causa unico et eodem contextu, et postmodum feratur sentencia pro domino Rabano. Sunt vj vota quod expectetur dominus Olomucensis, qui per dominum imperatorem pro concordia missus est ad dictum dominum Vlricum. Sunt quatuor vota quod provideatur ecclesie Treuerensi de tercia persona.

Frater Thomas de Croysant monasterii SS. Sergii et Bachy ordinis S. Benedicti Andegauensis diocesis . . .

P| Die iovis XIII[a] maii in deputacione pro communibus placuit, quod quilibet incorporatus possit eligere confessorem etc. usque ad octavas solemnitatis Corporis Christi [1] iuxta formam avisatam per deputacionem fidei.

Super supplicacione fratris Victoris Johannis prisionarii pro falsitate etc. placuit avisamentum dominorum de reformatorio.

Relatum est pro deputacione pacis, ipsam deliberasse quod domini presidentes sacri concilii possint indicere congregacionem generalem in causa Treuerensi duntaxat, quando sibi videbitur expedire, decernaturque citacio per edictum ad dandum apostolos, concludendum et audiendum diffinitivam sentenciam ferri in eadem causa expediendumque alia circa hoc neccessaria.

Licencia domini abbatis S. Petri de Cliuiate commissa est dominis Johanni Pulcripatris et Ernesto.

Quo ad requestam domini Rabani archiepiscopi Treuerensis placuit oppinio deputacionum de fide et de pace, hoc addito quod repetantur termini simul et semel in generali congregacione et suppleantur deffectus, si qui intervenerint.

Quo ad requestam illustris domini Ernesti ducis Saxonie placuit, quod concilium scribat cum omni honestate et gravitate domino imperatori, ut velit eidem domino duci ministrare iusticie complementum etc.

Quo ad requestam domini imperatoris, concernentem venientes ad nundinas in oppido Francfordensi, placuit quod contemplacione domini imperatoris tollatur interdictum, prout petitur, saltem per[a)] sex vel octo dies durantibus nundinis, exclusis tamen a divinis illis, quorum culpa provenit interdictum etc.

[a)] quod *P.*

[1] *Juni 3.*

Quo ad requestam universitatis Andegauensis committatur aliquibus, qui vocatis et auditis nonnullis de universitate Parisiensi de contentis in supplicacione se informent, et si repererint ita esse, prouideant ut petitur. Et ad hoc fuerunt deputati domini abbas S. Petri, de Dompnomartino, Petrus Corserii et doctor Erffordensis.

Supplicacio magistri Johannis Tinelli studentis in universitate Tholosana commissa est domino Petro Corserii, qui se informet de contentis in supplicacione, et si sibi constiterit de assertis, prouideat ut petitur etc.

Quo ad supplicacionem cleri degentis in territoriis Swelande etc. placuit, quod committatur in partibus uni non suspecto, qui vocatis vocandis, si constiterit contenta fore vera, auctoritate concilii prouideat, ut abusus tollantur.

Quo ad supplicacionem abbatis Deruiensis Cathalanensis diocesis placuit, quod committatur ordinario loci, iuxta avisamentum dominorum de fide et de reformatorio.

PR] Die veneris XIIII[a] maii M°iiij[C]xxxiiij° in congregacione generali fuerunt incorporati more solito magister Johannes Berengarii litterarum apostolicarum abreviator, prior S. Ypoliti Ruthenensis diocesis, magister Bernardus de Loyn presbiter curatus parrochialis ecclesie de Meghen et canonicus in Bosco Ducis, dominus Guillermus Bingnon[a)] presbiter canonicus Turonensis, Parigencius[b)] de Foresta presbiter vicarius parrochialis ecclesie de Comana[c)] baccallarius in decretis, Johannes Plomenselech[d)] magister in artibus et licenciatus in decretis, dominus Jacobus a Cortibo presbiter archidiaconus Archadiensis[e)], Thomas de Tulach[f)] archidiaconus Cathinensis[g)] baccallarius in decretis, Johannes Gyll[h)] canonicus Aberdonensis licenciatus in theologia, Petrus Julieti presbiter curatus parrochialis ecclesie de Becyo[i)] Cabilonensis diocesis, magister Guillermus Salez[k)] in utroque licenciatus pro episcopo Malleacensi, dominus episcopus Ratisponensis et vicarius Frinsingensis pro domino duce Willermo alias protectore concilii etc.

Lecte fuerunt littere domini imperatoris Constantinopolitani[1] et unius eiusdem consiliarii.

Item lecta fuit requesta sex civitatum adherencium civitati Pizne[l)].

Lectis concordatis dominorum de duodecim in materia dominorum contendencium de ecclesia Treuerensi, placuit et fuit conclusum quod

[a)] Binguen *R.* [b)] Laurencius *R.* [c)] Omana *R.* [d)] Plomenselich *R.* [e)] Archidiensis *R.* [f)] Tulacii *R*, Tulacharchid. *P.* [g)] Catinon̄ *R.* [h)] Gil *R.* [i)] Bertzo *R.* [k)] Sales *R.* [l)] Pilzne *R.*

[1] *vermutlich Mansi 30, 670.*

domini presidentes sacri concilii possint in eadem causa dumtaxat indicere generalem congregacionem, quando eis videbitur, quodque auctoritate sacri concilii decernatur citacio per edictum ad dandum domino Vlrico et per eundem recipiendum apostolos, concludendum in huiusmodi causa et ferendum sentenciam diffinitivam in ipsa congregacione generali ut premittitur indicenda, supplendum eciam in eadem causa omnes deffectus, si qui in ipso processu intervenerint.

Lectis eciam concordatis per dominos de duodecim, placuit et fuit conclusum quod quilibet incorporatus presens et superveniens in hoc sacro concilio, ipsorum incorporatorum familiares possint sibi ydoneum confessorem eligere, qui a die veneris proxima usque ad octavas solemnitatis sacratissimi Corporis Christi inclusive[1] ipsos absolvat a omnibus peccatis sibi confessis, eciam sedi apostolice reservatis, cum potestate dispensandi a quibuscunque irregularitatibus, exceptis sentencia excommunicacionis lata ab homine, homicidio voluntario, incendio seu violacione[a] voluntaria ecclesiarum et symonia in ordine vel beneficio scienter commissa.

Instantibus promotoribus decreta est citacio per edictum in causa Treuerensi et fuit assignatus terminus per dominum cardinalem legatum domino Nicolao de Cusa[b] ad diem crastinum ad recipiendum apostolos etc., concludendum et sentenciam ferendum.

Magister Nicolaus de Cusa[b] produxit mandatum sufficiens, ut asserebat, nomine domini Vlrici, petens copiam omnium productorum per partem adversam et terminum sibi assignari ad dicendum contra, petens instrumentum etc. De quaquidem requisicione protestatus est dominus officialis Basiliensis nomine promotorio etc.

In causa Lausanensi:

Officialis Basiliensis nomine promotorio sacri concilii accusavit contumaciam domini Ludouici episcopi Lausanensis non comparentis produxitque citacionem sub bulla et instrumentum citacionis[c].

Deinde dominus Ludouicus episcopus Lausanensis, satisfaciendo termino sibi assignato[d], comparuit personaliter et produxit bullas sue promocionis et nonnulla alia iura.

Dominus electus Baiocensis peciit super requesta sua sibi provideri, super quo nichil fuit ordinatum.

Fratres Petrus Lamandi[e] et Rachellus[f] de Auro preceptores de Fieffes[g] et de Janua ordinis S. Johannis, lecta quadam cedula protestacionis de mandato domini cardinalis legati, de huiusmodi prote-

[a]) devolucione *P.* [b]) Cusera *P.* [c]) instr. cit. *fehlt, R.* [d]) sibi ass. *fehlt, R.* [e]) Laniardi *R.* [f]) Racellus *R.* [g]) *Lücke, R.*

[1] *Juni 3.*

stacione pecierunt et quilibet eorum peciit instrumentum et instrumenta, presentibus Albinganensi et Constanciensi episcopis, Johanne Pulcripatris et Henrrico Nythard et pluribus aliis etc.

PR] Die sabbati XV[a] maii M°iiij[C]xxxiiij° fuit congregacio generalis, presidentibus dominis legatis domini nostri pape, assistentibus dominis cardinali legato, Placentino, S. Petri et Firmano etc.

In causa Treuerensi[a]:

Officialis Basiliensis promotor concilii et nomine promotorio[b] accusavit contumaciam domini Vlrici non comparentis et in eius contumaciam produxit citacionem affixam in valvis. Et facta relacione de eius affixione per Georgium Frey notarium, ipse promotor iterum accusavit contumaciam dicti domini Vlrici non comparentis nec recipere apostolos curantis etc. et in eius contumaciam peciit eidem apostolos dari, concludi et sentenciam diffinitivam ferri. Quaquidem contumacia accusata et dicto domino Vlrico contumace reputato, domini iudices deputati in causa per organum domini Firmani alterius iudicum dederunt apostolos refutatorios, et ad maiorem cautelam dominus cardinalis legatus nomine concilii similes apostolos dedit et conclusit in causa etc.

Lectis deliberacionibus sacrarum deputacionum et conclusione capta super eisdem in generali congregacione, antequam sentencia ferretur dominus Jordanus Morini doctor in theologia surrexit in medium, et facta protestacione quod submittebat se de[c] dicendis ordinacioni et correctioni sacri concilii, asseruit in translacione domini Rabani duos errores contineri, quos ad longum expressit.

Deinde de mandato sacri concilii fuit lata et in scriptis promulgata sentencia per organum mei Bruneti, per quam sacrum concilium declarat ius in ecclesia Treuerensi domino Rabano compeciisse, adiudicando translacionem factam de domino Rabano fuisse canonicam, et dictam ecclesiam competere etc.

PR] Die dominica XVI[a] maii fuit dies Pentheconstes et celebravit missam dominus cardinalis S. Crucis et fuit sermo etc. Et finita missa fuerunt lecte littere de liberacione Piznensium[d] etc.

P] Die lune XVII[a] maii dominus L[aurencius] episcopus Autissiodorensis constituit procuratores suos etc.

PR] Die mercurii XIX[a] maii fuit processio solemnis pro felicibus novis de liberacione civitatis Pizne[e] et fuit solemnis missa ob reveren-

[a]) in c. Tr. *fehlt, R.* [b]) procuratorio *R* [c]) se a de *P.* [d]) Pilznensium *R.* [e]) Pilznensis *R.*

ciam S. Yuonis de Britania et sermo de gestis ipsius S. Yuonis, inter que[a)] fuit dictum de longitudine lignorum etc.

P] Die iovis XX[a] maii in deputacione pro communibus super supplicacione reverendi patris domini episcopi Lausanensis placuit, quod dominus Pergamensis episcopus unacum aliis deputatis aliarum deputacionum habeat infra certum brevem terminum partibus assignandum ipsas partes audire et ab eis iura, quibus se iuvare voluerint, recipere, et ipsis commissariis sufficienter instructis et informatis, referant in generali congregacione, ut inde sacrum concilium, facta huiusmodi relacione, partibus ministrare habeat iusticie complementum et finem imponere.

Placuit quod omnes domini de deputacione pro communibus deinceps conveniant ad deputacionem de mane hora septima precise, prelati negligentes sub pena xij denariorum, inferiores vero solvant vj denarios. Et si incorporati non voluerint distribui, habeantur pro non incorporatis.

Placuerunt avisamenta dominorum de duodecim, videlicet quod domini deputati ad videndum, que cause sint remittende et que retinende etc., placuit quod domini alias deputati conveniant hodie hora iij[a] post meridiem in Augustinensibus.

Item quod deputati super decretis de symonia et concubinatu per totam ebdomadam sequentem illa expedia[n]t, alioquin lapso termino expediantur in deputacionibus.

Quo ad requestam capituli Constanciensis provincie Maguntine placuit, quod domini episcopus Cumanus et Johannes Pulcripatris unacum deputatis aliarum deputacionum vocatis partibus audiant huiusmodi causam et procedant in eadem et iusticiam faciant, ut petitur.

Quo ad requestam lantgravii, petentis audire divina, non obstante interdicto apposito in eius oppido etc., refutata est omnino etc.

Quo ad supplicacionem illius petentis promoveri ad subdiaconatum extra tempora a iure statuta, remissa est domino legato, qui dispenset auctoritate concilii, prout sibi videbitur.

Super requesta illorum Argentinensis diocesis, petencium dispensari super matrimonio iam contracto, non obstante cognacione spirituali, placuit quod dominus cardinalis legatus provideat, prout sibi videbitur etc.

Quo ad supplicacionem illius, petentis quod littere expediantur per cancellariam, si constiterit de supplicacione originali signa[ta] per dominum Martinum papam quintum, placuit avisamentum trium deputacionum concorditer deliberancium.

Quo ad supplicacionem abbatis monasterii Belliloci ordinis S. Bene-

[a)] namque *R statt* inter que.

dicti Lemouicensis diocesis, qui per xij annos obtinuit pacificam possessionem etc., placuit quod expectet quod expediatur decretum iam super hoc avisatum.

Super requesta abbatis monasterii Sancte Corone Cisterciensis ordinis Pragensis diocesis placuit, quod pronunc non scribatur etc.

Quo ad alias supplicaciones placuit, quod differantur usque quo domini deputati ad videndum que cause remittende vel non suam fecerunt relacionem.

PR] Die veneris XXI[a] mensis maii M°iiij°xxxiiij° in congregacione generali fuerunt incorporati Johannes de Auelde [a)], Johannes Gherowini [b)] pro dominis Erico et Bernardo ducibus Saxonie, frater Bernardus prior monasterii canonicorum regularium Sagatensium Vratislauiensis diocesis pro abbate, abbas S. Petri in [c)] Valle Carnotensi, Sigismundus abbas de Alto Vado [d)] Pragensis diocesis ordinis Cisterciensis, Johannes [e)] de Meldico [f)] ordinis S. Benedicti Patauiensis diocesis.

Materia incorporacionis procuratorum domini Walrami electi et confirmati ecclesie Traiectensis remissa est ad deputaciones.

Placuit et fuit conclusum quod dominus cardinalis legatus precipiat cursoribus sub pena excommunicacionis, ut Johannem Robursi [g)] seruitorem domini cardinalis Bononiensis ad officium cursoris recipiant; qui fuit incorporatus et iuravit etc.

Lectis litteris domini Johannis de Polomar, concernentibus liberacionem civitatis Pizne [h)], et civitatis Piznensis [i)] continentibus idem [k)], [1] per quas requirebant subsidium, quia carebant victualibus, placuit quod alias deputati videant de modo providendi et subveniendi dicte civitati.

Lecta quadam cedula cuiusdam littere misse per dominum Johannem de Polomar domino cardinali legato, per quam significat, quod concors omnium sentencia et eciam domini Johannis est, quod supplicetur domino imperatori ut vadat Nurembergham, placuit sacre concregacioni quod mittantur dominus archiepiscopus Magdeburgensis et episcopus Lubicensis cum instructionibus fiendis per dominum legatum et alios deputatos in facto Bohemie ad exhortandum dominum imperatorem, ut velit [l)] appropinquare Boemiam. Qui deputati hodie debeant convenire cum domino cardinali legato ad formandum instructiones.

Dominus electus Baiocensis produxit quandam supplicacionem, per quam offerebat se pariturum iudicio in causa Baiocensi et peciit causam

[a)] Anualde *R.* [b)] Jerobin *R.* [c)] de in *P.* [d)] Aliouado *R.*
[e)] frater Joh. *R.* [f)] Melduo *PR.* [g)] Joh. Rob. *fehlt, R.* [h)] Pilznensis *R.*
[i)] civium Pilznensium *R.* [k)] *fehlt, R.* [l)] velint *P.*

[1] *Mansi 29, 829. 828.*

committi et ipsam supplicacionem legi; et quia non sibi concessa est sua peticio, protestatus est de iusticia sibi denegata, de quo peciit instrumentum etc.

Lectis litteris magistri hospitalis S. Johannis Jherosolimitani, continentibus expensas et alia onera, que subierunt et subire habent pro religione christiana, dominus Stephanus de Nouaria advocatus peciit, ipsam religionem haberi pro recommissa tam in exempcione semidecime quam alias, et produxit bullam revocatoriam bulle alias producte per prepositum Ratisponensem etc.

Dominus Humbertus de Chissiaco narravit, qualiter dominus Johannes de Prangino assertus episcopus Lausanensis requisivit, quod cum ipse dominus Johannes vellet se representare coram dominis de sacro concilio, ut audiretur.

Magister Hugo Barardi promotor nomine promotorio accusavit contumaciam domini Johannis de Prangino non comparentis et in ipsius reproduxit contumaciam monitorium et execucionem factam in partibus.

Illico ipse dominus Johannes assertus episcopus comparuit personaliter, protestans quod per huiusmodi suam compariciouem non intendit consentire huiusmodi monitorio, sed ipsum suis loco et tempore impugnare, petens audienciam dari suo advocato.

Dominus Gaspar de Perusio advocatus ipsius domini Johannis narravit processum promocionis eiusdem, ostendendo et allegando causas, propter quas in hac causa non esset procedendum, sicuti in causa Treuerensi; requisivit ut monitorium per sacrum concilium revocaretur tanquam ab eo extortum, quodque pax, que est in partibus illis, non convertatur in guerram.

Dominus Humbertus nomine domini ducis Sabaudie ratifficavit omnia dicta per dominum Gasparem et produxit mandatum pro interesse dicti domini ducis adherentis[a)] domino Johanni asserto episcopo, petens ad huiusmodi causam admitti.

Lectis litteris domini ducis Sabaudie, dominus Nicodus Festi explicavit suam credenciam, excusando dominum ducem super eo, quia aliqui infamaverant eundem dominum ducem tam in curia Romana quam in curia imperatoris, quod ipse dominus dux favebat eidem domino Johanni, ut posset usurpare iurisdictionem temporalem civitatis Lausanensis, et quod talibus dictis concilium non advertat etc.

Prepositus Lausanensis nomine capituli Lausanensis adhesit prefato[b)] domino Johanni et produxit mandatum.

Promotores contra dicta domini Gasparis responderunt, videlicet

[a)] adheserentis *P.* [b)] *wiederholt, P.*

quod huiusmodi monitorium notabiliter fuerat examinatum, antequam decerneretur in generali congregacione.

Procuratores et nuncii oppidorum de Berna, de Friburgo etc. produxerunt mandata de adherendo eidem domino Johanni, similiter litteras apostolicas, per quas dominus noster papa eis mandat, quod eidem domino Johanni tanquam vero episcopo obediant etc.

Dominus Symon de Theramo nomine domini episcopi[a] respondit ad proposita domini Gasparis, iustificando monitorium etc.

In causa Lausanensi[b].

Hiis auditis et lectis concordatis per dominos de duodecim, placuit et fuit conclusum, quod reverendi patres domini episcopi Pargamensis pro communibus, Papiensis pro fide, Foroiuliensis pro pace et Capruliensis pro reformatorio habeant infra brevem terminum partibus assignandum partes hincinde audire et ab eis iura, quibus se iuvare voluerint, recipere, et ipsis deputatis seu commissariis sufficienter instructis et informatis, referant ipsi in generali congregacione, ut inde sacrum concilium, facta huiusmodi relacione, partibus habeat iusticiam ministrare et finem imponere.

Quo ad avisamentum dominorum de duodecim, videlicet ut expediantur que cause hic tractari debeant et que remitti, tres deputaciones concordant, quod deputati super causis examinandis, que debeant remitti vel non, hodie post prandium hora iij[a] in Augustinensibus conveniant et se expediant.

Super secundo avisamento ipsorum de duodecim, videlicet de expediendo decreto symonie et concubinatus, omnes deputaciones concordant, quod deputati super decretis symonie et concubinatus moneantur, ut infra ebdomadam sequentem huiusmodi decreta expediant, alioquin ipsorum decretorum formas producant in deputacionibus et ibi expediantur, prout deputaciones ordinabunt. Et hic addidit deputacio reformatorii, quod officiarii moneantur, ne tantum exactionem[c] homines, ut fertur, et huiusmodi inquisicionem et eciam punicionem[d] commisit ipsa deputacio domino auditori camere etc.

Quo ad supplicacionem familiarium continuorum commensalium bone memorie domini cardinalis S. Eustacii, petencium se declarari per omnia et in omnibus perinde gaudere debere etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur.

Quo ad supplicacionem Anthonii Alasardi et Rixendis Vocade, petencium dispensari quod non obstante compaternitate inter ipsos existente matrimonialiter valeant in divino[e] conversari, et hoc sub bulla concilii,

[a]) dom. Ludouici *R.* [b]) In c. L. *fehlt, R.* [c]) ne tm̄ *P*, *Lücke R*; *lies* ne tantum exacerbent? [d]) presentacionem *P.* [e]) *lies* invicem?

attento quod bone memorie dominus Martinus papa quintus ipsis idem concessit, ut in supplicacione originali desuper confecta et registrata continetur, sed propter paupertatem et maliciam ipsas bullas habere non potuerunt: tres deputaciones concordant, quod expediantur littere sub bulla sacri concilii, et committatur reverendo patri domino episcopo Vticensi seu eius vicario, ut petitur.

Super quibus concordatis ut supra scribitur reverendissimus pater dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii conclusit iuxta deliberaciones trium deputacionum concorditer deliberancium.

P] Die sabbati XXII[a] maii in deputacione pro communibus pro parte deputacionis fidei relatum est ipsam deliberasse, quod avisamenta dominorum de duodecim, videlicet primum et secundum, placuerunt.

Deputacio pacis deliberavit, quod deputati pratici revideant taxam notariorum, et si indigeat reformacione, reformetur, qua taxa reformata transgressores per dominum auditorem camere graviter puniantur. Item quod revocetur ordinacio facta de sedibus, et postea fiat provisio generalis.

In deputacione pro communibus. Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim de notariis etc. placuit, quod dominus Henricus auditor camere revideat taxam sacri concilii, et si indigeat reformacione, reformet prout sibi videbitur, et facta reformacione, si sint transgressores, puniantur per eundem dominum auditorem; et similiter fiat provisio circa advocatos et procuratores.

Secundum vero avisamentum, videlicet quod deputaciones suos moneant deputatos, ut illo eodem die, quo super aliqua materia deputabuntur, post meridiem hora iij[a] conveniant in Augustinensibus disposituri[a)] de loco conveniendi etc., placuit in forma etc.

Quo ad tercium avisamentum de sedibus etc. placuit, quod expectentur ambassiatores domini ducis Burgundie, qui transierunt ad imperatorem.

Quo ad incorporacionem procuratorum domini Walrami electi et confirmati in episcopum Traiectensem fuerunt xiiij vota quod admittantur simpliciter; sunt xiij vota quod admittantur ita, quod primo submittant se ordinacioni concilii; et sunt xiiij vota quod solum admittantur privatis nominibus.

Quo ad primum avisamentum domini cardinalis legati, concernens provisionem faciendam Piznensibus, placuit quod ipse dominus cardinalis legatus habeat convocare inclitam nacionem Ytalicam et providere de

[a)] cbd. *P.*

pecuniis pro huiusmodi provisione, sicuti per alias naciones factum est etc.

Quo ad secundum avisamentum placuit, quod quilibet incorporatus die lune proxima veniat ad suam deputacionem cum pecuniis et det liberaliter illud, quod voluerit dare pro provisione facienda Pisnensibus, et in qualibet deputacione eligatur unus, qui huiusmodi elemosinas colligat per deputaciones, et pro deputacione de communibus fuit deputatus dominus abbas de Mulbruno.

PR] Die dominica die Trinitatis XXIII[a] maii fuit missa solemnis et sermo et celebravit missam dominus Tharentinus.

P] Die lune XXIIII[a] maii in sacra deputacione pro communibus absolucio et dispensacio petite per fratrem Johannem religiosum de Meldico commisse sunt reverendissimo patri domino cardinali Bononiensi.

Quo ad supplicacionem cantoris capelle domini imperatoris, petentis gaudere privilegiis et libertatibus incorporatorum concilio, placuit supplicacio in forma etc.

Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim super decreto de pacificis possessoribus placuit, quod domini alias deputati conveniant cum domino cardinali legato ad componendum formam huiusmodi decreti etc.

Quo ad decretum concilii Constanciensis de auctoritate conciliorum renovandum placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus habeat expedire formam huiusmodi decreti.

Ad videndum de modo puniendi appellantes a sacro concilio placuit, quod domini alias deputati simul conveniant et componant unam bonam formam decreti et referant etc.

Contra illos qui impediunt semidecimam placuit, quod quatuor domini deputati superiores collectores huiusmodi semidecime videant de modo puniendi dictos impeditores.

Quo ad decretum de electionibus, quod dicitur non servari in curia, placuit quod mittatur notabilis ambassiata ad dominum nostrum papam ad exhortandum et monendum eundem, ut huiusmodi decretum observare velit etc.

P] Die mercurii XXVI[a] maii in deputacione pro communibus quo ad supplicacionem illorum, qui petunt confirmacionem beneficiorum collatorum per dominum cardinalem legatum etc., placuit avisamentum dominorum de reformatorio in forma petita, videlicet quod petita per omnia concedantur ut petitur, maxime cum verissimiliter credendum non sit, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus aliter quam iuste et

recte providerit de beneficiis prescriptis, dumtamen in illis tempore huiusmodi non fuerit aliis specialiter ius quesitum etc.

Quo ad requestam domini abbatis S. Petri de Alexandria placuit avisamentum dominorum de pace, videlicet quod concedatur supplicacio in forma ut petitur, habita caucione ab abbate prefato, quod ipsam pecuniam convertat in reparacionem monasterii.

Quo ad requestam cuiusdam Johannis Baldung, diffamati de symonia, placuit quod suppleantur deffectus, si qui intervenerint in non observacione terminorum racione ordinum[a] etc., ut petitur.

Ad conveniendum hodie post vesperos in loco capitulari cum deputatis aliarum deputacionum ad deliberandum, quid sit respondendum querele domini imperatoris super causis prophanis, fuit deputatus dominus episcopus Cumanus.

Super avisamento dominorum de duodecim, concernente quod dentur iudices ad puniendum notarios[b] symoniacos et concubinarios etc., placuit et fuit electus iudex dominus Petrus Corserii, qui cum aliis iudicibus aliarum deputacionum habeat ex officio inquirere et punire huiusmodi notarios[b] symoniacos et concubinarios in concilio et extra, eciam ad concilium vocando, si sit opus. Et pro promotore fuit nominatus dominus sacrista Lugdunensis. Item quod ipsi iudices habeant inquirere et punire supposita huius concilii, si in excessibus, et maxime contra ordinaciones ipsius concilii, reperiantur aliquid attemptasse.

Quo ad tercium avisamentum placuit in forma, videlicet quod primo in deliberacione posita prius expediantur, quam alia nova materia introducatur.

Quo ad supplicacionem Johannis Hastruger et Anne Morley mulieris petencium dispensari placuit oppinio dominorum de reformatorio, videlicet quod committatur domino cardinali legato, qui auctoritate huius sacri concilii dispenset ut petitur, attento quod partes suam diligenciam fecerunt erga sedem apostolicam.

Quo ad requestam abbatis monasterii de Castella Eystetensis diocesis placuit, quod detur coadiutor in forma iuris et non alias etc.

PR] Die iovis XXVII[a] maii fuit dies solemnitatis Corporis Christi, ob cuius reverenciam et honorem fuit processio valde solemnis per civitatem, dominis prelatis in suis habitibus pontificalibus existentibus, et celebravit missam dominus Paduanus episcopus alter presidencium sacri concilii.

PR] Die veneris XXVIII[a] maii M^{o}iiij^{C}xxxiiij^{o} in congregacione generali, presidentibus dominis S. Crucis et aliis dominis cardinalibus[c]

[a]) terminum *P.* [b]) *lies* notorios? [c]) *fehlt, P.*

Placentino, J[ohanne][a] S. Petri et Firmano, fuit incorporatus abbas Montis Angelorum Constanciensis diocesis.

Lectis concordatis dominorum de duodecim, primo de salariis et excessibus notariorum et aliorum officiariorum, deputati fuerunt dominus auditor camere concilii pro deputacione pro communibus et unus cum ipso de qualibet alia deputacione, videlicet reverendus pater dominus episcopus Adriensis[b] pro fide, vicarius Frinsingensis pro reformatorio et officialis Patauiensis pro pace, qui diligenter revideant taxam salarii notariorum et aliorum officiariorum alias factam, cum in aliquibus reformacione indigeat, et que reformanda sunt reformentur, et punientur transgressores per ipsum dominum auditorem.

Item super alio avisamento dominorum de duodecim concordant deputaciones, quod de cetero deputandi illo eodem die, quo super aliqua materia deputabuntur, hora iij[a] post meridiem conveniant in Augustinensibus, ibidem de loco conveniendi disposituri et de presidente, qui eos habeat sollicitare et intimare, quando et ubi debeant convenire, et de modo expediendi materiam, super qua erunt deputati.

Item quo ad incorporacionem procuratorum domini Walrami postulati Traiectensis concordant omnes deputaciones, quod admittantur et incorporentur tanquam procuratores postulati, salvo tamen, iuxta additamentum deputacionis fidei, quod per huiusmodi incorporacionem non acquiratur aliquod novum ius ipsi domino Walramo, quodque inhibeatur omnis via facti sub pena amissionis iuris. Addidit eciam deputacio de communibus, quod se debeant submittere ordinacioni huius sacri concilii.

Item super supplicacione abbatis monasterii Deruensis[c] ordinis S. Benedicti Cathalaunensis diocesis, infirmitatibus incurabilibus ingravati etc., supplicantis ob utilitatem et bonum ipsius monasterii, alicui prelato ipsarum parcium committi et mandari, ut cessionem ab eodem domino abbate recipiat et admittat ac religiosum virum Odonem[d] de Ficocuria priorem prioratus de Wasseyo ordinis et diocesis predictorum eidem monasterio preficiat in abbatem, eidem nunc domino abbati, ne in senio ac infirmitate incurabili careat neccessariis opportunis, prioratum predictum committendo etc.: concordant omnes deputaciones, quod committatur ordinario loci, qui se de contentis in supplicacione ipsa diligenter informet, et si reperiat exposita fore vera ac partes supplicantes illa desiderare sine dolo et fraude, sed solum ob utilitatem dicti monasterii, auctoritate huius sacri concilii resignacionem eiusdem abbatis admittat et ordinet ac provideat, prout in supplicacione petitur et continetur, addito tamen quod hoc fiat de consensu conventus vel maioris partis religiosorum residencium in eodem dumtaxat.

[a]) J. *fehlt, R.* [b]) Adrensis *P.* [c]) de Vien̄ *R.* [d]) Oddonem *R.*

Lectis huiusmodi concordatis dominorum de duodecim, reverendissimus dominus cardinalis S. Crucis conclusit in eisdem nomine sacri concilii iuxta deliberaciones trium deputacionum concorditer deliberancium.

Deinde fuerunt incorporati domini procuratores domini Walrami electi et confirmati ecclesie Traiectensis, videlicet domini Petrus de Arssen[a] prepositus Arnheimensis, Ghisbertus de Locharst[b], Ghisbertus Hermen[c] maioris[d], Henrricus Richenberch[e], Theodericus Spierinch[f] S. Petri ecclesiarum Traiectensium canonici, qui omnes nomine procuratorio se submiserunt ordinacioni et determinacioni sacri concilii.

Contra quam incorporacionem protestatus est dominus Petrus de Mera procurator domini Radulphi[g] episcopi Traiectensis, prout in cedula super hoc per eum tradita, de quo peciit instrumentum.

Dominus vicarius Maguntinus nomine domini patriarche Aquilegiensis[h] presentis proposuit, quomodo alias pro parte dicti domini patriarche petitum fuerat monitorium contra illustre dominium Venetorum, occupans, ut dicebat, temporalitatem et spiritualitatem sui patriarchatus; et quia ambassiatores ipsius illustris dominii ad hoc non habebant mandatum, data fuit eis dilacio xxx dierum ad scribendum ipsi illustri dominio. Unde cum terminus sit expiratus, peciit nomine quo supra monitorium sibi decerni etc., dominis Gaspare[i] de Perusio, Symone de Theramo et Symone de Valle contra monitorium replicantibus, videlicet quod adhuc non expiravit terminus, eciam quia terminus est brevis ad respondendum super tam gravi materia.

Tandem materia huiusmodi remissa est ad deputaciones deliberanda.

Instante domino archiepiscopo Maguntino, scribente sacro concilio, placuit quod scribantur littere opportune pro liberacione abbatis in Armerbach[k], quem captivavit quidam Erbe de Lusstat[l] nomine.

Dominus archidiaconus Glasguensis proposuit pro iuribus et libertatibus ecclesie manutenendis et precipue in regno Scocie et protestaciones tres fecit, quas nos notarii petivimus[m] nobis dari in scriptis. Et tandem huiusmodi negocium fuit remissum ad deputaciones.

Supplicacio domini postulati Traiectensis[n] remissa est ad deputaciones.

Facta aliquali brevi collacione per dominum officialem Coloniensem, presentate fuerunt et lecte littere domini archiepiscopi Coloniensis, concernentes factum ecclesie Padeburnensis.

[a]) Arssem *R.* [b]) Lecurst *P.* [c]) Hermon *R.* [d]) magister *R.* [e]) Richlembegh *P.* [f]) Spiesingh *P.* [g]) Rodulphi *R.* [h]) Aqu. *wiederholt, P.* [i]) Gasparo *P.* [k]) Wynerbach *R.* [l]) Erk de Lustat *R.* [m]) preterimus *R.* [n]) Treuerensis *R.*

Quibus lectis quidam canonicus Padeburnensis peciit copiam littere antedicte sibi dari et advocatos[a)] capituli Padeburnensis super hac materia [audiri]; quequidem audiencia[b)] fuit remissa ad primam congregacionem.

Dominus Johannes de Polomar ambassiator sacri concilii, veniens de partibus circumvicinis Bohemie, proposuit sub theumate: „hoc facite in meam commemoracionem,“ prima ad Chorinthios xj° capitulo[1], suam faciens relacionem de gestis per eum in sua ambassiata, supplicans et exhortans de subvencione fienda civitati Piznensi[c)], nec non quod sacrum concilium dignetur scribere domino duci Alberto Austrie pro liberacione Mathie Barbati Bohemi, qui captivus detinetur in Bauaria et qui bene et laudabiliter laboravit pro reductione Bohemorum ad ecclesie unitatem.

Dominus cardinalis S. Crucis presidens regraciatus est nomine sacri concilii dicto domino auditori de laboribus etc. Et ratam habuit concilium donacionem V^{c} florenorum per ipsum dominum auditorem factam civitati Piznensi[a)] pro victualibus emendis.

Quo ad alia per eundem dominum Johannem de Polomar petita dati sunt alias deputati, qui provideant celeriter et conveniant hodie in S. Francisco.

P] Die sabbati XXIX[a] maii sequenti eiusdem mensis maii in deputacione pro communibus quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim super licenciis dandis placuit deliberacio alias capta, videlicet quod domini prelati et eorum procuratores recipiant suas licencias a suis deputacionibus et deinde a presidentibus singularum deputacionum, inferiores vero a presidentibus suarum deputacionum.

Quo ad primam partem secundi articuli contra prelatos vocandos etc. non fuit visum, quod pro nunc debeant vocari; placuit tamen quod promotores sacri concilii omnem adhibeant diligenciam circa deputaciones et deputatos earundem, ut materias ipsis commissas velint expedire.

Super requesta electi in episcopum S. Poncii Thomeriarum placuit, quod dentur deputati, qui de contentis in supplicacione se habeant informare et videre de modo providendi, ut decretum sacri concilii de electionibus etc. debite observetur. Et ad hoc fuerunt deputati domini Lugdunensis archiepiscopus, Vessionensis et Pergamensis episcopi, et referant.

Super requesta capituli ecclesie Padeburnensis placuit, quod loco domini episcopi Laudensis surrogetur dominus episcopus Cumanus, quodque unus ipsorum iudicum aliis coniudicibus suis absentibus solus possit

[a)] sibi dari advocatus *R.* [b)] materia *R.* [c)] Pilznensi *R.*

[1] *1. Cor. 11, 25.*

tenere et servare terminos et procedere in causa usque ad sentenciam diffinitivam exclusive etc.

Quo ad supplicacionem domini patriarche Aquilegiensis placuit, quod detur dilacio octo dierum, et si infra illos octo dies nuncius Venetorum non venerit, quod prima die lune deliberetur de monitorio petito et die martis fiat congregacio generalis, in qua decernatur monitorium.

P] Die dominica penultima maii fuit missa solemnis et sermo etc.

P] Die lune ultima mensis maii in deputacione pro communibus quo ad requestam procuratoris fiscalis placuit avisamentum deputacionis pacis, videlicet quod reverendissimus dominus cardinalis legatus eligat de qualibet deputacione unum, ita quod sint de diversis nacionibus, ut facilius sine timore et favore valeant procedere et iusticiam ministrare.

Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim, ut incorporati amodo magis sollicite suas visitent deputaciones, placuit quod promotores habeant in scriptis nomina incorporatorum et distributorum et quod in prima congregacione moneantur incorporati et distributi, ut suas visitent deputaciones, alioquin non gaudeant privilegiis incorporatorum et pro non incorporatis habeantur etc.

Quo ad secundum avisamentum placuit, quod in prima congregacione generali legantur ordinaciones sacri concilii et iuxta ipsas ordinaciones moneantur supposita eiusdem, quod illa observent et per suos familiares faciant observari.

Pro deputacione reformatorii relatum est, ipsam deliberasse super avisamentis dominorum de duodecim die sabbati preterita datis.

Dominus Christoforus ambassiator domini ducis Mediolani, associatus dominis episcopis Albinganensi Papiensi et Cumano et preceptore Janue ordinis Rodi etc., postquam narravit ea que dominus imperator dixit in denigracionem fame domini ducis Mediolani, per multas causas racionabiles iustificavit innocenciam ipsius domini ducis, protestando quod nichil voluit dixisse detrahendo maiestati imperatoris, ymo semper intendit ipse dominus dux obsequi eidem domino imperatori tanquam fidelissimus filius et servitor sue maiestatis, supplicans ut sacrum concilium dignetur scribere sue maiestati, ut velit eundem dominum ducem habere in filium et recommissum etc.

Quo ad requestam capitanei tociusque societatis milicie S. Georgii etc. placuit, quod dominus abbas captivus, de quo in eadem requesta fit mencio, adducatur ad concilium cum bonis et rebus, quodque dominus prepositus S. Florini Confluencie, coram quo causa ventilatur, de contentis in eadem requesta se informet et provideat prout de iure etc.

P] Die mercurii secunda mensis iunii in deputacione pro communibus pro presidente presentis mensis iunii fuit deputatus dominus Petrus Corserii ambassiator domini comitis Arminiaci;

pro duodecim dominus episcopus Constanciensis continuatus, abbas de Chereto et dominus prepositus S. Martini in Forghen procurator domini episcopi Herbipolensis;

pro custodia clavis bulle doctor Erffordensis et iuravit.

Ad examinandum supplicaciones et referendum fuit deputatus dominus episcopus Pargamensis.

Ad distribuendum supposita continuet magister Hugo promotor officium huiusmodi.

Relatum est pro parte reformatorii, ipsam deliberasse quod die veneris fiat sessio, in qua expediantur decreta de symonia, de auctoritate conciliorum, de concubinariis, de veris possessoribus.

Item quod domini de duodecim habeant deinceps avisare deputaciones de materiis reformacionis.

In deputacione pro communibus:

Super avisamentis dominorum deputatorum in facto causarum remittendarum vel non placuit, quod detur copia habere volentibus, et in prima deputacione veniant deliberati.

Quo ad factum bullarum arrestatarum placuit, quod domini deputati, videlicet domini episcopus Constanciensis, Henrricus Nythart et Symon Freron easdem recipiant et ad deputacionem deferant et ibi videatur, quis eas expedivit, et postmodum legantur in generali congregacione. Articulus[a]: quo ad expediendas dispensaciones graciam aut privilegia concernentes fiat registrum commune, in quo omnes expediende registrentur ad modum curie Romane, quo ad iam expeditas et preteritas fiat ordinacio, quod quilibet habens tales debeat infra certum terminum eas in sacro concilio reproducere et registrari facere, alioquin pro nullis habeantur.

Aliqui addiderunt, quod pecunie recepte per fratres de ordine S. Johannis Jherosolimitani in regno Hungarie restituantur.

Quo ad controversiam sedium placuit, quod prorogetur terminus inhibicionis alias facte dominis contendentibus de sedibus per totum presentem mensem iunii.

Decanus de Salceya pro et nomine domini Johannis episcopi Sagiensis per dominos deputatos ad examinandum excusaciones concilio fuit incorporatus et admissus ad se representandum.

[a]) *am Rande, P.*

P] Die iovis III[a] iunii in deputacione pro communibus placuit quod dentur transumpta habere volentibus sub bulla sacri concilii de bullis indulgenciarum concessarum per dominum nostrum papam Eugenium modernum racione solemnitatis Corporis Christi[1], quodque dentur et augeantur indulgencie auctoritate huius sacri concilii, secundum quod videbitur dominis legato cardinali et dominis presidentibus sacri concilii.

Super supplicacione domini Walrami postulati etc. confirmati ad ecclesiam Traiectensem, attento quod est de septem ecclesiis, pro quibus serenissimus dominus imperator sacro concilio supplicavit, placuit quod vocentur partes, inhibeatur via facti et procedatur in causa ex officio, eciam summarie simpliciter et de plano, sola facti veritate inspecta, sicuti processum est in causa Treuerensi.

Quo ad supplicacionem domini Anthonii de Noyers electi Lingonensis placuit, quod causa appellacionis committatur reverendissimo domino cardinali Placentino iuxta avisata deputacionum pacis et reformatorii.

Quo ad supplicacionem electi S. Poncii Thomeriarum placuit, quod dominus episcopus Pargamensis cum deputatis aliarum deputacionum vocatis vocandis videant et examinent dictam electionem, et si eam canonicam repererint, auctoritate sacri concilii confirme[n]t et inhibea[n]t etc., prout de iure, et iusticiam facia[n]t etc.

Super supplicacione canonici Mediolanensis diocesis placuit, quod habeat remissionem ad partes ut petitur, prestito prius per eum iuramento, quod non in fraudem hoc petat.

Quo ad supplicacionem illorum de diocesi Leonensi, volencium permutare, commissa est domino episcopo Leonensi ordinario loci et domino Johanni Pringencii canonico Guerrandie, qui provideant ut petitur etc.

Supplicacio illius, qui gessit habitum S. Anthonii, commissa est domino abbati S. Anthonii, adiuncto sibi domino abbate Cisterciensi, qui provideant prout de iure, et fiat declaracio. Et casu quo fiat huiusmodi declaracio, restituat bona per eum ab ecclesia recepta.

Quo ad supplicacionem electi in loco capitulari Lingonensi placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali Placentino, cui causa appellacionis domini Anthonii electi commissa est, ne causarum continencia dividatur, qui vocatis vocandis procedat, prout de iure.

Quo ad supplicacionem illorum Spirensis et Treuerensis[a)], petencium dispensari non obstante cognacione[b)] spirituali, commisse sunt domino cardinali legato, qui auctoritate concilii dispenset cum supplicantibus, prout sibi videbitur.

[a)] trēn *(?) P.* [b)] *davor gestrichen* dispensacione *P.*

[1] „Excellentissimum corporis“, *1433 Mai 26. Bullarium Romanum (Rom 1743) III, 3 p. 9.*

Quo ad expedicionem bulle Guillermi de Mielana Burdegalensis diocesis refutata est.

Quo ad requestam magistri Hugonis Peraldi Bisuntini, captivi detenti in territorio domini ducis Austrie, placuit quod scribatur per concilium locumtenenti dicti domini ducis pro eius liberacione, et si rennuerit, procedatur iuxta decreta Constanciensis et huius Basiliensis conciliorum. Item quod pro securitate suppositorum scribatur domino imperatori, ut det protectorem etc.

Similiter scribatur pro duobus captivis iuxta civitatem Virdunensem, quibus expedierit, pro liberacione ipsorum.

P] Eadem die fuit facta inhibicio partibus contendentibus de sedibus etc. usque ad xv [a] dies [per] cardinales Bononiensem Placentinum et S. Petri etc.

PR] Die veneris IIII[a] iunii M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali, presidentibus dominis S. Crucis, S. Angeli et aliis legatis domini nostri pape, fuerunt incorporati more solito reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis, prior Romani Monasterii Lausanensis diocesis, magister Furseus du Bruile [b] prepositus Attrebatensis, magister Johannes Spasserii [c] pro domino episcopo Laudunensi et promisit solvere x florenos intra duos menses, dominus Johannes Blondeleti [d] baccallarius formatus in theologia decanus Cathalanensis [e] pro rege Ludouico, dominus Johannes de Posa [f], dominus Petrus Monterii [g], Henrricus de Bona, Stephanus Plomierii [h] licenciatus in decretis, Judocus de Ponte serviens armorum cum domino Arelatensi, dominus Guillermus de Deserto, dominus Odo [i] de Varris prothonotarius.

Dominus cardinalis Arelatensis regraciatus est concilio de honore sibi impenso in introitu civitatis, narravit honores sibi multipliciter impensos, primum per dominum ducem Mediolani, qui in galea Januensium [k] fecit eum conduci usque ad domum propriam Arelatensem. Dixit pro parte regis Francie existentis in Vienna sibi venerunt obviam dominus dux Borbonii, Karolus de Andegauis cum v[M] equitum. Similiter [l] de honoribus impensis per dominum ducem Sabaudie et alios etc. regraciatus est.

Magister Robertus au Clou [m] nominibus ambassiatorio et procuratorio non consenciit in inhibicione facta pro parte concilii dominis ambassiatoribus [n] domini ducis Burgundie racione sedium, ymo protestatus est ex-

[a]) .X. decem *P.* [b]) Fursius de Bruiye *R.* [c]) Spazerii *R.* [d]) Blomeedeleti *R.* [e]) Cathalaunensis *R.* [f]) Poza *R.* [g]) Monteni *R.* [h]) Plomerii *R.* [i]) Oddo *R.* [k]) Januencium *P.* [l]) finaliter *R.* [m]) Oclow *R.* [n]) et procur.—amb. *fehlt, R.*

presse, quod huiusmodi inhibicio non preiudicet iuri domini sui, de quibus peciit instrumentum, presentibus Hugone promotore et procuratore fiscali.

Deinde domini archiepiscopus Magdeburgensis et episcopus Lubicensis, missi ad dominum imperatorem nomine concilii, per organum ipsius domini Lubicensis de gestis per eos erga serenitatem imperialem ad longum suam fecerunt relacionem. Narravit inter cetera quinque contemptus eidem imperatori per concilium factos: primus contemptus, quod ipso imperatore existente in Ytalia, ambassiatores principum electorum fuerant spoliati suis locis. Secundus contemptus, quod ipso existente in concilio, quod continue instetit quod reponerentur ad sua loca. Tercius comtemptus, quod non fuit requisitus quod mitteret aliquos de suis in ambassiata ad regem pro pace regni Francie. Quartus de ambassiata mittenda ad Italiam pro recuperacione terrarum ecclesie. Quintus contemptus, quod instetit pro reformacione in capite et in membris facienda et nichil adhuc potuit obtinere.

Lecte fuerunt littere domini imperatoris, per quas recommendat sacro concilio causam ecclesie Magdeburgensis contra cives [a].

Item lecta fuit littera patens ipsius domini imperatoris, per quam dat facultatem domino episcopo Lubicensi prosequendi causam contra dominum ducem Guelrie [b] etc.

Dominus prepositus Aremensis [c] excusavit prefatum dominum ducem.

Dominus Lubicensis peciit sibi dari commissarios in causa domini Guelrensis [d]. Remissa est materia ista ad deputaciones.

Peciit insuper prefatus dominus Lubicensis copiam expositorum in deputacionibus per dominum Christoforum ambassiatorem domini ducis Mediolani.

Per dominum episcopum Albinganensem fuit responsum, quod quitquid fuerat propositum per prefatum dominum Christoforum nomine domini Mediolani, hoc fuerat per excusacionem domini ducis domini sui circa aliqua dicta per dominum imperatorem, et non in derogacionem dicti domini imperatoris, cum quo non vult dictus dominus dux contendere, de quo pro parte dicti domini ducis semper fuit expresse protestatum.

Lectis concordatis in causa appellacionis domini electi Lingonensis, concordant tres [e] deputaciones, quod committatur reverendissimo [f] domino cardinali Placentino, qui de contentis in requesta se informet et iusticiam faciat. Quarta autem de fide deliberavit, quod remaneat coram domino patriarcha Anthioceno, nisi supplicans alleget causam sufficientem.

Super supplicacione fratris Johannis de Spira professi monasterii

[a]) contra cives *fehlt, R.* [b]) Gelric *R.* [c]) Arennensis *R.* [d]) Gelrensis *R.* [e]) omnes *R.* [f]) rev.—rev. *fehlt, R.*

Mellicensis concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo[f] domino cardinali Bononiensi, qui provideat et dispenset, prout consciencie sue visum fuerit.

Super supplicacione cuiusdam suppositi huius concilii, petentis dispensacionem etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendo patri domino episcopo Gebennensi, qui dispenset cum supplicante ut petitur.

Super supplicacione domini electi S. Poncii Thomeriarum[a] concordant deputaciones, quod committatur reverendis patribus dominis Vticensi Aurelianensi Pergamensi et Ebroicensi episcopis, qui habeant examinare huiusmodi electionem, et si eam canonicam repererint, auctoritate huius sacri concilii confirment, prout de iure, et iusticiam faciant.

Super supplicacione procuratoris fiscalis de impedientibus venientes ad concilium etc. concordant omnes deputaciones, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus accipiat quatuor, de singulis deputacionibus unum, sic tamen quod sint de quator nacionibus, ut facilius sine timore et favore valeant procedere et iusticiam ministrare etc.

Lectis huiusmodi concordatis suprascriptis, reverendissimus dominus cardinalis S. Crucis tunc presidens nomine sacri concilii conclusit iuxta deliberaciones trium deputacionum concorditer deliberancium, de quibus promotores pecierunt instrumentum et instrumenta etc.

Facta relacione per dominos archiepiscopum Lugdunensem et episcopum Paduanum super provisione facienda cantoribus capelle sacri concilii, huiusmodi materia remissa est ad deputaciones.

Supplicacio facta per dominum Dignensem, quod decretum Constanciensis concilii de auctoritate summi[b] pontificis renovetur cum decreto de auctoritate conciliorum, remissa est ad deputaciones.

Dominus archidiaconus Glasguensis proposuit in scriptis multa, que fuerunt facta et que fiunt per officiales domini regis Scocie contra libertatem ecclesiasticam et ecclesiasticos viros in regno Scocie, petens et requirens super hoc per sacrum concilium provideri et dari iudices, petens tanquam denunciator, quod procedatur in causa ex officio etc.

Dominus abbas de Dondrana[c] in Scocia excusavit super premissis dominum suum regem, petens copiam propositorum, et protestatus est quod nunquam dominus rex Scocie voluit facere contra privilegia ecclesiasticorum, et sibi dari iudices peciit[d].

Hec materia remissa est ad sacras deputaciones deliberanda.

[a]) Chomanorum *R.* [b]) *fehlt, P.* [c]) Dundraynan *R.* [d]) contra privilegia ecclesiasticorum et privilegia sibi dari iudices peciit *P*, contra privilegia ecclesiastica et pecierunt iudices *R.*

P] Die sabbati quinta iunii in deputacione pro communibus quo ad provisionem faciendam cantoribus capelle sacri concilii placuit, quod reverendi patres domini archiepiscopus Lugdunensis et episcopus Paduanus habeant facultatem videndi de modo provisionis fiende dictis cantoribus et eciam concludendi in huiusmodi negocio.

Quo ad innovacionem bulle per felicis recordacionis dominum Johannem xxiij[um] ordini S. Johannis Jherosolimitani concesse placuit, quod nullomodo fiat huiusmodi innovacio, ymo fiat inquisicio a domino H[enrico] Rascop abreviatore, unde processit expedicio dicte innovacionis.

Quo ad solemnizacionem Visitacionis beate Marie virginis [1] placuit, quod ante dissolucionem concilii provideatur et mandetur universis christifidelibus, huiusmodi solemnitatem sine tamen octabis observari.

Super peticione domini imperatoris, petentis committi causam controversie inter dominos ducem Guelrie et Montensem etc., placuit quod de qualibet deputacione detur unus deputatus, qui quatuor deputati simul convenientes videant de modo procedendi in huiusmodi causa, postmodum referant deputacionibus, et pro ista deputacione fuit deputatus dominus episcopus Lausanensis.

Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim placuit, quod domini deputati super controversia inter curatos et Mendicantes religiosos, super salariis et excessibus notariorum et officiariorum, super causis remittendis vel non, conveniant hodie in locis suis consuetis et referant prima die in suis deputacionibus. Et loco absencium fuerunt deputati provincialis Lombardie et Symon Freron.

P] Die dominica VI[a] iunii fuit missa solemnis in ecclesia maiori, ut moris est etc.

P] Die lune VII[a] iunii in deputacione pro communibus placuit, quod propter felicissima nova de victoria habita per fideles barones Bohemie contra Hussitas fiat die crastina processio generalis et missa.

Placuit eciam quod reverendissimus dominus legatus possit convocare dominos de ordinibus S. Benedicti et S. Augustini canonicorum regularium de Almania et aliquos alios de aliis nacionibus, quos voluerit, ad videndum et disponendum de mittendis aliquibus viris notabilibus per Alamaniam, qui visitent et reforment monasteria eorundem ordinum etc.

Super supplicacione domini patriarche Aquilegiensis placuit, quod reverendissimi patres domini cardinales S. Crucis, S. Angeli, S. Petri ad vincula et Firmanus infra mensem habeant tractare concordiam inter ipsum patriarcham et illustre dominium Venetorum. Quod si non possint

[1] *Juli 2.*

infra dictum mensem partes concordare, placuit quod lapso termino prefati domini commissarii nomine et auctoritate sacri concilii possint decernere monitorium et iusticiam partibus ministrare etc., quodque domini presidentes sacri concilii quo ad istum actum dumtaxat possint indicere congregacionem generalem, et alias ut petitur in supplicacione.

Votum domini Pargamensis super hoc fuit, quod placet sibi supplicacio quo ad concordiam dumtaxat.

Placuit quod domini Lugdunensis et episcopus Lausanensis habeant exhortari reverendissimum dominum cardinalem Arelatensem, ut velit esse de deputacione pro communibus etc.

PR] Die martis octava iunii propter felicissima nova de victoria, quam habuerunt barones et nobiles regni Bohemie noviter conversi contra Hussitas, fuit facta processio generalis per civitatem Basiliensem, post cuius processionem fuit decantatum „Te Deum laudamus“, deinde celebrata missa solemnis per dominum episcopum Constanciensem. Et missa durante prior conventus Predicatorum Basiliensium fecit extra ecclesiam sermonem ad populum in vulgari etc.

P] Die mercurii IX[a] iunii in deputacione pro communibus super supplicacione reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis placuerunt domini deputati descripti in supplicacione, qui infra mensem habeant partes concordare, si fieri possit, alioquin lapso dicto mense possint monitorium decernere et iusticiam summariam etc. partibus ministrare, et alias prout in supplicacione petitur.

Quo ad primum avisamentum de duodecim placuit, quod de cetero nulle materie per quemcunque introducantur, nisi prius expeditis hiis, que per dominos de duodecim administrantur.

Quo ad secundum avisamentum placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus assumat aliquos notabiles viros de singulis deputacionibus, qui auctoritate huius sacri concilii circa reformacionem suppositorum concilii ac cleri civitatis istius et circumvicini habeant providere.

Quo ad tercium avisamentum placuit, quod dentur deputati, qui cum deputatis aliarum deputacionum habeant videre de numero et qualitate cardinalium de singulis nacionibus assumendorum et de provisione facienda domino nostro pape et dominis cardinalibus infra terminum x dierum, et referant dicti deputati in proxima deputacione post lapsum termini dictorum x dierum. Et ad hoc fuerunt deputati alias deputati.

Quo ad avisamenta dominorum deputatorum super modo providendi

contra appellantes a concilio et impedientes semidecimam placuerunt[a] maiori parti avisamenta in forma, hoc addito quod mittatur notabilis ambassiata ad dominum nostrum papam ad exhortandum eum, ut dignetur observare decreta sacri concilii, specialiter decretum de electionibus etc.

Quo vero ad causam illorum de Grimaldis de Janua placuit, quod citentur per edictum et detur terminus sufficiens, infra quem comparere habeant, et renunciato prius sue appellacioni, audiantur in suis deffensionibus et fiat eis bona iusticia.

Quo ad penam religiosi de Grimaldis moderetur huiusmodi pena.

Quo ad articulum incipientem „Item si quis appellaverit“ etc., placuit quod generaliter non liceat appellare a tribus sentenciis conformibus, et super hoc apponantur pene.

Quo ad avisamentum de semidecima etc. placuit avisamentum in forma etc.

Quo ad requestam archidiaconi Glasguensis placuit, quod differatur huiusmodi negocium usque ad adventum domini Glasguensis episcopi ambassiatoris regis Scocie, vel saltem usque ad viij dies.

Dominus episcopus Gracianopolitanus obtinuit licenciam recedendi.

Item dominus Petrus de Trillia obtinuit licenciam recedendi a dominis deputatis ad examinandum causas excusacionum, qui promisit reverti quantocius commode fieri poterit; hoc est ad relacionem domini Francisci de Bossis advocati.

P] Die iovis X[a] iunii in deputacione pro communibus domini episcopus Niuernensis et abbas de Dompnomartino, ambassiatores domini ducis Burgundie, obtulerunt sacre deputacioni suam peticionem in scriptis, per quam requirunt sibi iusticiam per sacrum concilium ministrari super controversia sedium etc., cuius peticionis copiam peciit dominus episcopus Lubucensis[b].

Deinde ipse dominus Lubucensis et eciam Lubicensis episcopi nomine domini imperatoris requisiverunt, ordinacionem alias super controversia huiusmodi sedium factam revocari.

Dominus Johannes Pringencii doctor ambassiator domini ducis Britanie protestatus est de iniuria dicto domino suo racione sedium facta ad importunam instanciam, ut dicebat, dominorum ambassiatorum domini ducis Burgundie, petens iusticiam sibi ministrari.

Dominus Gaspar de Perusio advocatus domini Rodolphi de Dyepholt episcopi Traiectensis exhibuit peticionem pro parte ipsius domini Rodolphi, petens iuxta eandem revocari deliberacionem per dictam depu-

[a]) placunt *P.* [b]) *korr. aus* Lubicensis *P.*

tacionem alias factam. De quibus procuratores ipsius domini Rodolphi pecierunt instrumentum, presentibus Bellicensi Lausanensi episcopis, Johanne Pulcripatris et domino Johanne Pringencii.

Frater Johannes Wypennim nuncius sacri concilii ad imperatorem missus de gestis per eum erga eandem imperialem maiestatem facto[a)] in scriptis suam fecit relacionem. Et lecta per eum huiusmodi relacione, pro parte ipsorum dominorum ducum fuit oblata requesta.

Placuit quod in materia sedium etc. supersedeatur, usquequo dominus cardinalis legatus venerit ad deputacionem et in maiori numero deputacio fuit congregata.

Quo ad supplicacionem monialium monasterii in Sko Cisterciensis ordinis Vpsalensis diocesis remissa est ad dominum abbatem Cisterciensem generalem ordinis, qui de meritis cause se informet et provideat iuxta statuta ordinis.

Quo ad requestam Johannis Orieti super privacione fienda etc. committatur ordinario loci, quod se informet et provideat secundum formam iuris.

Quo ad supplicacionem Guillermi de Gantvois super fundacione capelle in ecclesia beate Marie de Montecarmeli Nannetensi placuit, quod per sacrum concilium confirmetur, salvo iure alieno etc.

Super requesta illustris domini ducis Britanie, petentis confirmacionem fundacionis et dotacionis ecclesie collegiate beati Michaelis in Campo, placuit quod confirmetur ut supra.

Super requesta Johannis Wythendorff pauperis orphani etc. placuit, quod committatur auditori camere concilii, qui vocatis abbate et aliis, de quibus fit mencio in supplicacione, relaxet iuramentum et compellat eosdem infra xx dies ad restitucionem bonorum, si vera sint que narrantur in eadem supplicacione.

Quo ad requestam canonicorum regularium provincie Coloniensis placuit, quod compellantur dicti canonici regulares ad continuandum regimen et curam monialium eiusdem ordinis et provincie etc.

PR] Die veneris XI[a] mensis iunii fuit festum beati Barnabe apostoli, ob cuius reverenciam non fuit congregacio generalis, ymo[b)] missa solemnis.

PR] Die sabbati XII[a] mensis iunii M[o]iiij[C]xxxiiij[o], presidentibus domino cardinali S. Crucis, Johanne Tarentino, Petro Paduano et abbate S. Justine, assistentibus cardinalibus Placentino et Arelatensi, in congregacione generali fuerunt incorporati magister Symon Pinguisdepane in

[a)] *wohl zu emendieren* super facto dominorum ducum Saxonie. [b)] sed *R.*

sacra pagina professor pro episcopo Claromontensi, magister Johannes de Pratis baccallarius in theologia, Johannes de Castellione [a], Guillermus Dueti [b] baccalarius in decretis canonicus archidiaconus Castri Radulphi [c] in ecclesia Bituricensi etc.

Lectis concordatis per dominos de duodecim super causa Traiectensi, concordant omnes deputaciones, quod partes ex officio citentur personaliter et quod inhibeatur via facti; quod autem procedatur summarie et de plano, concordant tres deputaciones.

In causa domini patriarche Aquilegiensis concordant omnes deputaciones, quod reverendissimi domini cardinales S. Crucis, S. Angeli, S. Petri ad vincula et Firmanus infra mensem tractent de concordia inter ipsum dominum patriarcham et illustre dominium Venetorum; quod si non possint infra dictum mensem partes concordare, prefati domini commissarii nomine et auctoritate sacri concilii valeant decernere monitorium et ministrare partibus iusticiam summariam, ut petitur in supplicacione; quodque reverendissimi domini presidentes sacri concilii quo ad actum huiusmodi dumtaxat possint indicere generalem congregacionem.

In causa ecclesie Constanciensis provincie Maguntine concordant omnes deputaciones, quod cause advocentur ad concilium et quod iuxta tres deputaciones in eis procedatur summarie et de plano coram iudicibus per deputaciones nominatis, videlicet reverendissimo domino cardinali legato, Constanciensi Cumano et Gurcensi episcopis, magistro Johanne Pulcripatris et decano Brixinensi.

In causa Padeburnensi concordant tres deputaciones, quod coram uno solo possint observari termini usque ad sentenciam diffinitivam exclusive.

Super supplicacione Johannis Tinelli concordant tres deputaciones, quod committatur domino Petro Corserii, qui se informet de contentis in eadem, et si constiterit de assertis, provideat ut petitur; quarta autem de reformatorio deliberavit, ut in hac causa quod observentur statuta collegii in ipsa supplicacione nominati.

Super facto cantorum capelle sacri concilii concordant omnes deputaciones iuxta avisamentum dominorum de communibus, quod reverendissimi domini archiepiscopus Lugdunensis et Petrus episcopus Paduanus provideant ipsis cantoribus et concludant in negocio huiusmodi.

Dominus electus Baiocensis peciit legi suam supplicacionem et protestatus est de iusticia sibi denegata etc.

Lectis superius concordatis dominorum de duodecim, reverendissimus dominus cardinalis S. Crucis presidens nomine sacri concilii conclusit iuxta deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium.

[a] Castillione *R.* [b] Drocti *R.* [c] Rodulphi *R.*

Quo vero ad causam patriarche Aquilegiensis datur terminus unius mensis ad concordandum partes, et si in fine mensis concordia non sequatur, tunc concludetur in generali congregacione iuxta nunc deliberata per sacras deputaciones et concordata per dominos duodecim. Et exnunc protestatus est dominus Franciscus advocatus domini patriarche et nomine eiusdem, quod non intendit recedere ab ipsis deliberatis per deputaciones, sed commodo illarum deputacionum tempore illo vult uti. Quam protestacionem reverendissimus dominus cardinalis S. Crucis presidens nomine sacri concilii admisit.

Deinde instantibus promotoribus dominus cardinalis S. Crucis presidens nomine concilii decrevit citacionem in huiusmodi causa Traiectensi iuxta superius deliberata et conclusa.

Dominus episcopus Foroiuliensis alter iudicum in causa Lausanensi proposuit, qualiter partes in huiusmodi causa contendentes compromiserunt in reverendissimos dominos cardinales Rothomagensem Arelatensem, archiepiscopum Lugdunensem et dominum ducem Sabaudie, quare ipse dominus episcopus Foroiuliensis nominibus suorum collegarum et suo [peciit], quod sacrum concilium dignaretur eis mandare, ut onus huiusmodi compromissi auctoritate sacri concilii acceptarent. Quod placuit.

Dominus Ludouicus episcopus Lausanensis exposuit, quod pars sua adversa heri per totam diem debebat producere bullam sue provisionis, quod non fecit. Unde protestatus est, quod non consenciebat compromisso. Et tandem dominus cardinalis Arelatensis dixit, quod ipse adversarius heri mandavit ad domum suam aliquos portantes huiusmodi bullam, sed ipse tunc erat in congregacione dominorum cardinalium.

Quibus dictis dominus Humbertus de Chissiaco asseruit, ipsam hodie se exhibiturum.

Dictus dominus Ludouicus iterum protestatus fuit, quod nisi hodie producatur, non consentit dicto compromisso.

P] Die dominica XIII[a] fuit missa solemnis in ecclesia maiori, ut est moris etc.

P] Die lune XIIII[a] iunii M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in sacra deputacione pro communibus quo ad taxam notariorum etc. placuit, quod huiusmodi taxam revideant cum domino Henrrico auditore camere reverendus pater dominus episcopus Constanciensis, domini Furseus Ysidorus et Johannes de Vado et referant in prima deputacione.

Quo ad materiam decretorum de intrusis in benefciis et de pacificis possessoribus beneficiorum per quinquennium etc. placuit, quod habita copia eorundem quilibet veniat deliberatus in prima deputacione et super hoc concludatur. Similiter super decreto de causis.

Item dum fiebat mencio, quod deliberaretur super ultimo avisamento dominorum de duodecim, ut decerneretur monitorium contra illos, qui receperunt decimam dudum per felicis recordacionis dominum Martinum papam quintum causa debellandi Hussitas [impositam] et non reddiderunt compotum et reliqua, dominus Johannes Prangencii ambassiator domini ducis Britanie se expresse huiusmodi monicioni, in casu quo decerneretur, se opposuit et contradixit, petens a me instrumentum etc.

P] Eadem die, dissoluta deputacione, instante magistro Henrrico de Beinhem officiali Basiliensi altero promotorum sacri concilii nomine promotorio, Johannes Lamberti dicti concilii cursor bullam dicti concilii executoriam sentencie ecclesie Treuerensis adiudicate reverendissimo domino Rabano etc. infra missarum solemnia ad valvas maioris ecclesie Basiliensis affixit et ipsam executoriam fere per spacium medie hore inibi affixam, instante quo supra, amovit. De quibus ipse promotor peciit a nobis Georgio et Bruneti instrumentum et instrumenta, quotquot fuerunt neccessaria, presentibus ibidem dominis Nicolao Roicz canonico S. Trinitatis Spirensis, Nicolao Melach vicario S. [a)] Germani extra muros Spirenses, magistro Johanne de Turnis magistro in artibus notario publico Parisiensis diocesis, Jacobo de Vylk de Andrenacho Treuerensis diocesis, Petro Walpuni de Wyssembourgh Spirensis diocesis et Wylebaldo Brenchtel canonico noue legis Eistetensis [b)] etc.

P] Die mercurii XVI[a] iunii in sacra deputacione pro communibus ad videndum de modo procedendi in causa ducum Guelrie et Montensis cum domino Lausanensi in hac causa deputato fuit adiunctus dominus Galeacius de Mantua.

Pro parte deputacionis reformatorii relatum est, in facto sedium dedisse iudicem cum aliis dominum episcopum Gadicensem. Item super reformacione cleri civitatis et suppositorum. Item super provisione domini nostri pape et cardinalium. Item contra impedientes semidecimam. Item super taxa notariorum. Item quo ad decretum de electionibus scribatur domino nostro pape. Item quod decreta de pacificis possessoribus, de causis et de appellacionibus expediantur etc. Item de data hodierna ipsi de reformatorio dederunt suos deputatos ad videndum formam decreti de pacificis possessoribus, videlicet dominos patriarcham Anthiocenum, Turonensem archiepiscopum, Ebroicensem et Gurcensem episcopos, qui conveniant cras in domo domini patriarche. Item [c)] quod fiat monitorium contra illos, qui detinent decimam alias per dominum quondam Martinum papam V. occasione Hussitarum impositam.

[a)] *wiederholt, P.* [b)] *lies* novi collegii Eistetensis diocesis. [c)] Ita *P.*

In communibus:

Ad revidendum et corrigendum formas decretorum de pacificis possessoribus et intrusis et interessendum cum deputatis aliarum deputacionum fuerunt deputati domini cardinalis legatus, archiepiscopus Lugdunensis, episcopus Pergamensis et Ludouicus de Garsiis, qui habeant facultatem in huiusmodi negocio concludendi infra diem sabbati proximam. Et si aliqui voluerint circa hanc materiam aliqua dare motiva, poterunt illa dare eisdem dominis deputatis.

Super supplicacione illustris principis domini Erici ducis Saxonie placuit, quod dentur iudices per sacrum concilium, qui iusticiam faciant. Et pro ista deputacione fuit nominatus dominus episcopus Pargamensis.

Super requesta capituli Constanciensis provincie Maguntine fuit deputatus iudex reverendissimus dominus cardinalis S. Petri, qui causam audiat et iusticiam faciat etc.

Pro pace relatum est, quod die sabbati in viij diebus fiat sessio, in qua pronuncietur decretum de auctoritate conciliorum generalium et alia peracta etc.

Quo ad avisamenta de causis etc. et alia data per dominum Gasparem advocatum placuit, quod detur copia habere volentibus, et in proxima deputacione et aliis sequentibus deliberetur articulatim.

Ad componendum decretum super huiusmodi avisamentis fuerunt deputati prefati domini cardinalis legatus, archiepiscopus Lugdunensis, Pergamensis episcopus et Ludouicus de Garsiis.

Dominus episcopus Lubicensis obtinuit licenciam a domino cardinali legato et presidente deputacionis et loco sui constituit procuratores dominum Nicolaum scolasticum, Mercardum Stiten Lubicensis et Thidericum de Sequsen Hamburgensis Bremensis diocesis ecclesiarum canonicos ad se representandum in concilio, consenciendum etc., in meliori forma etc.

P] Die iovis XVII[a] iunii in deputacione pro communibus pro deputacione reformatorii relatum est, ipsam dedisse deputatos super libertatibus ecclesie etc.

Quo ad supplicacionem domini electi S. Poncii Thomeriarum placuit, quod alter iudicum solus, aliis suis collegis absentibus, valeat procedere in causa et terminos servare usque ad sentenciam diffinitivam exclusive etc.

Super supplicacione domini archidiaconi Glasguensis, concernente libertates ecclesie regni Scocie, placuit avisamentum deputacionis fidei. Et pro deputacione ista ad conveniendum cum aliis deputatis aliarum

deputacionum fuit deputatus dominus cardinalis legatus, adiunctis secum nonnullis notabilibus viris de quolibet statu, ita tamen quod nichil fiat contra dominum regem Scocie usque ad adventum reverendissimi domini cardinalis de Cipro etc.

Quo ad supplicacionem fratris soldani et Johannis Lamberti cursoris super parrochiali ecclesia de Sclusa remisse sunt ad reverendissimum dominum vicecancellarium et dominos precognitores, qui provideant ut eis videbitur.

Super supplicacione capituli Nuemburgensis placuit ut petitur in forma etc.

Super supplicacione domini imperatoris, concernente controversiam inter dominos duces Guelrie et Montensem, placuit quod committatur in partibus iudicibus non suspectis et de consensu parcium.

Domini ambassiatores domini ducis Britanie accesserunt ad deputacionem offerentes supplicacionem, per quam requirunt primum locum ante dominum ducem Burgundie sibi dari, quodque revocetur ordinacio facta per sacrum concilium, attento quod modus consuetus in concilio observari non fuit observatus per sacras deputaciones.

Dominus episcopus Constanciensis alter ambassiatorum domini ducis Burgundie pro iustificacione iuris ipsius domini ducis narravit, ordinacionem sacri concilii debere observari, attento quod cum matura deliberacione eciam sacrarum deputacionum huiusmodi ordinacio fuerat facta, prout dixit constare per publica et legitima documenta etc.

Pro parte domini Rodolphi episcopi Traiectensis per dominum Gasparem advocatum oblata extitit requesta articulata.

Pro parte reformatorii super peticione domini cardinalis legati relatum est, ipsam deputasse reverendissimum et reverendos patres patriarcham Anthiocenum, Albinganensem Gadicensem et Bambergensem episcopos, qui hodie conveniant cum dominis cardinalibus et presidentibus concilii in S. Francisco et videant de modo providendi pro liberacione domini nostri pape et terrarum ecclesie. Item quod reverendissimus dominus archiepiscopus Turonensis premittatur et precedere habeat mittendos pro huiusmodi liberacione.

Item pro parte deputacionis pacis relatum est, ipsam deliberasse et deputasse archiepiscopos Cretensem et Rothomagensem et episcopum Foroiuliensem ad conveniendum cum quibus supra. Item quod fiat sessio de die sabbati in viij diebus.

In communibus super supplicacione procuratoris fiscalis, concernente illos qui sine licencia recedunt a concilio etc., placuit quod committatur dominis presidentibus deputacionum, qui cum alias deputatis habeant

facultatem puniendi cum censuris illos, qui sine licencia recedant, et iusticiam faciant.

Super peticione domini cardinalis legati ad interessendum cum reverendissimis dominis cardinalibus et presidentibus sacri concilii et deputatis aliarum deputacionum pro liberacione persone domini nostri pape et recuperacione terrarum ecclesie fuerunt deputati domini patriarcha Aquilegiensis, archiepiscopus Lugdunensis, Vessionensis et Constanciensis episcopi, abbas de Chereto et dominus Thomas secretarius domini cardinalis S. Crucis.

Quo ad requestam domini episcopi Laudunensis, petentis remitti causam ad curiam Romanam etc., placuit quod remaneat in concilio et audiantur partes hincinde.

Quo ad requestam Henrrici de Driiden[a], petentis expediri litteras per cancellariam et sub bulla sacri concilii, placuit quod si constiterit de expedicione alias facta per cancellariam curie Romane et de amissione eiusdem, expediatur de novo per cancellariam et sub bulla concilii.

Quo ad minutam concernentem monasterium Maristelle ordinis Cisterciensis placuit, quod committatur tribus dominis deputatis abbatibus in eadem minuta descriptis, qui provideant iuxta tenorem huiusmodi minute.

Placuit quod terminus inhibicionis ultimo facte dominis ambassiatoribus contendentibus de sedibus prorogetur per totum mensem presentem.

Super controversia inter prefatos dominos ambassiatores contendentes de sedibus cum deputatis datis per alias deputaciones fuit deputatus iudex dominus episcopus Pergamensis.

Super requesta domini episcopi Constanciensis provincie Maguntine de consensu parcium placuit, quod committatur causa et commissa est domino episcopo Constanciensi provincie Rothomagensis, qui procedat iuxta conclusionem alias captam in congregacione generali.

Dominus Ernestus obtinuit licenciam recedendi et ad propria remeandi.

PR] Die veneris XVIII[a] iunii M[o]iiij[C]xxxiiij[o] presidentibus[b] dominis legato Bononiensi Placentino Arelatensi et aliis tribus presidentibus, in congregacione generali fuerunt incorporati dominus Henrricus abbas S. Egidii Nurembergensis[c] decretorum doctor, Jacobus Brus[d] magister in artibus canonicus Aberdonensis[e], Hermannus de monasterio Campi Sancte[f] [Marie] Cisterciensis ordinis, Guillermus de Monixuli[g] canonicus

[a]) Drūden *P.* [b]) presidente *P.* [c]) Nurenbergensis *R.* [d]) Jacobus . . *R.* [e]) Halberstadensis *R.* [f]) Sancti *R.* [g]) Momul'. *R.*

Leonensis, magister Augustinus de Florencia pro ordine Augustinensi, dominus Tilmannus de Droilhaghen [a] decanus ecclesie SS. Martini et Seueri [b] Monasterii in Melsech.

Dominus archiepiscopus Tarentinus alter presidencium domini nostri pape nomine dominorum collegarum suorum narravit, ipsos recepisse litteras a pluribus fidedignissimis de liberacione domini nostri pape, et quod applicuerat in una galea domine regine Secilie [c] apud Vrbem Ueterem V[a] huius mensis iunii, et deinde ascendisse unam galeam grossam transiturus ad portum Pisanum infra duos dies sequentes. Et quia antea sacre deputaciones, intelligentes ipsum dominum nostrum papam esse privatum sua libertate et esse arrestatum, et propterea disposuerant providere de remedio pro liberacione sua, ideo nomine suo et aliorum presidencium pro domino nostro papa regraciatus est dominis de sacro concilio, offerens eosdem nomine prefati domini nostri pape ad queque grata.

Lecte fuerunt littere serenissimi domini imperatoris, per quas recommendabat factum ecclesie Traiectensis.

Lecte fuerunt littere capituli ecclesie Baiocensis, per quas ipsi de capitulo asserunt se esse summe contentos de episcopo sibi per dominum nostrum papam dato. [1]

Lecte eciam fuerunt littere domini Ludouici comitis Palatini Reni et ducis Bauarie, per quas supplicat ut admittatur sua supplicacio contra imperatorem.

Quibus lectis magister Guillermus de Breda, dicens se esse procuratorem dicti domini ducis, produxit instrumentum appellacionis huiusmodi in publica forma, petens huiusmodi appellacionem admitti et unum vel plures iudicem seu iudices sibi dari.

Qua peticione facta reverendissimus dominus cardinalis legatus causam huiusmodi remisit ad deputaciones, de quibus ipse magister Guillermus peciit instrumentum et instrumenta.

Lecta fuit cedula concernens kalendarium reformandum; placuit quod huiusmodi negocium committatur et commissum extitit reverendissimo domino cardinali Bononiensi, qui vocatis secum peritis in astronomia prouideat circa huiusmodi materiam.

In causa episcopi et capituli Constanciensium prouincie Maguntine placuit et fuit conclusum eciam de consensu parcium, quod [d] huiusmodi causa committatur, et commissa est reverendo patri domino episcopo Constanciensi prouincie Rothomagensis, qui procedat in causa iuxta de-

[a]) Drolhaghen *R.* [b]) Seneti *P.* [c]) Sicilie *R.* [d]) pro *P.*

[1] *Mansi 30, 827.*

liberaciones sacrarum deputacionum et conclusionem captam in generali congregacione.

Super causa ecclesiastice libertatis concordant omnes deputaciones, quod dentur iiij iudices, de qualibet deputacione unus, qui possint et debeant avisare et inquirere de omnibus, que tam in imperio quam in quibuscunque regnis et dominiis in omnibus mundi partibus[a] contra libertatem ecclesiasticam et in preiudicium cleri concessa per summos pontifices a tempore iniciati scismatis preteriti fuerint et in ipsis regnis statuta sunt vel quomodolibet fiunt et hactenus facta fuerunt. Item de insolenciis et barateriis, que per quosdam curiales curie Romane fiunt contra pacificos possessores existentes in dictis regnis et dominiis, et quod super predictis et omnibus aliis, que sunt contra libertatem ecclesiasticam, avisent certam formam decreti generaliter dictam materiam tangentis et referant, ut in sacris deputacionibus concludatur, sed non decretetur ante decreta symonie et concubinatus, que tangunt specialiter reformacionem status ecclesiastici. Item quod dicti domini deputati possint ministrare iusticiam omnibus, qui super oppressione sibi facta contra dictam libertatem ecclesiasticam agere voluerint. Et fuerunt nominati dicti quatuor iudices pro deputacione fidei S. Petri, pro deputacione pacis S. Crucis, pro deputacione reformatorii Arelatensis cardinales, pro communibus dominus cardinalis legatus. Addiderunt autem deputaciones pro communibus et de reformatorio, quod predictis iudicibus addi et adiungi debeant certi prelati et doctores[b] de qualibet regione et de quolibet statu ad informandum eosdem, quodque, ut addidit deputacio pro communibus, nichil debeat agi contra dominum regem Scocie usque ad adventum domini cardinalis de Cipro.

Super avisamento reverendissimi patris domini cardinalis legati de mittendo visitatores etc. placuit et fuit conclusum avisamentum in forma etc., videlicet quod mittat visitatores ad visitandum certa monasteria ordinis S. Benedicti et canonicorum regularium cum plena potestate concilii, vocatis secum reverendissimis dominis patriarcha Anthioceno ordinis canonicorum regularium[c] et abbate S. Justine de Padua ordinis S. Benedicti.

Super supplicacione exhibita pro parte domini ducis Saxonie concordant omnes deputaciones, quod dentur iudices in eadem causa per sacrum concilium, qui faciant iusticiam, et nominati sunt reverendissimi et reverendi patres patriarcha Anthiocenus pro deputacione reformatorii, episcopus Foroiuliensis pro pace, episcopus Ruthenensis pro fide et pro communibus episcopus Pargamensis etc.

[a]) in omn. mundi part. *fehlt*, *R.* [b]) doctores de quolibet *P.* [c]) ord.—reg. *fehlt*, *R.*

Lectis superius concordatis per dominos de duodecim, reverendissimus pater dominus cardinalis legatus et presidens nomine sacri concilii conclusit in eisdem iuxta deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium.

Eadem die obtinuit licenciam abbas monasterii beate Marie Fontisuiui ordinis Cisterciensis Parmensis diocesis a dominis deputatis ad examinandum causas excusacionum.

P] Die sabbati XIX[a] iunii in sacra deputacione pro communibus super primo avisamento dominorum duodecim, quod non sit appellandum a concilio etc., placuit maiori parti avisamentum in forma.

Quo ad secundum, quod in relacionibus fiendis partes sint presentes, placuit quod partes intersint, si voluerint interesse.

Relatum est pro parte deputacionis pacis, illam deliberasse super materia sedium etc. iuxta cedulam per dominum legatum propositam. Item quod quilibet possit habere transumptum bullarum de indulgencia Corporis Christi[1] sub bulla sacri concilii.

Quo ad materiam sedium etc. placuit, quod committatur et mandetur reverendissimo in Christo patri domino cardinali Arelatensi et domino archiepiscopo Turonensi super controversia sedium cum ambassiatoribus illustrissimi principis domini ducis Britanie, quodque domini presidentes concilii super istis duabus controversiis sedium dumtaxat possint indicere congregacionem generalem.

Lecta forma prohemii super decreto sacri concilii Constanciensis de auctoritate conciliorum generalium innovando etc., placuit huiusmodi forma etc.

Visum fuit domino Petro Corserii presidenti deputacionis, quod antequam innovaretur, essent expectandi Ispani, qui breviter sunt venturi, quodque fieret declaracio huiusmodi decreti.

Deputacio reformatorii deliberavit, quod placuit forma prohemii decreti de auctoritate conciliorum.

Placuit quod die sabbati proxima sessio celebretur, in qua publicetur decretum de auctoritate conciliorum etc. et alia decreta de pacificis possessoribus, de causis, de symonia et concubinatu, si sit possibile.

Quo ad prima duo avisamenta dominorum deputatorum super remissione causarum etc. placuerunt huiusmodi duo avisamenta, ita tamen quod incorporati habentes causas habeant ad minus ter in ebdomada suas visitare deputaciones, alioquin nec ipsi nec eorum familiares gaudeant privilegiis incorporatorum etc.

[1] *s. o. S. 112.*

Quo ad articulum, quod non liceat appellare a tribus sentenciis conformibus etc., placuit quod generaliter non liceat ad aliquem appellare a tribus sentenciis conformibus, et placuerunt pene, excepta pena excommunicacionis, ita quod ipse articulus intelligatur tum contra illos qui iam appellaverunt quam contra illos qui imposterum appellabunt.

PR] Eadem die sabbati de mane reverendissimus pater dominus patriarcha Aquilegiensis visitavit reverendissimum patrem dominum cardinalem Firmanum, requirens ipsum, quatenus ipse et alii domini cardinales sui college dignarentur convenire et videre de modo concordie inter ipsum dominum patriarcham et illustre dominium Venetorum iuxta potestatem eis in congregacione generali per sacrum concilium attributam. Nam se offerebat omni die et hora coram ipsis comparere ad mandatum ipsorum, protestans quod per eum non stabat, quominus huiusmodi concordia plene tractaretur, et de diligencia per eum adhibita, de quibus peciit instrumentum. Actum Basilee in camera habitacionis ipsius domini cardinalis, presentibus Petro de Lenicheual clerico Ambianensis diocesis et cubicularioa).

Ad idem visitavit reverendissimum patrem dominum cardinalem S. Petri ad vincula, protestans ut supra. Actum in camera sua, presentibus dominis episcopo Visensi et Petro de Corduba.

Ad idem visitavit reverendissimum patrem dominum cardinalem S. Crucis, presentibus domino Johanne doctore de Hungaria et Alexandro cursore sacri concilii.

Eadem die post meridiem visitavit pro eadem causa reverendissimum dominum cardinalem legatum, presentibus eodem domino Johanne de Hungaria, Johanne de S. Genesiob) et Henrrico cubiculariis.

P] Die dominica XX[a] sequenti fuit missa solemnis in ecclesia maiori Basiliensi.

P] Die lune XXI[a] iunii in deputacione pro communibus super causa ecclesie Lausanensis placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis alter arbitratorum in eadem causa vadat ad dominum ducem Sabaudie pro terminanda questione inter partes contendentes, et per eundem scribantur littere favorabiles eidem domino duci.

Deputacio fidei deliberavit super materia bulle concernentis curatos et Mendicantes religiosos et deputavit reverendissimos dominos cardinalem S. Petri, patriarcham Anthiocenum et episcopum Gadicensem, qui videant conferant et tractent de bona concordia super dicta materia, salva

a) et cub. *fehlt, R.* b) Geminiano *R.*

veritate fidei doctrine et morum, quodque referant in deputacionibus, que per eos avisata fuerunt.

In communibus:

Quo ad materiam bulle concernentis curatos et Mendicantes religiosos, facta prius relacione per magistrum Johannem Pulcripatris de hiis que acta sunt in huiusmodi materia per dominos deputatos singularum deputacionum etc., placuit maiori parti, quod domini patriarcha Anthiocenus et episcopus Gadicensis tractent de concordia inter partes, salva veritate fidei doctrine et iusticie, quodque per huiusmodi tractatum non impediatur expedicio materie per dominos deputatos avisate, et quod fiat relacio articulatim, ut super singulis articulis deputaciones maturius valeant deliberare.

Deputacio pacis deliberavit, quod placuit avisamentum fidei super materia curatorum et Mendicancium.

Placuit sacre deputacioni avisamentum dominorum duodecim, quod notarii sacri concilii scribant in causis commissis et committendis, que concluduntur in congregacione generali.

Super supplicacione magistri Gasparis de Perusio placuit, quod in huiusmodi causa cum domino thesaurario sacri concilii et deputatis iudicibus deputacionum adiungatur iudex dominus Petrus de Corduba, qui procedant ut petitur etc.

P] Die mercurii XXIII[a] iunii in deputacione pro communibus ad videndum de modo provisionis fiende domino nostro pape et dominis cardinalibus placuerunt alias deputati, videlicet domini Lubicensis Pergamensis Leonensis episcopi, abbates S. Cornelii et de Chereto, Jacobus de Attigniacio, Rodericus auditor domini cardinalis S. Petri ad vincula et referant.

Super monitorio decernendo contra illos, qui receperunt pecunias decime alias per dominum nostrum papam Martinum ad debellandum Bohemos concesse etc., placuit quod decernatur monitorium contra prelatos collectores et mercatores, qui easdem pecunias receperunt, ita tamen quod promotores primo se informent de illis qui eas receperunt, et contra tales procedatur in specie, quodque quelibet nacio habeat suum receptorem, qui pecunias, que ex nacione sua provenient, habeat recipere et de eisdem racionem reddere.

Quo ad supplicaciones concernentes reverendissimum dominum cardinalem Rothomagensem vicecancellarium archiepiscopum Bisuntinum et cives Bisuntinos placuit, quod domini precognitores habeant huiusmodi supplicaciones signare, prout iustum fuerit.

Quo ad supplicacionem ducis Saxonie, petentis decerni citacionem

per edictum et quod unus iudicum solus posset tenere terminos usque ad sentenciam diffinitivam exclusive, placuit quod primo scribatur domino duci Saxonie marchioni Misnensi, ut velit consentire, quod sacrum concilium cognoscat de huiusmodi materia, attento quod in concilio est facta querela etc.

Lecta forma decreti contra impedientes semidecimam etc., placuit huiusmodi forma, ita tamen quod ubi dicitur[a] „heresis Bohemica,“ ponatur „heresis Hussitarum“ vel „infidelium existencium in regno Bohemie;“ eciam addatur, quod pro pace populi christiani et neccessitatibus universalis ecclesie huiusmodi semidecima imposita est, quodque episcopi sub eisdem sentenciis comprehendantur etc.

Relatum est pro parte deputacionis pacis, ipsam deliberasse super primo avisamento dominorum de duodecim, quod deputati ad componendum decretum contra appellantes videant et referant.

Item quod notarii concilii nulla instrumenta protestacionum expediant sine licencia dominorum prothonotariorum.

In communibus:

Quo ad primum avisamentum dominorum duodecim contra protestantes etc. placuit, quod contra tales protestantes a conclusionibus, que fiant concilialiter, apponantur tales pene, quales contra appellantes apposite fuerunt.

Quo ad tercium avisamentum de notariis etc. placuit, quod deinceps nec per notarios concilii nec per quoscunque alios expediantur instrumenta super protestacionibus quibuscunque factis vel fiendis occasione conclusorum vel concludendorum in generali congregacione absque licencia dominorum prothonotariorum.

Quo ad avisamenta domini Gasparis de Perusio placuit, ut alias fuit deliberatum, quod articulatim deliberetur super eisdem.

Quo ad decretum de electionibus placuit, quod provideatur taliter quod huiusmodi decretum firmiter observetur. Et ad videndum de modo providendi de observacione huiusmodi decreti fuerunt deputati reverendissimi domini cardinalis legatus, archiepiscopus Lugdunensis, episcopus Vessionensis et magister Symon Freron.

Ad relacionem doctoris familiaris domini R[abani] archiepiscopi Treuerensis, referentis quod quedam appellacio interposita a concilio per dominum Vlricum etc. affixa erat in valvis maioris ecclesie cum cedula scripta grossa littera de insinuacione huiusmodi appellacionis etc., reverendissimus dominus cardinalis legatus mandavit per promotorem et cursorem huiusmodi appellacionem sic affixam deponi et amoveri debere et

[a]) *korr. aus* dicatur *P.*

sacre deputacioni pro communibus afferri. Quod et factum est, et fuit lecta cedula scripta grossa littera.

PR] Die iovis XXIIII[a] iunii die Nativitatis beati Johannis Baptiste fuerunt in vigilia vespere solemnes et dicta die beati Johannis fuit missa solemnis celebrata per dominum archiepiscopum Tarentinum alterum presidencium sacri concilii, et fecit sermonem magister Thomas de universitate Wiennensi.

PR] Die veneris XXV[a] iunii M°iiij[c]xxxiiij° in congregacione generali, presidente domino cardinali legato, assistentibus dominis cardinalibus Bononiensi Placentino Arelatensi[a)], S. Petri et Firmano, absentibus aliis dominis legatis domini nostri pape, fuerunt incorporati dominus Vlricus Nenigher[b)] decretorum doctor, magister Johannes Tongheris[c)] licenciatus in medicina, dominus Gerardus Wedman de Xanctis canonicus Xanctensis, dominus Jacobus Laueri electus Morbacensis ordinis S. Benedicti Basiliensis diocesis, et Arnoldus ut cursor receptus et iuravit.

Lectis litteris domini Karoli Francorum regis credencialibus[1] et presentatis per dominos de Cipro cardinalem et alios eius collegas per concilium missos ad dictum dominum regem, per organum domini episcopi Glasguensis[d)] de gestis per eos erga prefatum dominum regem ad plenum suam fecerunt relacionem. Et est contentus, quod domini Aurelianensis et Britanie duces interponant pro pace vices suas.

Quaquidem facta relacione, reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii regraciatus est dominis ambassiatoribus de laboribus per eos assumptis, similiter dominis principibus, qui favorabiliter eos contemplacione concilii receperunt.

Super supplicacione domini Gasparis de Perusio advocati concordant omnes deputaciones, quod reverendus pater dominus episcopus Albinganensis thesaurarius concilii cum aliis quatuor de singulis deputacionibus sibi adiunctis in hac causa auctoritate sacri concilii sentenciam ferant diffinitivam. Et ad hoc fuerunt deputati reverendi patres episcopus Foroiuliensis pro deputacione pacis, episcopus Gurcensis pro reformatorio, episcopus Aurelianensis pro fide, et pro communibus Petrus de Corduba.

Super facto contendencium de sedibus concordant omnes deputaciones iuxta cedulam ipsis deputacionibus per reverendissimum dominum

[a)] Scie *vor* Arelat. *P.* [b)] Mengher *R.* [c)] conger. *R.* [d)] Glasghensis *R.*

[1] *Mansi 30, 831.*

cardinalem legatum missam, quod committatur reverendissimo et reverendo patribus dominis cardinali Arelatensi et episcopo Lubicensi, ut possint auctoritate sacri concilii concordare et concludere super materia contendencium de sedibus.

Similiter committatur prefato domino cardinali et domino archiepiscopo Turonensi, ut super controversia sedium cum ambassiatoribus domini ducis Britanie auctoritate concilii possint concordare et concludere, quodque reverendissimi patres domini presidentes sacri concilii super istis duabus controversiis sedium dumtaxat possint indicere generalem congregacionem.

Item concordant omnes deputaciones, quod die sabbati XXVI[a] huius mensis iunii fiat sessio publica super renovacione decreti Constanciensis concilii de potestate et auctoritate sacrorum generalium conciliorum iuxta formam in ipsis deputacionibus lectam, que similiter placuit singulis deputacionibus.

Super supplicacione illustris principis domini ducis Saxonie concordant tres deputaciones, quod in ipsa causa per iudices alias datos decernatur citacio per edictum, addito per deputacionem reformatorii, dummodo constiterit ipsis iudicibus de non tuto accessu; quod vero unus solus per ipsos deputandus in observacione terminorum usque ad sentenciam diffinitivam exclusive procedat, concordant tres deputaciones; deputacio autem pro communibus dixit bonum esse, quod primo scriberetur per concilium domino duci Saxonie marchioni Misnensi, quod velit consentire ut sacrum concilium cognoscat de huiusmodi materia, attento quod concilio facta est querela.

Super supplicacione exhibita pro parte capitanei tociusque societatis milicie S. Georgii in Hegow[a)] Constanciensis diocesis, tangente factum captivacionis domini abbatis de Rinau, concordant omnes deputaciones, quod ipse abbas captivus ad hoc sacrum concilium adducatur et fiat iusticia.

Super supplicacione Johannis Lamberti cursoris huius sacri concilii concordant tres deputaciones, quod remittatur ad dominos precognitores; quarta autem de reformatorio voluit, quod sibi daretur terminus sufficiens ad producendum litteras originales, de quibus in ipsa supplicacione fit mencio[b)].

Super[c)] supplicacione Frederici Molbech subdiaconi, petentis dispensacionem promovendi ad ordines diaconatus etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui secum dispenset prout sibi videbitur.

[a)] Hegolz *P*, Hegelz *R*. [b)] *folgt* et de aliis similibus *R*. [c)] *der Absatz fehlt*, *R*.

Lectis superius concordatis, reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine concilii conclusit iuxta deliberata trium deputacionum etc.

Placuit quod domini alias deputati super pace regni Francie conveniant hodie hora iij[a] post meridiem ad S. Augustinum ad videndum de ulteriori prosequcione negocii.

Lectis litteris credencialibus civium Piznensium[a)] patentibus, frater Nicolaus ordinis Minorum nomine ipsorum Piznensium[a)] in scriptis exposuit credenciam, per quam constat de laboribus pro fide catholica per ipsos Piznenses[b)] multipliciter passis, requirens ut per sacrum concilium fiat iterum subvencio.

Instante magistro Guidone de Versellis et requirente, ut requesta domini abbatis de Insula Cathalaunensi[c)] legeretur in generali congregacione, quia iam hora erat tarda, huiusmodi requesta, ut moris est, remissa est ad deputaciones etc.

Lecta forma prohemii decreti Constanciensis concilii de auctoritate conciliorum generalium innovandi etc., placuit et fuit conclusum iuxta deliberaciones sacrarum deputacionum, quod die crastina sabbati fiat sessio publica, in qua innovetur decretum huiusmodi in forma.

Quo ad concordata dominorum de duodecim super requesta illustrissimi domini Erici ducis Saxonie, petentis ut iudices dati per sacrum concilium in congregacione generali decernere habeant citacionem per edictum etc., placuit quod ex nunc decernatur citacio per edictum, ita tamen quod ipsius citacionis effectus et execucio suspendatur ad certum terminum et interim scribatur domino duci Saxonie marchioni Misnensi, ut infra eundem terminum mittat ad concilium suos procuratores ad causam huiusmodi sufficienter instructos, alioquin lapso termino si non miserit, ex tunc currat citacio per edictum, conclusione ultimo in congregacione generali super hoc capta in suo robore permanente.

Lectis concordatis dominorum de duodecim super supplicacione Reginaldi[d)] Fabri clerici Cameracensis, habentis graciam expectativam in forma communi pauperum, concordant quatuor deputaciones, quod possit per procuratorem acceptare beneficium dum vacabit, prout petitur in supplicacione. Super quo placuit et fuit conclusum per reverendissimum dominum cardinalem legatum iuxta deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium.

PR] Die sabbati XXVI[a] iunii M°CCCC°xxxiiij° in ecclesia maiori Basiliensi celebrata fuit missa solemnis de Spiritu Sancto per reverendum patrem dominum episcopum Ruthenensem nacionis Gallicane. In fine cuius misse vel circa venerabilis et circumspectus vir magister Bartho-

[a)] Pilznensium *R.* [b)] Pilznenses *R.* [c)] Cathalanensi *R.* [d)] Gerardi *R.*

lomeus de Fraxino promotor sacri concilii de mandato dominorum accessit ad domum reverendissimi domini cardinalis S. Crucis, ubi tunc congregati erant dictus dominus cardinalis S. Crucis, archiepiscopus Tarentinus et abbas S. Justine presidentes sacri concilii, et in nostrum notariorum sacri concilii infrascriptorum presencia dixit eisdem similia verba: „Reverendissimi patres, domini miserunt me ad reverendissimas paternitates vestras ad sciendum, an placeat dominacionibus vestris venire ad sessionem, quoniam ipsi expectant vos.“ Qui domini per organum domini Tarentini responderunt, quod erant occupati cum ambassiatoribus illustris dominii Venetorum tunc ibidem presentibus, et nichilominus quod tractando de eorum adimissione ad presidenciam inter dominos de sacro concilio et ipsos fuerat concordatum, quod ipsi ad huiusmodi sessionem de innovacione decreti concilii Constanciensis de auctoritate conciliorum etc. minime tenerentur interesse. Notarii] Petrus Bruneti, Thomas Chesneloti, Johannes Dieulefist, Georgius Frey et Ludouicus Scaec[a].

Qua finita missa, lectis letaniis et oracionibus cantantisque hymno „Veni creator Spiritus“ et evangelio secundum Matheum: „Respiciens Jhesus discipulos suos, dixit Petro: si peccaverit in te frater tuus“ [1] etc., reverendus pater dominus episcopus Lectorensis legit alta et intelligibili voce huiusmodi decretum. Quo lecto peciit, an placeret, et responso per omnes „placet,“ promotores pecierunt instrumentum, presentibus etc.[2]

PR] Eodem die sabbati XXVI[a] iunii in ecclesia maiori Basiliensi post vesperos solemnes eiusdem diei, que fuit vigilia beatorum apostolorum Petri et Pauli, lecte fuerunt littere domini imperatoris, concernentes causas Bambergensem et Bisuntinam, presentate per dominum Lubicensem episcopum.[3]

Ante quarum lecturam, videntes promotores sacri concilii presentacionem huiusmodi litterarum, per organum domini Hugonis Barardi eiusdem concilii[b] promotoris protestati fuerunt, quod per huiusmodi lecturam aut alium actum ibidem fiendum non nominaretur congregacio generalis nec eciam derogaretur decretis statutis et ordinacionibus sacri concilii, prout ex relacione domini abbatis S. Justine alterius presidencium et plurium aliorum habuit Thomas socius etc.[c].

Quibus lectis reverendissimus dominus Lugdunensis archiepiscopus, quia, ut asseruit, ipse littere in una parte ipsum tangebant racione

[a]) Scack *R.* [b]) ecclesie *P.* [c]) habuit—etc. *fehlt, P.*

[1] *Matth. 18, 15.* [2] *folgt in R f. 339[b] der Wortlaut des Dekrets. Mansi 29, 91. M. C. 2, 712.* [3] *Mansi 30, 832.*

cause Bambergensis, allegavit suas excusaciones et raciones, propter quas ipsa causa merito veniebat in sacro concilio tractanda.

Similiter magister Hermannus Widelers ut procurator et nomine procuratorio reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis allegavit excusaciones dicti domini Rothomagensis [a)] et eciam causas, propter quas ipsa causa inter ipsum et cives Bisuntinos in ipso sacro concilio veniebat tractanda.

P] Die dominica XXVII[a] iunii fuit missa solemnis in ecclesia maiori.

P] Die lune XXVIII[a] iunii in deputacione pro communibus super supplicacione domini Johannis Richardi abbatis S. Audoeni Rothomagensis placuit maiori parti in omnibus et per omnia supplicacio huiusmodi in forma ut petitur.

Quo ad supplicacionem domini electi S. Poncii Thomeriarum placuit similiter maiori parti supplicacio in forma ut petitur.

Quo ad supplicacionem Henrrici Hosser et Johannis Dosseler placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset prout sibi videbitur.

Super supplicacione illustrium principum dominorum ducis Aureliensis et comitis Engolismensis eius germani, huiusmodi supplicacio fuit commissa reverendissimo patri domino cardinali S. Crucis, qui auctoritate huius sacri concilii provideat dominis supplicantibus retroscriptis ut petitur.

Super supplicacione pro parte domini ducis Guelrie exhibita, concernente bullam arrestatam etc., placuit avisamentum reformatorii, videlicet quod huiusmodi bulla et eciam similes non solum arrestentur, sed prohibeatur omnino quod nullomodo expediantur, quodque diligenter inquiratur, per quem modum expedita est huiusmodi bulla.

Quo ad alias bullas expeditas placuit avisamentum dominorum de duodecim, videlicet quod illi qui eas habent, sub pena excommunicacionis et annullacionis dictarum bullarum, habeant illas apportare ad certos deputandos per deputaciones infra tres menses, et dentur deputati circa expediendas, sine quibus nulle bulle possint expediri.

Quo ad alia avisamenta dominorum de duodecim placuerunt huiusmodi avisamenta, et quod per promotores sollicitentur deputati deputacionum, ut cicius expediantur avisamenta huiusmodi, videlicet de causis remittendis, de facto Mendicancium et curatorum, de excessibus et salariis notariorum, de pacificis possessoribus, de decretis symonie et

[a)] alleg.—Roth. *fehlt, R.*

concubinatus, de provissione domini nostri pape et dominorum cardinalium, de decreto de electionibus et modo ipsum observandi etc.

Domini de pace exhortati sunt dominos, ut haberent deputare iiij de singulis nacionibus pro generali reformacione.

Abbates clerus et populus parcium Frisie requirunt per litteras suas sacrum concilium, ut dignetur providere de sacramentis ecclesiasticis ministrandis per alterum de duobus contendentibus de ecclesia Traiectensi vel alium per sacrum concilium deputandum.

Dominus Vlricus comes canonicus Constanciensis obtinuit licenciam recedendi.

Placuit quod in prima deputacione expediantur duo primi articuli, de quibus magister Johannes Pulcripatris suam fecit relacionem, extracti de bulla concernente religiosos Mendicantes.

PR] Die martis XXIX[a] fuit dies beatorum apostolorum Petri et Pauli.

PR] Die mercurii XXX[a] et ultima iunii fuit festum beati Pauli.

P] Die iovis prima iulii M[o] etc. in deputacione pro communibus pro presidente fuit electus dominus episcopus Leonensis, pro duodecim domini episcopus Bellicensis, abbas de Chereto continuatus et Matheus Nithardi.

Pro custode clavis dominus Johannes Pringencii et iuravit.

Pro referendario dominus Johannes doctor de Hungaria.

Pro distributore fuit continuatus magister Hugo promotor.

Placuit quod domini deputati ad componendum formas decretorum expediendorum conveniant die crastina hora tercia post meridiem in domo domini cardinalis.

Quo ad peticionem domini abbatis de Dompnomartino, concernentem monasterium S. Alexii de Vrbe etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali S. Petri ad vincula, qui vocatis partibus procedat in causa et iusticiam faciat.

Quo ad requestam domini promoti Gurcensis placuit in omnibus et per omnia supplicacio huiusmodi in forma ut petitur, et pro iudice fuit deputatus cum aliis deputandis per alias deputaciones dominus archiepiscopus Lugdunensis.

Super peticione dominorum cardinalium placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de reformatorio et de fide.

Super primo avisamento reverendissimi domini cardinalis legati concernente semidecimam placuit, quod domini deputati ad videndum formam littere contra impedientes huiusmodi semidecimam conveniant die crastina hora iij[a] post meridiem cum domino legato.

Super secundo avisamento concernente provisionem faciendam Pisnensibus placuit, quod dominus cardinalis legatus et prefati domini deputati provideant eisdem, prout eis videbitur, sive assignando eisdem semidecimam unius diocesis in Alamania, sive alias.

Dominus Albinganensis et dominus Christoforus ambassiatores domini ducis Mediolani accesserunt ad deputacionem, narrantes quod ipse dominus dux intellexerat dominos legatos sacri concilii venturos ad Italiam pro recuperacione terrarum ecclesie, quod laudat ipse dominus dux, offerens se eos dirigere in agendis et laborare pro viribus ad huiusmodi recuperacionem.

Dominus abbas de Mulbruno obtinuit licenciam recedendi.

PR] Die sabbati III[a] iulii M°iiij[C]xxxiiij° in congregacione generali, presidentibus dominis legato et aliis, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi, de Cipro et Firmano, fuerunt incorporati more solito abbas de Longonio Corisopitensis [a)] diocesis et dominus Jacobus Gerbaudi abbas pronunciatus monasterii Omnium Sanctorum in Insula Cathalaunensi [b)] ordinis canonicorum regularium.

Quo ad bullam indulgencie festivitatis Corporis Christi [1] concordant omnes deputaciones, quod dentur [c)] omnibus habere volentibus transumpta sub bulla sacri concilii, quibus tanta fides adhibeatur, ac si sub plumbo in Romana curia data fuissent.

Quo ad supplicacionem reverendi patris domini Johannis abbatis monasterii S. Audoeni [d)] Rothomagensis concordant omnes sacre deputaciones, quod scribatur per sacrum concilium sanctissimo domino nostro pape, supplicando et exhortando, ut nullum in dicto monasterio eidem abbati novum surroget adversarium. Tres vero deputaciones concordant, quod per sacrum concilium inhibeatur priori et conventui dicti monasterii sub formidabilibus penis, ne ad electionem futuri abbatis procedant vel aliquid in preiudicium ipsius supplicantis et litispendentis attemptent vel innovent. Quarta vero videlicet de fide addit, quod domini presidentes sacri concilii provideant supplicanti, prout eis videbitur.

Super supplicacione Henrrici Hosser et Johannis Dosseler [e)], petencium dispensari super deffectu natalium, tres deputaciones concordant, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus, ut sibi videbitur; quarta vero de pace requisita non deliberavit.

[a)] Errisopicensis *R.* [b)] Cath. diocesis *R.* [c)] detur *P.* [d)] Audonci *R.* [e)] Dossiler *R.*

[1] *s. o. S. 112.*

Lectis superius concordatis per dominos de duodecim, reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii conclusit super eisdem iuxta deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium.

Ad videndum de modo recipiendi et honorandi ambassiatores Grecorum venientes ad sacrum concilium et de ambassiatoribus mittendis eis obviam deputati fuerunt pro communibus domini Lugdunensis, pro pace Cretensis archiepiscopi, pro fide Papiensis episcopus et pro reformatorio frater Petrus ordinis canonicorum regularium, qui unacum reverendissimis domino cardinali de Cipro et dominis ambassiatoribus generalis magistri ordinis Rodi conveniant[a].

Placuit quod sacre deputaciones habeant deliberare de deputandis, qui unacum reverendissimo domino cardinali legato videant de modo scribendi et respondendi serenissimo domino imperatori super litteris per eum sacro concilio scriptis, concernentibus dominos Rothomagensem archiepiscopum Bisuntinum et cives Bisuntinos necnon episcopum et capitulum Bambergenses et cives Bambergenses.[1]

Lectis deliberacionibus quatuor sacrarum deputacionum super bulla concernente curatos et religiosos Mendicantes, reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii conclusit iuxta deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium.

Lecte fuerunt littere domini regis Dacie, per quas conqueritur de papa super intrusione aliquorum prelatorum contra laudabiles consuetudines illius regni. Quibus lectis fuerunt per advocatos hincinde multa proposita. Hec materia remissa est ad deputaciones.

Lecte eciam fuerunt littere ambassiatorum sacri concilii veniencium cum Grecis.[2]

P] Die lune quinta iullii fuit congregacio generalis[b], in qua facta et ordinata fuerunt infrascripta.

In nomine Domini, amen. Tenore presentis publici instrumenti cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno a nativitate eiusdem Domini millesimoquadringentesimo xxxiiij°, indictione xij[a], die vero lune quinta mensis iulii, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Eugenii divina providencia pape quarti anno quarto, celebrata fuit sacrosancti Basiliensis concilii generalis congregacio in ecclesia maiori Basiliensi de mane hora consueta. In quaquidem generali congregacione sedentibus pro tribunali in maiori et in insigniori loco reverendissimis reverendoque in Christo patribus et dominis dominis Ludouico tituli S. Secilie sancte Romane ecclesie cardinali Arelatensi

[a]) conveniunt *P.* [b]) *R hat nur* Die—generalis.

1 *s. o. S. 135.* 2 *Mansi 30, 835.*

nuncupato, Philippo archiepiscopo Turonensi et Johanne episcopo Lubicensi, commissariis per sacrosanctum presens generale concilium per deputaciones sacras primo et deinde in ipsius sacri concilii congregacione generali ad tractandum concordandum et concludendum de et super controversia in materia assignacionis locorum inter dominos contendentes, videlicet prefati reverendissimi domini cardinalis Arelatensis et episcopus Lubicensis super controversia inter ambassiatores illustrissimi principis domini Philippi moderni ducis Burgundie etc. ex una et ambassiatores reverendissimorum et illustrissimorum principum dominorum sacri Romani imperii electorum ex altera partibus, necnon prefati domini cardinalis Arelatensis et archiepiscopus Turonensis de et super controversia in simili materia locorum preeminencie inter dominos ambassiatores prefati domini ducis Burgundie ex una et ambassiatores illustrissimi principis domini ducis Britanie partibus ex altera, pres[id]entibus in dicta congregacione generali reverendissimis reverendisque in Christo patribus ac dominis dominis Nicolao tituli S. Crucis in Jherusalem, Juliano S. Angeli apostolice sedis legatis, Johanne tituli S. Laurencii in Lucina Rothomagensi vicecancellario presbiteris et dyacono sancte Romane ecclesie cardinalibus vulgariter nuncupatis ad dextrum latus, necnon Johanne Tarentino archiepiscopo, Petro episcopo Paduano et Ludouico abbate S. Justine Paduane prefati sanctissimi domini nostri pape legatis a latere sinistro dicte congregacionis existentibus: — prefatus reverendissimus in Christo pater dominus cardinalis Arelatensis narravit, qualiter sacrum presens Basiliense concilium primo in sacris deputacionibus et deinde in ipsius generali congregacione concilii predicto domino Lubicensi episcopo et sibi commisit et mandavit, quatenus per viam concordie ac propter bonum pacis inter principes et dominos in materia sedium contendentes, videlicet ambassiatores prefati illustrissimi principis domini ducis Burgundie ex una et ambassiatores illustrissimorum dominorum sacri Romani imperii electorum antedictorum tractarent et viderent ac super ipsis auctoritate sacri concilii finem imponerent. Super quibus prefati domini cardinalis Arelatensis et episcopus Lubicensis per plures dies ac noctes cum summo studio vigilanter et assidue laboraverant et tandem sine preiudicio parcium ipsarum atque iurium suorum et earum cuiuslibet ad laudem Dei et pro bono pacis et concordie certa inter se avisaverant et concluserant infra dicenda.

Et primo quia alias quedam ordinacio sub spe pacis et concordie inter ipsos dominos contendentes a sacro concilio emanavit, que tamen per neutram parcium fuit exinde acceptata nec de eadem ordinacione partes ipse fuerunt contente, ideo eandem ordinacionem, dum tamen partes hincinde eandem concordiam acceptent, cassarunt et annul-

larunt auctoritate sacri concilii predicta, alias vero casu quo sua facta ordinacio suum plenum non sortiretur effectum, eandem ordinacionem in suo robore et pristino effectu voluerunt et decreverunt permanere. Quo facto reverendissimus in Christo pater ac dominus dominus cardinalis legatus et sacri concilii presidens de mandato sacri concilii congregacionis exhortatus est et rogavit reverendos in Christo patres et alios dominos dicti illustrissimi domini ducis Britanie ambassiatores, quatenus locum et sedes post ambassiatores regum in dicta generali congregacione, tunc a sinistra parte existencium, et signanter domini regis Dacie serenissimi vellent recipere nomine domini sui domini ducis Britanie antedicti, donec videlicet et quousque per sacrum concilium aliud super hoc foret ordinatum vel aliud a domino suo haberent in mandatis.

Hiis igitur sic ut premittitur factis et auditis, venerabilis et egregius vir dominus Symon de Theramo advocatus nomine ambassiatorum prefati illustrissimi domini ducis Britanie tunc sibi assistencium dixit atque proposuit, prefatos dominos ambassiatores ipsius domini ducis Britanie diu est summe desiderasse illam benedictam concordiam inter prefatos dominos. Et ut constaret sacro concilio et orbi universo, quod ita fuerit et adhuc sit, ideo eandem loci assignacionem, sine tamen preiudicio iuris atque honoris ipsius domini ducis Britanie in petitorio vel possessorio et quousque aliud a domino suo haberent in mandatis, pro hac vice acceptavit, prout et ipsi domini eiusdem ducis Britanie ambassiatores acceptarunt, de quibus expresse protestati fuerunt.

Postmodum vero prefati domini cardinalis Arelatensis et episcopus Lubicensis commissarii ut supra pro tribunali sedentes, per organum ipsius reverendissimi patris domini cardinalis Arelatensis pro bono pacis et concordie inter prefatos dominos ambassiatores dominorum ducis Burgundie et principum electorum sacri Romani imperii illustrissimorum, repetitis prius per ipsos dominos cardinalem et episcopum illis, que superius per ipsos dicta fuerunt, que eciam pro repetitis haberi voluerunt iuxta formam et tenorem commissionis per sacrum concilium in sua generali congregacione attribute, pronunciaverunt et ordinaverunt, quod ambassiatores illustrissimorum dominorum principum sacri imperii electorum in eorundem dominorum electorum absencia vel ipsi domini electores vel aliqui eorundem, qui personaliter presentes fuerint, debeant sedere prope serenissimum dominum imperatorem et esse ac stare iuxta ipsum in sessionibus congregacionibus processionalibus generalibus ac aliis privatis et publicis actibus dicti sacri concilii, sine tamen preiudicio iurium honorum et preeminenciarum ipsorum dominorum electorum necnon aliorum quorumcunque; ambassiatores vero illustrissimi principis domini ducis Burgundie tam in sessionibus congregacionibus et processioni-

bus generalibus quam aliis privatis et publicis actibus et locis sacri concilii sedeant et incedant immediate post ambassiatores regum, et hoc sine preiudicio iuris et honoris ipsius domini ducis et aliorum quorumcunque; volentes expresse et ordinantes prefati domini cardinalis Arelatensis et episcopus Lubicensis commissarii per sacrum concilium in hac parte ut prefertur deputati, quod huiusmodi ordinacio per eos facta habeat vim et auctoritatem perinde, ac si in scriptis per eosdem ipsa ordinacio pronunciata extitisset.

Quamquidem ordinacionem et pronunciacionem prefati domini ambassiatores illustrissimi domini ducis Burgundie acceptarunt ratamque et gratam habuerunt, virtute cuius ordinacionis ipsi domini ambassiatores prefati domini ducis Burgundie, videlicet reverendissimus ac reverendi patres domini Hugo archiepiscopus Rothomagensis, Philibertus Constanciensis et Johannes Niuernensis episcopi in altis, in bassis vero sedibus abbas de Dompnomartino ordinis Premonstratensis, magistri Johannes de Fruino thesaurarius ecclesie Bisuntine, Humbertus de Ruppe prepositus Lausanensis et Robertus au Clou canonicus Parisiensis ambassiatoriis nominibus predicti domini ducis loca sua ad dextrum latus immediate post ambassiatores dominorum regum per supradictam ordinacionem assignata acceptarunt et receperunt; petentes a nobis notariis et dicti sacri concilii scribis de premissis sibi fieri unum et plura publicum et publica instrumentum et instrumenta.

Ambassiatores vero prefati illustrissimi domini ducis Britanie protestati fuerunt, quod non consenciebant in huiusmodi ultima pronunciacione facta in favorem ambassiatorum illustrissimi domini ducis Burgundie nec illam ratam habebant, nisi ipsi nomine domini sui similiter uterentur prerogativa, sicut ambassiatores dicti domini ducis Burgundie, vel quod huiusmodi pronunciacio fieret aut facta foret per modum simplicis ordinacionis pro hac vice dumtaxat et per modum concordie inter ipsos contendentes, et eciam quod de huiusmodi protestacione et aliis premissis daretur sibi bulla opportuna cum expressione premissorum. Et tunc prelibati ambassiatores domini ducis Britanie sub illis protestacionibus ad loca ut supra sibi assignata hincinde accesserunt et eadem receperunt.

Postmodum vero ambassiatores dominorum regum Francie Cipri Scocie Aragonie Sicilie Dacie et aliorum regum in dicta generali congregacione presentes per organum reverendissimi in Christo patris domini Amedei archiepiscopi Lugdunensis ipsius domini regis Francie ambassiatoris duas protestaciones fecerunt: primo videlicet, quod quia primogeniti regum in sessionibus preeminenciis et aliis honoribus debent ex privilegio et dignitate quoscunque duces et alios principes regibus inferiores precedere; et ideo si ista loci assignacio ambassiatoribus illustrissimi prin-

cipis domini ducis Burgundie facta, que dicit, quod ipsi debeant sedere immediate post reges etc., ut supra dictum est, locum haberet in futurum, esset in maximum ipsorum primogenitorum regum ac honoris ipsorum evidens preiudicium. Idcirco protestabatur expresse, quod huiusmodi loci assignacio eisdem non preiudicaret in premissis. Cuiquidem protestacioni illico et incontinenti consenserunt et acquieverunt predicti ambassiatores illustrissimi domini ducis Burgundie. Consequentur eciam nominibus predictorum dominorum regum per ipsius reverendissimi domini archiepiscopi organum protestati fuerunt, quod loci assignacio ambassiatoribus illustrissimorum dominorum sacri Romani imperii electorum facta si locum haberet, videretur maximum preiudicium serenissimis dominis regibus afferre, cum ex eorum dignitatibus eciam in presencia imperialis maiestatis ac alibi ubicunque precedere debeant quoscunque principes eciam electores imperii, et si ordinacio huiusmodi locum haberet, videretur quod postponerentur domini reges ipsis electoribus.

Demum vero venerabilis ac circumspectus vir magister Symon Freron magister in theologia ut et tanquam procurator illustrissimi principis domini ducis Aurelianensis protestatus fuit, quod loci assignacio venerabilibus dominis ambassiatoribus prefati domini ducis Burgundie sic ut premittitur immediate post reges facta non debeat iuri et honori ipsius domini ducis Aurelianensis preiudicare, et in casu quo sibi preiudicaret, ex tunc nomine quo supra appellabat et appellavit verbo ad sacrum concilium.

Postremo venerabiles ambassiatores reverendissimorum in Christo patrum ac illustrissimorum principum et dominorum sacri Romani imperii electorum per organum venerabilis ac circumspecti viri domini Tilmani prepositi S. Florini similiter proponentes dixerunt, prefatos dominos suos electores ipsosque ambassiatores semper totis precordiis desiderasse et prosequtos fuisse bonum pacis et concordie in presenti materia; et ut toti mundo constaret quod ita sit, pro hac vice dumtaxat ac sine preiudicio iuris et honorum ipsorum dominorum suorum electorum, ideo cassacionem et annullacionem ordinacionis prenarrate, quam semper et merito desideraverunt, acceptarunt, de hoc petentes instrumentum, similiter supradictam ordinacionem acceptarunt atque gratam et ratam habuerunt, iuxta formam et tenorem cedule per eos dominis commissariis in hac parte oblate.

Demum quia inter ambassiatores predictorum dominorum principum sacri Romani imperii electorum ambassiatores illustrissimi principis domini Erici ducis Saxonie suum locum nomine ambassiatorio eiusdem domini ducis receperant, venerabilis ac circumspectus vir dominus Symon de Theramo advocatus nomine illustrissimi principis domini Frederici

ducis Saxonie et marchionis Misnensis expresse protestatus est, quod per huiusmodi loci recepcionem per ambassiatores dicti domini Erici factam nullum preiudicium dicto domino Frederico duci Saxonie et marchioni Misnensi nunc aut in futurum generetur. Ulterius vero venerabilis vir magister Johannes Celi sacre theologie professor ut et tanquam procurator et nomine procuratorio illustrissimi principis domini Alberti ducis Austrie super huiusmodi locorum assignacione ambassiatoribus dominorum electorum sacri Romani imperii ut premittitur facta, tanquam ipsi domino Alberto ac domui ducum Austrie ac eorum prerogativis et dignitatibus ab antiquo inviolabiliter observatis preiudiciali, se opponens protestatus fuit, quod talis ordinacio sive locorum assignacio eisdem nullomodo preiudicet.

Quibus sic ut premittitur factis dictis protestatis petitis et habitis, prefati domini cardinalis Arelatensis et episcopus Lubicensis in hac parte commissarii nomine sacri concilii suprascriptas protestaciones sicut premittitur factas admiserunt. De quibus omnibus et singulis premissis prefati domini ambassiatores hincinde pecierunt sibi fieri atque tradi unum et plura publicum et publica instrumentum et instrumenta.

Acta fuerunt Basilee in dicta generali congregacione, sub anno indictione die mense et pontificatu quibus supra, presentibus ibidem reverendissimis reverendisque in Christo patribus ac dominis dominis Johanne Anthioceno, Ludouico Aquilegiensi patriarchis, Matheo Albinganensi, Francisco Pergamensi episcopis, Alexandro Virziliacensi, Johanne S. Cornelii ordinis S. Benedicti Eduensis et Suessionensis diocesum monasteriorum abbatibus, ac venerabilibus et circumspectis viris dominis et magistris Johanne Pulcripatris, Radulpho de Porta in sacra pagina, Henrrico Flekel curie camere sacri concilii causarum auditore et Henrrico Nitardi canonico Constanciensi provincie Maguntine decretorum doctoribus, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

P] Die mercurii VII[a] iullii in sacra deputacione pro communibus super primo avisamento dominorum de duodecim placuit, quod prefigatur terminus quindecim dierum dominis deputatis ad concordandum curatos et Mendicantes, infra quem habeant modum concordie per ipsos avisatum producere et referre in deputacionibus.

Item super secundo placuit, quod prefigatur terminus quindecim dierum dominis deputatis super modo providendi sanctissimo domino nostro pape et dominis cardinalibus, et similiter deputatis super modo servandi decretum de electionibus, infra quem habeant aliqua per ipsos avisata in medium producere, ut super ipsis deputaciones possint deliberare.

Item placuit quod deputati super ista materia non deputentur super alia, prima non expedita.

Item placuit quod deputati super articulis de symonia, de concubinariis, de causis in Romana curia tractandis, de pacificis possessoribus, de appellantibus a concilio et protestantibus, salariis et excessibus notariorum suam in deputacionibus faciant relacionem et expediant.

Item quia opportuit promittere ambassiatoribus cuiusdam principis, quod infra decem dies non fierent congregaciones generales vel alii actus conciliariter in maiori ecclesia, placuit propter bonum pacis huiusmodi promissio; quodque ea que per tres deputaciones concorditer conclusa essent, habeant vim perinde, ac si forent in generali congregacione conclusa.

Placuit eciam forma monitorii contra impedientes semidecimam, ita tamen quod huiusmodi monicio non comprehendat dominos principes temporales, sed solum exhortentur sine penis.

Placuit avisamentum dominorum deputatorum super subsidio Pisnensium, videlicet quod una diocesis Almanie assignetur predictis Piznensibus, ita tamen quod semidecima huiusmodi diocesis levetur per deputatos sacri concilii et distribuatur eisdem Piznensibus.

Placuit quod detur facultas reverendissimo et reverendo patribus dominis archiepiscopo Coloniensi et episcopo Lubicensi concordandi dominos Guelrie et Montensem, ita tamen quod nullam iurisdictionem habeant ad hoc coactivam.

Item placuit quod per sacrum concilium committatur prefato domino Lubicensi, ut laboret pro concordia inter dominos contendentes de ecclesia Traiectensi, sine tamen preiudicio parcium a litispendencia.

Pro parte dominorum legatorum sanctissimi domini nostri pape fuit lectum breve ipsius de adventu eiusdem in Pisis et de gestis per Romanos in Vrbe.

Similiter lecta fuit requesta dominorum presidencium, per quam requirunt ut detur facultas dominis cardinalibus S. Crucis et S. Angeli eligendi unum aut duos notabiles viros, qui auctoritate sacri concilii vadant Romam pro liberacione domini cardinalis S. Clementis camerarii et cortesanorum.

Deputacio fidei super hoc retulit votive deliberasse, eciam pro liberacione archiepiscopi Tarentasiensis detenti in Bononia.

Deputacio sacra de pace hoc idem retulit.

Quo ad peticionem prefatorum dominorum presidencium sanctissimi domini nostri pape etc. placuit, quod per sacrum concilium detur facultas reverendissimis dominis cardinalibus S. Crucis et S. Angeli eligendi unum aut duos notabiles viros, qui vadant Romam pro liberacione re-

verendissimi domini cardinalis S. Clementis camerarii et cortesanorum, necnon reverendissimi domini archiepiscopi Tarentasiensis et aliorum, et quod habeant visitare sanctissimum dominum nostrum papam et ipsum exhortari, ut veniat ad concilium si commode fieri possit.

P] Die iovis VIII[a] iullii in sacra deputacione pro communibus, lecta requesta pro parte dominorum archiepiscopi Salzeburgensis et Laurencii episcopi Gurcensis sacre deputacioni pro communibus oblata, fuit requisitum prout in ea continetur. Deinde in casu quo non deliberaret ipsa sacra deputacio, fuit pro parte predictorum protestatum prout in cedula, petendo instrumentum etc.

Ad conveniendum cum deputatis aliarum deputacionum et supplicandum reverendissimo domino cardinali de Cipro, ut velit accelerare suam ambassiatam ad serenissimum dominum regem Anglie et dominum ducem Burgundie pro pace tractanda regni Francie, fuit deputatus dominus episcopus Bellicensis.

Ad conveniendum cum deputatis aliarum deputacionum super materia Grecorum deputati fuerunt pro theologis domini Niuernensis et Pergamensis episcopi, magistri Johannes Pulcripatris et Symon Freron, pro iuristis domini Petrus Courserii, Henrricus Nithard et Thomas secretarius domini cardinalis S. Crucis.

Super supplicacionibus illa die nichil fuit deliberatum.

P] Eadem die in domo habitacionis mei notarii venerabilis et circumspectus vir dominus Robertus Burionis in sacra pagina doctor rector parrochialis ecclesie de Blybarch Linconiensis diocesis ex certis causis animum suum moventibus, non vi aut dolo circumventus, sed ex eius voluntate spontanea huiusmodi parrochialem ecclesiam in manibus mei notarii publici tanquam publice persone pure et simpliciter resignavit cum solemnitatibus consuetis. De quibus etc., presentibus fratre Petro Toulet, Henrrico de Odotinch clerico Traiectensis diocesis et Petro se[r]vitore etc.

P] Die veneris IX[a] iullii in sacra deputacione pro communibus quo ad peticionem universitatis studii Wiennensis, petentis confirmacionem privilegiorum etc., quo ad primam partem, quod rector habeat iurisdictionem coactivam, non placuit. Quo ad fructus percipiendos per studentes placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus cum deputatis aliarum deputacionum habeat moderare ad tempus, et eciam quod qualificentur persone, que percipere habebunt fructus huiusmodi.

Quo ad factum generalatus ordinis Humiliatorum placuit, quod reverendus pater dominus episcopus Gadicensis, coram quo causa

pendet, examinet electionem, et si eam repererit esse canonicam, illam confirmet, non obstante commenda per sacrum concilium data.

Quo ad pensionem prioratus de Beuaiz Lausanensis diocesis placuit, quod committatur domino episcopo Gebennensi, qui se informet de contentis et vocata parte moderet huiusmodi pensionem, si sibi videatur.

Super requesta domini episcopi Vratislauiensis, petentis quod possit conferre beneficia aliqua suo suffraganeo, refutata est huiusmodi requesta.

Quo ad requestam illius de Normaria[a], petentis remitti causam, placuit quod committatur alicui, qui se informet, si in fraudem pars, ad cuius instanciam introducta est causa, fecerit se incorporari vel sit familiaris alicuius incorporati, et si repererit fraudem, remittat ad partes.

Super avisamento dominorum de duodecim de legatis mittendis ad Italiam pro recuperacione terrarum ecclesie etc. placuit avisamentum reformatorii, videlicet quod reverendissimi domini cardinales legati vocent quos voluerint, qui provideant de legatis et referant.

Quo ad supplicaciones concernentes dispensaciones, si neutri, remisse sunt ad dominum nostrum papam.

Super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati, concernente pecunias collectas in regno Portugalie, placuit avisamentum in forma etc.

Quo ad requestam domini abbatis S. Audoeni etc. placuit, quod committatur archidiacono Metensi, qui procedat in eadem in omnibus et per omnia, ut petitur in supplicacione etc.

Super requesta domini Odonis prothonotarii placuit supplicacio sua in forma.

Dominus episcopus Lubicensis obtinuit licenciam a deputacione, ita tamen quod loco sui dimittat procuratorem.

Pro precognitore loco domini episcopi Constanciensis fuit surrogatus dominus abbas S. Honorati usque ad regressum ipsius domini Constanciensis.

P] Die sabbati X[a] iullii in sacra deputacione pro communibus, lecta forma responsionis fiende serenissimo domino imperatori super litteris per eum concilio missis concernentibus Bambergenses et Bisuntinos,[1] placuit materia, forma vero reaptetur per dominum Henrricum Rascop, qua aptata revideatur in deputacionibus.

a) *so? lies* Vormacia?

1 *s. o. S. 135.*

Super supplicacione reverendissimi domini archiepiscopi Lugdunensis, petentis sibi adiungi aliquem vel aliquos iuristas in causa Bambergensi, placuit quod domini Johannes de Herbipoli, Johannes Pringencii et archidiaconus Mantuanus habeant vocare partes et eas exhortari, ut conveniant de adiungendo vel adiungendis cum eodem domino archiepiscopo Lugdunensi.

Reverendissimus dominus patriarcha Aquilegiensis in materia privilegiorum concessorum per summos[a)] pontifices protestatus est, quod concessio huiusmodi privilegiorum facta per dominum nostrum summum pontificem quibuscunque de sua diocesi nullo modo preiudicaret eidem domino patriarche, de quibus etc.

Quo ad bullam concernentem confirmacionem privilegiorum per summos pontifices preposito decano et capitulo ecclesie Chiemensis concessorum etc. non placuit, quod sacrum concilium nec vicecancellarius de huiusmodi confirmacionibus se intromitterent. Et de hoc avisetur ipse dominus vicecancellarius, et de mandato deputacionis arrestata est in manibus custodis clavis etc. bulla huiusmodi.

PR] Die lune XII[a] iullii non fuit deputacio propter ingressum Grecorum, qui illa die ante prandium intraverunt.

Et illa die post meridiem[b)] recessit dominus abbas S. Justine.

PR] Die martis non fuit deputacio.

P] Die mercurii XIIII[a] iullii in sacra deputacione pro communibus:

Super primo avisamento dominorum duodecim de bullis, que emanaverunt nomine sacri concilii absque sciencia sacrarum deputacionum, concernentibus exempciones privilegia confirmaciones etc., placuit quod omnes tales bulle arrestentur et fiat talis provisio, quod sine diligenti examinacione et deliberacione deputacionum et conclusione generalis congregacionis tales bulle amplius non expediantur, et iam expedite per edictum revocentur et eciam casse et nulle declarentur, et fiat per promotores sacri concilii diligens inquisicio, quas quis pro expedicione huiusmodi bullarum pecunias receperit.

Quo ad peticionem reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis vicecancellarii archiepiscopi Bisuntini placuit, quod committatur domino officiali Coloniensi iudici cause, qui si sibi constiterit de assertis, decernat auctoritate sacri concilii citacionem cum monitorio per edictum et sub penis excommunicacionis et interdicti etc. cum potestate declarandi etc., ut petitur in supplicacione.

[a)] *folgt gestrichen* tractetur *P.* [b)] prandium *R.*

Quo ad inhibicionem petitam per dominum electum S. Poncii Thomeriarum placuit, quod huiusmodi inhibicio transeat sub penis et censuris ut petitur.

Super secundo avisamento dominorum duodecim placuit, quod materie concluse in generali congregacione et deliberate per deputaciones primo expediantur, antequam examinentur avisamenta domini Gasparis.

Super tercio ad requirendum exhortandum reverendissimos dominos cardinalem S. Crucis et S. Angeli pro legato mittendo ad Italiam pro recuperando terras ecclesie fuerunt deputati domini Niuernensis episcopus, abbas de Chereto, dominus Henricus auditor, Petrus de Corduba, qui hodie hora iij[a] post meridiem super hoc adire habeant prefatos dominos cardinales.

Visum est sacre deputacioni pro communibus fore expediens, quod eligeretur unus prelatus, qui premitteretur ad dominum nostrum papam pro parte sacri concilii ad congratulandum sibi de liberacione sue persone.

P] Die iovis XV[a] iullii in sacra deputacione pro communibus dominus prepositus Brandeburgensis ordinis Premonstratensis obtinuit licenciam recedendi usque ad quatuor menses, ita quod dimittat loco sui procuratorem.

Quo ad supplicacionem domini archidiaconi Metensis placuit et concessa est huiusmodi supplicacio in forma, sine tamen preiudicio tercii.

Supplicacio domini N. familiaris domini cardinalis de Cipro remissa est ad dominum nostrum papam.

Quo ad supplicacionem prepositi beate Marie ad gradus Maguntine petentis confirmari per sacrum concilium, placuit quod auctoritate concilii confirmetur in forma communi.

Relatum est pro parte deputacionis pacis, ipsam deliberasse quod reverendissimi domini cardinales S. Crucis et S. Petri vadant ad Italiam, dominus S. Crucis ad dominum nostrum papam ad visitandum suam sanctitatem pro conservanda unione inter ipsum et sacrum concilium tractandumque de modo recuperandi terras ecclesie, et inter alia quod dignetur sanctitas sua contentari de persona domini S. Petri.

Item quod domini cardinales S. Crucis et S. Angeli nominent ambassiatores mittendos ad Vrbem pro liberacione reverendissimi domini camerarii nepotis domini nostri, et gubernatoris civitatis Bononiensis.

Super supplicacione abbatis Omnium Sanctorum Cathalaunensium placuit, quod reverendissimus dominus archiepiscopus Turonensis iudex cause faciat iusticiam.

Quo ad requestam episcopi Quinque Ecclesiensis, petentis absolvi a non comparicione etc., placuit quod compellatur venire vel mittere ad concilium per totum mensem augusti, alioquin procedatur ex officio contra eum.

Quo ad supplicacionem domini archiepiscopi Salzeburgensis super causa ecclesie Gurcensis placuit, quod teneat monitorium prout est decretum.

Quo ad peticionem dominorum contendencium super prebenda S. Gunberti placuit, quod dominus Ludouicus de Garssiis iudex cause, reiectis quibuscunque non facientibus ad principale negocium, ferat sentenciam pro ius habente.

In causa Bambergensi placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus adiungatur cum dominis Firmano cardinali et archiepiscopo Lugdunensi, et si dominus cardinalis renuerit, alii duo faciant iusticiam.

Quo ad peticionem domini Gasparis de Perusio loco domini episcopi Aurelianensis egrotantis fuit surrogatus dominus archidiaconus Metensis.

P] Die veneris XVI[a] iulii non fuit congregacio propter controversiam sedium, instante ambassiatore domini ducis Sabaudie.

P] Die sabbati XVII[a] iulii in sacra deputacione pro communibus:

Quo ad primum avisamentum reverendissimi domini cardinalis legati, concernens dominos cardinales S. Crucis et S. Petri ex parte concilii ituros ad Italiam et ad sanctissimum dominum nostrum papam etc., placuit in forma etc., videlicet quod supradicti duo domini cardinales vadant tam pro pace tocius Italie et utilitate ecclesie Romane quam pro firmanda vera caritate inter sacrum concilium et prefatum dominum nostrum papam et pro observacione decretorum huius sacri concilii ac favoribus opportunis huic sacro concilio prestandis.

Et pro instructionibus faciendis fuerunt deputati domini legatus, archiepiscopus Lugdunensis, Cumanus et Lubicensis episcopi.

Super secundo de audiencia danda Grecis placuit, quod detur huiusmodi audiencia quodque precipiatur omnibus suppositis sacri concilii, ut in presencia Grecorum nullus advocatus vel procurator aut alia persona de aliqua materia loquatur, et quod servetur in presencia ipsorum debitum silencium cum omni modestia, et quod unusquisque honoret ipsos Grecos, et quod domini presidentes sacri concilii ad actum huiusmodi tantum [valeant] indicere congregacionem generalem.

Super tercio avisamento de dandis deputatis, qui videant[a] eiusdem domini legati collacionem faciendam Grecis etc., non placuit quod dentur deputati.

Super quarto de causis prophanis remittendis etc. placuit, quod concilium non habeat se intromittere de huiusmodi causis prophanis et quod remittantur, nisi tales sint, que de iuris disposicione debeant tractari in eodem et concernant supposita sacri concilii.

Placuit avisamentum dominorum de duodecim, quod si die iovis hora consueta notarii concilii coram dominis de duodecim ad concordandum deliberata per deputaciones non venerint, propter deffectum huiusmodi solvere teneantur tres grossos exigendos per presidentem ipsorum dominorum de duodecim.

Placuit quod causa prophana concernens Mercardum Schellemburg militem, Ebrardum Destain, Walterum de Weham armigeros etc., placuit quod remittatur ad tribunal serenissimi domini imperatoris et inhibeatur iudici etc., ut petitur.

Quo ad supplicationem fratris Petri Buchman ordinis Predicatorum placuit, quod reverendissimus pater dominus cardinalis S. Petri iudex in causis fidei vocata parte procedat ut petitur.

Dominus abbas de Verona retulit, quod dominus episcopus Vincensis ob reverenciam concilii licenciavit cantores, quos conduxerat.

Quo ad requestam domini electi Albiensis placuit, quod committatur reverendissimo domino archiepiscopo Bituricensi eius metropolitano, quod si sibi constiterit electionem huiusmodi fore canonicam, illam auctoritate sacri concilii confirmet et inhibeat sub penis etc. ut petitur.

Quo ad bullam advocacionis cause inter capitulum ecclesie Elborensis et minores eiusdem civitatis placuit, quod huiusmodi bulla non expediatur.

Quo ad requestam reverendi patris domini Oddonis de Varris prothonotarii placuit, quod in causa procedatur summarie simpliciter et de plano ut petitur.

P] Die dominica XVIII[a] iulii fuit missa solemnis in ecclesia maiori.

PR] Die lune XIX[a b)] iulii M°iiij°xxxiiij° fuit congregacio generalis propter ambassiatores Grecorum audiendos.

In quaquidem congregacione comparuerunt predicti ambassiatores, unus abbas, videlicet abbas S. Demetrii Constantinopolitani, et duo milites ambassiatores nominati in litteris etc., qui presentaverunt litteras domi-

[a]) vadant *P.* [b]) veneris XVI. *R.*

norum imperatoris et patriarche Grecorum[1] in dextro latere in latino et in sinistro in greco, et sunt littere dicti patriarche in papiro et bullate cum nigro.

Quibus lectis per me Bruneti notarium et expositis de greco in latinum per doctorem commorantem cum domino prothonotario Ferrariensi, ipse dominus abbas narravit in greco et deinde Aurispa in latino, qualiter sacrum concilium miserat dominos episcopum Sudensem et magistrum Johannem de Crispis provincialem Lombardie ordinis Augustinensis ad ipsos pro unione ecclesiarum occidentalis et orientalis, quod alias postulaverant a bone memorie domino Martino papa V°, unde regraciabantur et ad hoc missi erant per supradictos dominos.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus hiis peractis[a] de mandato sacri concilii proposuit sub theumate Johannis xiiij°: „Si quis diligit me, sermonem meum servabit,“[2] quequidem proposicio per dictum doctorem eis fuit in effectu sub paucis verbis in greco exposita.

Et tandem pecierunt diem eis assignari ad respondendum huiusmodi proposicioni, et tunc eis fuit assignata dies sabbati proxime futura.

PR] Eadem die, cum celebrarentur missa et congregacio, fuit affixa citacio in causa Traiectensi, instante promotore officiali[b] Basiliensi, per Alexandrum cursorem, et finita congregacione, instante quo supra, remota et deposita. De quibus etc.

P] Die mercurii XXI[a] iulii in sacra deputacione pro communibus super avisamento primo dominorum de duodecim de solicitatore etc., qui habeat solicitare deputatos et decreta expedienda etc., placuit quod materie concernentes reformacionem exponantur articulariter per deputaciones.

Super secundo avisamento, concernente cameram sacri concilii etc., placuit quod provideatur de securitate illorum, qui iam solverunt dicte camere, ita quod non possint imposterum per collectores apostolicos vel alios molestari. Item quod unacum domino thesaurario sacri concilii adiungatur unus ex parte sanctissimi domini nostri pape vel suorum presidencium, qui habeant communiter recipere pecunias provenientes ad cameram, ita tamen quod primo fiat satisfactio illis, qui mutuo tradiderant, et provideatar neccessitatibus sacri concilii, et si aliquid superfuerit[c], convertatur in utilitatem prefati domini nostri pape.

[a]) *folgt* eis *P.* [b]) et off. *P.* [c]) superfuerint *P.*

[1] *Mansi 29, 97. 617. M. C. 2, 756.* [2] *Joh. 14, 21. Die Rede Mansi 29, 1235; 30, 671.*

Super requesta reverendissimi domini cardinalis legati, concernente reformacionem canonicorum ecclesie Basiliensis et privacionem unius canonici eiusdem ecclesie etc., placuit quod de qualibet deputacione deputetur unus, qui unacum eodem domino cardinali legato habeant plenissimam auctoritatem actu reformandi dictos canonicos eciam usque ad privacionem, si opus sit, eciam si constiterit, quod ille canonicus, de quo fit mencio in requesta, fuerit dignus privacione et novus canonicus institutus per dominum legatum sit dignus et habilis, quod ponant ipsum in possessione reali et procedant, prout petitur in huiusmodi requesta. Et pro ista deputacione fuit deputatus reverendissimus dominus archiepiscopus Lugdunensis.

Super requesta reverendisimi domini archiepiscopi Treuerensis placuit, quod auctoritate sacri concilii possit absolvere volentes redire ad suam obedienciam etc. Item quod executores dati nomine sacri concilii habeant potestatem agravandi et reagravandi processus contra rebelles eciam per edictum.

Item quod scribantur littere patentes nomine sacri concilii, quod concilium non admisit appellacionem domini Vlrici.

Placuit quod reverendus pater dominus episcopus Argentinensis possit auctoritate sacri concilii absolvere omnes armigeros excommunicatos auctoritate sacri concilii iuxta formam supplicacionis et deliberacionem reformatorii, quodque dominus cardinalis legatus litteras super hoc decernat suo sub sigillo.

P] Die iovis XXII[a] iulii ob reverenciam beate Marie Magdalene non fuerunt deputaciones.

PR] Die veneris XXIII[a] iulii M°CCCC°xxxiiij° in congregacione generali, presidentibus S. Crucis, S. Angeli cardinalibus legatis, archiepiscopo Tarentino, Petro episcopo Paduano, assistentibus cardinalibus Placentino, de Cipro, Rothomagensi, S. Petri et Firmano, incorporati fuerunt magister Guillermus Georgii magister in artibus canonicus ecclesie beate Marie de Montelicio[a)] Bituricensis diocesis, dominus Conrardus Schenk[b)] licenciatus in decretis canonicus Eistetensis, dominus Symon Rawelk[c)] rector parrochialis ecclesie de Wynzelle Morinensis diocesis, dominus Lambertus Dantin prepositus S. Dyonisii Leodiensis decretorum doctor, magister Johannes de Odeur[d)] magister in artibus et baccallarius in legibus[e)] canonicus S. Martini Leodiensis, dominus Nicolaus Croseti decretorum doctor prior beate Marie de Plateria ordinis canonicorum re-

[a)] Montelico *R.* [b)] Schendz *R*, Scheulz *P.* [c)] Rabelk *R.* [d)] Joh. Odeur *R.* [e)] et—leg. *fehlt, R.*

gularium Lugdunensis diocesis, magister Fredericus de Dudeldorff in utroque iure licenciatus, magister Bartholomeus de Hagis magister in artibus et medicina, Rodericus Gundissalui de Gonuel du Sat[a] prior secularis ecclesie collegiate beate Marie de Roa Oxomensis diocesis, abbas S. Maximini extra muros Treuerenses, dominus Nicolaus Ylo officialis et canonicus Misnensis baccallarius in decretis, magister Nicolaus Nudi et magister Johannes Flamingi[b] pro studio Louuaniensi, archiepiscopus Vpsalensis[c], Michael abbas de Tironio[d].

Reverendissimi patres domini cardinales legatus et Firmanus, producto mandato per eosdem et prestito solito iuramento, pro Romanis concilio fuerunt incorporati.

Lecte fuerunt littere sanctissimi domini nostri pape, per quas regraciatur[e] sacro concilio de vera caritate et narrat impedimenta que habuit in Vrbe etc. et in fine earundem exhortatur sacrum concilium ad reformacionem ecclesie etc.[1]

Reverendissimus dominus archiepiscopus Lugdunensis nomine ambassiatorio regum proposuit, quod sedes ambassiatorum principum electorum nimis extolluntur et elevantur, ita quod eminenciores videantur sedibus regum et omnium prelatorum sacri concilii, quod permitti non deberet, cum ex ordinacione super hoc facta solum illa die debebant sedere ipsi ambassiatores dominorum electorum[f] post terga dominorum prothonotariorum et aliis diebus extunc circa sedem imperialem. Unde adherendo protestacioni alias per eum facte supplicavit, quatenus domini de sacro concilio dignarentur, ita providere, quod honor regum observetur.

Dominus Lubicensis episcopus respondit, dicens illud fuisse per reverendissimum dominum cardinalem Arelatensem et ipsum auctoritate sacri concilii ita fuisse ordinatum, ut semper sic deberent sedere.

Placuit et fuit conclusum, quod reverendus pater dominus episcopus Brixiensis[g] et dominus Petrus de Monte utriusque iuris doctor transeant Romam pro liberacione domini cardinalis Veneciarum camerarii, et archiepiscopi Tarentasiensis[h].

Lecte[i] fuerunt littere domini imperatoris cum certis copiis litterarum sibi missarum de Bohemia, continentes concordiam habitam in Bohemia.[2]

Lecte fuerunt littere domini regis Arragonum et responsiones date

[a]) Gonueldusac *R.* [b]) Flauinge *R.* [c]) Vpsiliensis *R.* [d]) Tyronio *R.* [e]) regraciatus *P.* [f]) dom. el. *fehlt, R.* [g]) Brixen̄ *von anderer Hand korr. aus* Burgen̄ *R.* [h]) Tarentini *R.* [i]) *dieser und die beiden folgenden Absätze nach dem obigen* Lecte fuerunt *beginnenden, R.*

[1] *M. C. 2, 715. cf. Rainald 1434 § 10.* [2] *Mansi 29, 594.*

capitulis sibi datis per dominum abbatem S. Ambrosii Mediolani ambassiatorem sacri concilii ad ipsum dominum regem missum.

Lecte fuerunt littere domini Frederici ducis Austrie credenciales, concernentes factum ecclesie Gurcensis.

Placuit quod domini episcopus Constanciensis, Johannes de Polomar, Martinus Berruerii et alii, qui alias missi sunt ad Bohemiam, unacum nominatis in cedula reverendissimi domini cardinalis legati vadant ad dietam celebrandam in Ratispona in festo Assumpcionis beate Marie Virginis,[1] in qua debent interesse ambassiatores Bohemorum.

Placuit eciam quod fiant exequie quondam domini abbatis S. Ambrosii nuper in servicio sacri concilii deffuncti.

Dominus Franciscus de Bossis nomine domini patriarche Aquilegiensis proposuit, petens primo fieri relacionem per dominos cardinales commissarios in materia discordie inter ipsum patriarcham et illustre dominium Venetorum, et huiusmodi relacione facta decerni monitorium iuxta deliberaciones sacrarum deputacionum et conclusionem sacre generalis congregacionis.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus suo et dominorum suorum collegarum commissariorum in hac causa nominibus dixit, quod res ista gravis est et quod ipsi adhuc non convenerunt de relacione. Idcirco peciit, quod hodie conveniant et cras faciant relacionem. Quod generali congregacioni placuit.

Dominus Stephanus de Nouaria [a] advocatus proposuit nomine domini Frederici ducis Austrie et domini archiepiscopi Salzeburgensis et episcopi Gurcensis, petens monitorium in causa Gurcensi decretum resolvi in vim simplicis citacionis et quod iudices cause faciant iusticiam, alioquin dominus N. procurator etc. protestatus est ut in cedula, petendo instrumentum etc.

Dominus legatus respondit eisdem, quod fieret eis iusticia etc.

Lectis deliberacionibus sacrarum deputacionum super expedicione monitorii contra impedientes semidecimam etc. placuit, quod expediatur huiusmodi monitorium iuxta formam per dominum legatum conceptam.

Super supplicacione domini abbatis S. Audoeni [b] Rothomagensis concordant omnes deputaciones concorditer deliberantes, quod committatur domino archidiacono Metensi, qui resumat et procedat ut petitur.

Super supplicacione serenissimi domini imperatoris, concernente controversiam inter illustres principes duces Gelrie [c] et Montensem, concordant tres deputaciones, quod committatur in partibus iudicibus non

[a]) St. de N. *fehlt, P.* [b]) Audonei *R.* [c]) Gulrie *P.*

[1] *August 15.*

suspectis et de consensu parcium; quarta autem, videlicet de reformatorio, modicum discrepat ab eisdem.

Super supplicacione Johannis Carrerii mercatoris Tullensis diocesis concordant tres deputaciones, quod committatur officiali Tullensi, qui vocatis evocandis summarie et de plano de contentis se informet et expediat ut petitur. Quarta autem, scilicet de fide, oneravit in hoc conscienciam ipsius officialis, prestita prius caucione per dictum Johannem.

Super causa Bambergensi concordant omnes deputaciones, quod reverendissimus dominus cardinalis Firmanus iungatur reverendissimo domino archiepiscopo Lugdunensi, qui causam ipsam in eodem statu, in quo penes prefatum dominum archiepiscopum remansit[a], resumant[b] et simul procedant et iusticiam faciant; quarta autem de communibus voluit, quod ipsis iudicibus duobus iungatur dominus cardinalis legatus, si possit vacare, alioquin ipsi duo procedant in causa et iusticiam faciant.

Sed quia dominus cardinalis Firmanus renuit huiusmodi onus assumere, reverendissimus dominus cardinalis S. Crucis presidens nomine sacri concilii mandavit, ut huiusmodi onus susciperet, quod et fecit.

Quo ad supplicacionem civium Bisuntinorum, concernentem dominum cardinalem Rothomagensem archiepiscopum Bisuntinum et ipsos cives, concordant tres deputaciones, quod domini precognitores huiusmodi commissionem, de quibus in ipsa supplicacione fit mencio, habeant signare, prout iustum fuerit; quarta autem, videlicet de reformatorio, voluit quod ipsi precognitores habeant huiusmodi commissionem signare, iuxta quorum signaturam ipse dominus vicecancellarius habeat easdem signare, aliter non.

Quo ad supplicacionem fratris Petri Wygman sacre theologie ordinis Predicatorum professoris concordant omnes deputaciones, quod concedatur supplicanti ut petitur, videlicet quod reverendissimus dominus cardinalis S. Petri iudex cause in ipsa causa simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta procedat ut petitur.

Super supplicacione domini Johannis promoti ad ecclesiam Gurcensem concordant deputaciones, quod ipsa supplicacio in omnibus et per omnia admittatur ut petitur, et fuerunt nominati pro deputacione de communibus dominus archiepiscopus Lugdunensis, pro reformatorio episcopus Gadicensis[c], pro fide episcopus Papiensis et pro pace archiepiscopus Cretensis. Addidit illa de reformatorio, quod sola facti veritate inspecta ac summarie et de plano auditis partibus procedant, deinde facta relacione in deputacionibus referant in generali congregacione.

[a]) remisit *P.* [b]) resumat *P.* [c]) Gradicensis *R.*

Super supplicacione domini Rabani archiepiscopi Treuerensis concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, ut appellacionem per dominum Vlricum pretensum electum Treuerensem interpositam reiciat et scribat litteras favorabiles pro reverendissimo domino Rabano archiepiscopo Treuerensi.

Lectis superius concordatis, reverendissimus dominus cardinalis S. Crucis legatus nomine sacri concilii super eisdem conclusit iuxta concordata huiusmodi et deliberaciones trium deputacionum concorditer deliberancium.

Facta lamentabili querela per dominum priorem Mantule[a] vicarium Cluniacensem de horribili homicidio perpetrato per quosdam armigeros prope Argentinam in personam abbatis de Selsen[b], quod dudum tenuit per decem annos dominus episcopus Basiliensis, huiusmodi materia remissa est ad deputaciones.

Dominus Gaspar de Perusio advocatus unacum ambassiatoribus domini regis Scocie proposuit replicando ad alias proposita per archidiaconum Glasguensem contra regem Scocie. Et quia ipse archidiaconus voluit respondere ad replicam, huiusmodi materia remissa est ad deputaciones.

Domini ambassiatores domini Erici ducis Saxonie finita congregacione generali protestati sunt in presencia magistri Thome mei college et mei Bruneti, quod si unus hodie incorporatus nomine domini marchionis Missnensis et ducis Saxonie incorporatus[c] vel admissus sit, quod illud sibi et domino suo domino duci Erico non possit preiudicare.

Johannes Lamberti cursor obtinuit licenciam a reverendo patre domino Oliuerio episcopo Leonensi presidente deputacionis pro communibus recedendi ad Romanam curiam[d] pro expedicione certarum litterarum apostolicarum, in ecclesia maiori post dissolucionem congregacionis, presentibus domino episcopo Aurelianensi et Hugone Barardi promotore.

PR] Die sabbati XXIIII[a] iulii millesimo quadringentesimo xxxiiij[o] in congregacione generali ambassiatores regis Polonie noviter defuncti proposuerunt, narrantes eos fuisse ad sacrum concilium destinatos, sed interim supervenit mors eiusdem, cuius mortis occasione alii ambassiatores eos sequentes reversi sunt ad Poloniam pro negociis et utilitate eiusdem regni, unde ipsi propriis nominibus pecierunt incorporari.

Postmodum lecte fuerunt littere domini episcopi Cracouiensis et cancellarii Polonie. Deinde incorporati fuerunt nominibus suis propriis dominus episcopus Posnaniensis[e], abbas Bonecumbe, prepositus Craco-

[a]) Mantille *R*. [b]) Selsem *R*. [c]) *fehlt, R*. [d]) transferendum ad curiam Romanam *R*. [e]) Pergamensis *R*, Posurmensis *P*.

uiensis et generalis ordinis fratrum de Penitencia [a] sanctorum Martirum de Vrbe.

Ambassiatores Grecorum proposuerunt in greco, quam proposicionem interpretatus est magister Johannes doctor Ferrariensis, per quam in effectu exhortabantur [b] sacrum concilium ad pacem et unitatem, laudantes sacrum concilium de suo sancto proposito, quod habuit et habet ad illa sancta opera, propter que est congregatum; rogantes et supplicantes, quatenus hec unio suum breviter sorciatur effectum, quoniam et imperator et patriarcha Grecorum et ipsi ambassiatores magnam habent cupiditatem ad complementum huiusmodi unitatis. [1]

Dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii aliqua exposuit eisdem Grecis, que ut supra interpretata fuerunt, videlicet quod huiusmodi proposicio magnum gaudium sacro concilio attulit, exhortando eosdem ad unitatem et pacem.

Fuit ordinatum quod aliqui pauci deputabuntur ex parte sacri concilii, qui cum eis conferent et convenient et tractabunt super huiusmodi unione, rogans ipse dominus legatus eosdem Grecos, ut ad huiusmodi pacem velint se reddere paratos.

Ipsi ambassiatores Grecorum per organum cuius supra regraciati sunt sacro concilio, eo quod gratis suscepta fuit eorum proposicio, et obtulerunt se paratissimos ad conveniendum cum deputandis per sacrum concilium et cooperari quantum in eis possibile erit ad huiusmodi unionem et pacem.

Placuit quod de singulis deputacionibus deputentur tres, videlicet de quolibet statu unus, qui conveniant cum eisdem Grecis.

Quo ad dominos cardinales S. Crucis et S. Petri ad vincula ituros ad Ytaliam et ad sanctissimum dominum nostrum papam dominus cardinalis legatus conclusit iuxta concordata, que sequuntur, heri lecta:

Concordant omnes deputaciones, quod reverendissimi domini cardinales S. Crucis et S. Petri ex parte sacri concilii vadant ad Italiam et ad sanctissimum dominum nostrum papam tam pro pace tocius Italie et utilitate ecclesie Romane quam pro firmanda vera caritate inter sacrum concilium et prefatum sanctissimum dominum nostrum papam, et pro conservacione decretorum huius sacri concilii ac favoribus opportunis huic sacro concilio prestandis.

Super instructionibus fiendis dandis dominis cardinalibus ituris ad Italiam etc. deputati fuerunt pro deputacione reformatorii patriarcha Anthiocenus, archiepiscopus Turonensis, pro deputacione de communibus

[a]) Prucia *P.* [b]) exhortabatur *P.*

[1] *Die Rede Mansi 29, 1244; 30, 680.*

reverendissimi domini cardinalis legatus, archiepiscopus Lugdunensis, Cumanus et Lubicensis episcopi, pro deputacione fidei Dignensis et Fariensis[a] episcopi, pro deputacione pacis Vticensis et Gebennensis episcopi, ita quod domini presidentes possint indicere congregacionem generalem quo ad audienciam dandam ambassiatoribus Grecorum.

Reverendissimi domini cardinales commissarii in facto concernente dominum patriarcham Aquilegiensem et illustre dominium Venetorum per organum domini cardinalis legati fecerunt relacionem de concordia per ipsos tractata inter ipsum dominum patriarcham et ambassiatores dicti dominii Venetorum, que non habuerat effectum.

Et quia huiusmodi concordia non habuit locum, peciit idem dominus patriarcha sibi decerni monitorium iuxta deliberaciones deputacionum et conclusionem generalis congregacionis.

Sed quia[b] huiusmodi congregacio non erat nisi solum indicta ad audiendum Grecos, ideo super hoc nichil fuit conclusum.

PR] Die dominica XXV[a] iulii fuit missa solemnis in ecclesia maiori.

P] Die lune XXVI[a] iulii in sacra deputacione pro communibus super requesta domini vicarii Cluniacensis, concernente abbatem de Selsen, qui veniendo ad concilium fuit interfectus prope Argentinam etc., placuit quod huiusmodi negocium committatur et commissum est reverendissimis patribus dominis Tarentino et Turonensi archiepiscopis, qui brevem et expeditam iusticiam faciant iuxta avisamentum deputacionis reformatorii.

Placuit quod domini Bellicensis et Lausanensis episcopi hodie hora secunda post meridiem conveniant apud Predicatores cum deputatis aliarum deputacionum ad requirendum reverendissimum dominum cardinalem Placentinum, ut velit assumere onus transeundi ad dominos regem Anglie et ducem Burgundie pro pace regni Francie etc.

Placuit quod hodie hora iij[a] post meridiem domini deputati ad componendum formas decretorum expediendorum conveniant in Augustinensibus.

Ad videndum et examinandum avisamenta concerneucia reformacionem ordinis monachorum Nigrorum fuerunt deputati domini episcopus Lausanensis et Petrus Corserii, qui referant.

Ad conveniendum et tractandum cum ambassiatoribus Grecorum fuerunt deputati cum reverendissimo domino cardinali legato domini archiepiscopus Lugdunensis, Niuernensis Pargamensis episcopi et Henricus auditor et Pulcripatris, qui hodie hora quarta post meridiem conveniant in S. Francisco.

[a]) *Lücke, R.* [b]) *fehlt, R.*

Quo ad armigeros, qui diffidant invadunt et rapiunt clerum Constanciensis diocesis, placuit quod contra huiusmodi diffidatores et alios similes per cancellariam expediantur littere sub formidabilibus penis contra dictos armigeros, ut a talibus cessent, quodque scribantur imperatori littere favorabiles, ut super hoc scribat civitatibus imperialibus.

Quo ad ambassiatores mittendos ad Bohemiam placuerunt nominati in cedula reverendissimi domini cardinalis legati et eciam per nacionem Germanicam, adiuncto cum ipsis reverendissimo domino archiepiscopo Tarentino presidente sacri concilii, quibus ambassiatoribus pro parte sacri concilii inhibeatur, ne super quatuor articulis Bohemorum habeant quovismodo cum eisdem Bohemis disputare ultra locum sacri concilii.

Et pro instructionibus componendis cum domino cardinali legato et deputatis aliarum deputacionum fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis et episcopus Niuernensis et Johannes Pulcripatris. Que instructiones primo videantur in deputacionibus et deinde concludantur in generali congregacione.

P] Die martis nec die mercurii fuerunt deputaciones.

P] Die iovis XXIX[a] iulii in sacra deputacione pro communibus in causa archiepiscopi Rigensis contra generalem et fratres ordinis Prutenorum placuit, quod loco reverendi patris domini episcopi Laudensis a concilio notorie absentis surrogetur et surrogatus est iudex in causa dominus Petrus Corserii.

Quo ad confirmacionem abbatis monasterii de Hornbach Metensis diocesis ordinis S. Benedicti placuit, quod committatur domino cardinali legato, qui si sibi constiterit de electione cànonica et de cessione abbatis et sufficiencia electi, ipsam electionem confirmet, supplendo defectum de non prestito iuramento.

Quo ad supplicacionem curati SS. Innocencium Parisiensium[a)] placuit supplicacio in forma ut petitur, et quod committatur archidiacono Metensi.

Super supplicacione domini episcopi Cumani de revocacione unionis etc. placuit, quod dominus vicecancellarius det iudicem, qui se de contentis in supplicacione informet, et si sibi constiterit de assertis, revocet pretensam unionem.

Dominus abbas Aquefrigide de oblacione huiusmodi requeste peciit instrumentum, presentibus archiepiscopo Lugdunensi, Niuernensi et Pargamensi episcopis.

Quo ad supplicacionem illius promoti ad dignitatem ante xxv.

[a)] Pis. *P.*

annum, petentis dispensari eo quod suscepit subdiaconatus et diaconatus ordines, non tamen ministrando [in] eisdem etc., placuit quod committatur domino cardinali legato, ut dispenset cum supplicante et provideat ut sibi videbitur.

Quo ad supplicacionem episcopi et capituli Augustensium provincie Maguntine, concernentem castrum Zuesmegat., placuit quod committatur alicui in partibus, qui provideat, prout utilitati ecclesie videbitur fiendum, et det super hoc dominus vicecancellarius iudicem.

Quo ad duas requestas oblatas per reverendissimum dominum cardinalem Rothomagensem archiepiscopum Bisuntinensem contra cives Bisuntinos placuerunt avisamenta reformatorii et pacis in forma a tergo ipsarum requestarum apposita.

Quo ad requestam domini decani de Kalestenn, petentis dispensari quod possit tenere duo curata beneficia ad quinquennium etc., placuit quod committatur et commissa est reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset et provideat ut petitur.

Supplicacio facta per dominum archiepiscopum Turonensem super monitorio obtinendo contra dominos de capitulo S. Martini Turonensis etc. placuit in omnibus et per omnia supplicacio ut petitur.

Dominus provincialis Lombardie ordinis Predicatorum obtinuit licenciam recedendi usque ad duos menses.

Quo ad requestam illius professi ordinis S. Benedicti, qui alias fuit ordinis Minorum, vel vadat ad papam vel revertatur ad primum ordinem Minorum.

Quo ad confirmacionem prepositi Porte Clause diocesis Tridentine placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui constito sibi de assertis et sine preiudicio ordinarii confirmet ut petitur.

PR] Die veneris penultima mensis iulii M°iiij^{C}xxxiiij° in congregacione generali medio iuramento fuerunt incorporati abbas Bellelaye[a] ordinis Premonstratensis, magister Johannes Roden pro archidiacono Hildesemensi, frater Petrus de Cole[b] regni Aragonum licenciatus in theologia, frater Johannes Britonelli baccallarius in theologia, dominus Petrus de Chalkembergh[c] canonicus ecclesie S. Florini Confluencie, magister Nicolaus de Cipro magister in theologia minister provincie Terre Sancte, frater Anthonius de Ulphiaco prior prioratus S. Salvatoris in Rua Wiennensis diocesis baccallarius in decretis.

Lecte fuerunt littere Romanorum presentate per cancellarium ipsorum, credenciales in eius personam, cuius credencia fuit excusacio Romanorum a subtractione obediencie a dominio domini nostri pape

[a]) Bellelay *R.* [b]) Kole *R.* [c]) Halkembergh *R.*

Eugenii quarti, asserendo eosdem Romanos stare iuri et ordinacioni sacri concilii.

Dominus archiepiscopus Tarentinus pro excusacione domini nostri respondit ad singula dicta per dictum cancellarium.

Dominus cardinalis Firmanus, facta prius protestacione, quod non intendit aliquid dicere contra sanctissimum dominum nostrum papam nec contra dictum dominum archiepiscopum Tarentinum, sed solum pro veritate sustinenda et excusacione domini principis, excusavit innocenciam dicti domini principis Salerne.

Dominus episcopus Paduanus excusavit sanctissimum dominum nostrum papam et accusavit Romanos, eo precipue quod detinuerunt dominum nostrum per duos vel tres dies et dominum camerarium adhuc detinent.

Dominus Hermannus Wydelers excusavit dictum dominum principem Salerne, dicens quod prius guerra fuit sibi mota per unum mensem, antequam guerram faceret, sed antequam sibi guerra moveretur, omnia fortalicia et terras ecclesie posuerat in manibus dominorum cardinalium.

Supradictus cancellarius Romanus respondit ad duo tacta per dominum Paduanum, videlicet super detencione[a] domini nostri pape et camerarii, quod potest probare per breve domini nostri, quod non dubitabat nisi de futura detencione, sed de detencione presenti vel preterita nullam facit mencionem. Quo ad detencionem domini camerarii dixit, quod ipsum detinent, ut reddat racionem sue vilicacionis et restituat terras et castra Romanorum.

Lecte fuerunt littere dominorum episcoporum de Armenia.[1]

Item due littere imperatoris Romanorum, concernentes pacificacionem sedium et controversiam inter ducem Ericum ducem Saxonie et marchionem Misnensem et ducem Saxonie[b].[2]

Item lecte fuerunt littere ipsius marchionis Misnensis.[3]

Item littere conventus fratrum Minorum de Pera prope Constantinopolim.

Item lecta fuit littera responsiva ad litteras imperatoris scriptas contra dominum archiepiscopum Bisuntinum et pro civibus Bisuntinis et certis aliis communitatibus, quod non debeant trahi ad forum ecclesiasticum pro rebus prophanis et feudis imperii etc.

Domini ambassiatores deputati ad eundum Ratisponam iuraverunt de fideliter exercendo suam legacionem et ambassiatam, videlicet dominus episcopus Constanciensis, dominus episcopus Lubicensis, abbas de Mul-

[a]) *korr. aus* defensione *P.* [b]) et d. Sax. *fehlt, R.*

[1] *Mansi 30, 642.* [2] *l. c. 29, 593.* [3] *l. c. 30, 855.*

bruno, magister Egidius Carlerii, magister Thomas de Wienna, magister Thomas de Courcellis [a], prior Predicatorum Basiliensium.

Ambassiatores Venetorum habuerunt audienciam in causa Aquilegiensi per organum primo domini Gasparis et deinde per ambassiatorem militem et doctorem, qui inter cetera dixit, quod sciebant se non esse legitimos possessores terre, quam dicit dominus patriarcha occupatam, sed quod coacti eam de licencia felicis recordacionis domini Martini pape quinti invaserant.

Super facto dominorum cardinalium presencium in hoc sacro concilio concordant tres deputaciones, attento quod domini cardinales existentes in hoc sacro concilio non modicum laborarunt prout laborant in vinea domini Sabbaoth, hoc sacrum concilium eciam ex officio moneat reverendissimos patres dominos camerarios sanctissimi domini nostri pape et sacri collegii dominorum cardinalium, videlicet dominos appellatos communiter Veneciarum et de Comite, sub gravibus penis, videlicet excommunicacionis privacionis dignitatum, eciam cardinalatus, beneficiorum et officiorum, que obtinent, ut infra competentem terminum predictis dominis cardinalibus presentibus in [hoc sacro concilio de pecuniis, que cardinalibus presentibus in] curia debebantur et debentur, a principio huius sacri concilii habeant respondere et integre satisfacere usque ad presentem diem et successive usque ad finem huius sacri concilii, eciam si contigerit aliquem vel aliquos de mandato ipsius sacri concilii absentare; et si forte iam distribuerunt in alios, quod minime facere debuerunt, retineant de illis quos habuerunt usque ad debitam satisfactionem dictorum dominorum cardinalium presencium, alias sub penis similibus compellant eos in quos distribuerint ad debitam restitucionem. Similiter moneantur depositarii ipsius domini nostri pape et collegii exhorteturque et supplicetur domino nostro pape ac moneatur cum omni debita reverencia, ut predictos camerarios et depositarios compellat sub penis predictis etc. ad satisfactionem predictam. Et in casu quo de predictis in utilitatem suam aliqua versa fuerint, sua sanctitas illa restituat pariter et contribuat; et hec omnia per edictum. Quarta vero videlicet de pace voluit, quod exnunc decernatur monitorium per sacrum concilium iuxta avisamentum deputacionis reformatorii, non tamen sub tam gravibus penis, et antequam huiusmodi monitorium exequatur, moneantur caritative domini camerarii et cardinales, de quibus in ipsa supplicacione fit mencio, ad concordandum cum reverendissimis dominis cardinalibus in concilio existentibus; quod si non fecerint, habeat locum monitorium.

Quibus concordatis lectis, fuit per reverendissimum dominum cardinalem legatum pro tunc presidentem iuxta deliberaciones trium depu-

[a]) Corcellis *R.*

tacionum concorditer deliberancium nomine vice et auctoritate sacri concilii more solito conclusum. De quibus etc. promotores pecierunt a nobis notariis fieri instrumentum etc.

PR] Die dominica prima augusti M°iiij°xxxiiij° fuit missa solemnis in ecclesia maiori etc.

P] Die lune II[a] mensis augusti in sacra deputacione pro communibus pro presidente fuit deputatus dominus episcopus Vessionensis ambassiator regis Dacie.

Placuit quod pro parte sacri concilii dominus episcopus Lubicensis et dominus Tilmannus prepositus S. Florini Confluencie habeant exhortari serenissimum dominum imperatorem, ut dignetur scribere iudici cause testamentarie quondam domini episcopi Sagrobiensis pro expedicione eiusdem.

Pro dominis de duodecim fuerunt deputati domini episcopi Bellicensis continuatus, episcopus Cumanus et dominus Johannes canonicus Eistetensis.

Pro custodia clavis fuit deputatus dominus archidiaconus Mantuanus.

Pro referendario dominus Johannes Pringencii archidiaconus in ecclesia Leonensi.

Pro distributoribus[a)] suppositorum fuerunt continuati promotores concilii.

Lectis instructionibus dandis dominis ambassiatoribus ituris ad Ratisponam, placuerunt huiusmodi instructiones in forma concepta per dominos ad hoc deputatos et lecta in hac deputacione.

Item quod domini ambassiatores habeant facere verbum nomine concilii domino imperatori de occisione abbatis Selzensis ordinis Cluniacensis.

Ad evitandum strepitus et clamores, qui quandoque fiunt in congregacionibus, placuit quod nulle lites de cetero, dempta causa reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis, audiantur in dictis congregacionibus, sed committantur deputatis, coram quibus partes dicant quitquid voluerint; qui deputati possint postea referre in congregacione generali, si opus fuerit; et non audiantur advocati, nisi petita et obtenta licencia a dominis presidentibus sacri concilii.

Placuit supplicacio reverendi patris domini Johannis episcopi Tornacensis in forma ut petitur.

Item placuit supplicacio reverendissimi patris domini archiepiscopi Auxitani, requirentis annullacionem et revocacionem erectionis monasterii

[a)] distributore *P.*

etc. in ecclesiam cathedralem[1] in omnibus et per omnia, ut petitur in eadem.

Domini de deputacione pacis deputarunt quatuor deputatos cum aliis deputatis aliarum deputacionum ad eligendum iudices et precognitores.

Ad conveniendum cum dominis deputatis aliarum deputacionum ad eligendum iudices et precognitores fuerunt deputati domini Bellicensis Pargamensis episcopi, domini Henrricus auditor et Johannes Francisci.

P] Die mercurii IIII[a] augusti in sacra deputacione pro communibus lectis ordinacionibus sacri concilii et avisamentis dominorum de duodecim, placuit primum avisamentum, videlicet quod huiusmodi ordinaciones deinceps legantur in sacris deputacionibus in principio cuiuslibet mensis.

Quo ad secundum avisamentum dominorum de duodecim placuit, quod per totum mensem presentem augusti suspendantur cause ad instar curie Romane, dempta causa reverendissimi patris domini patriarche Aquilegiensis, aliis previlegiatis reservatis, ut om[n]i studio concilium habeat intendere ad reformacionem fiendam et expedicionem decretorum iam conceptorum.

Lectis avisamentis concernentibus taxam notariorum etc. per dominos deputatos conceptis, placuerunt huiusmodi capitula, ita tamen quod contra iudices participantes in lucro apponatur pena.

Et pro executore eorundem capitulorum fuit deputatus Henrricus auditor.

Placuit quod reverendissimi domini cardinales ituri ad sanctissimum dominum nostrum papam habeant ipsum dominum exhortari ad veniendum personaliter ad sacrum concilium, si commode hoc facere possit.

Quo ad visitatores mittendo[s] per mundum pro reformacione etc. placuit, quod expeditis decretis iam conceptis fiat reformacio in capite et in membris.

Dominus episcopus Leonensis obtinuit licenciam recedendi, ita tamen quod licenciam obtineat a domino legato.

PR] Die iovis V[a] augusti hora quarta post meridiem intraverunt Anglici cum magno apparatu sagittariorum etc.

PR] Die veneris VI[a] augusti M[o]iiij[C]xxxiiij[o] fuit congregacio generalis, presidentibus dominis cardinali legato, archiepiscopo Tarentino et

[1] *Johann XXIII. hatte die Abtei Bardoux zum Bistum erhoben. Gallia Christiana 1, 1017.*

episcopo Paduano, existentibus in eadem dominis cardinalibus Ostiensi Placentino Rothomagensi Arelatensi et Firmano.

Fuit incorporatus medio iuramento dominus Marcus prepositus ecclesie Januensis.

Lecte fuerunt littere Schuuwagboda[a] dominii[b] terre Madawyensis[c].

Item littere societatis S. Georgii.

Lecte fuerunt littere duplices domini ducis Sabaudie, concernentes prioratum Paterniaci.

Super requesta reverendissimi domini archiepiscopi Auxitani etc. concordant omnes deputaciones, quod revocacio cassacio irritacio et annullacio erectionis et dimembracionis, de quibus in ipsa supplicacione fit mencio, facte per felicis recordacionis Johannem papam xxiij[m] [1] auctoritate sacri concilii confirmentur et approbentur erectioque et dimembracio huiusmodi et quecunque alia ex ecclesia Auxitana predicta quacunque auctoritate facienda eadem auctoritate sacri concilii penitus inhibeantur, et alias prout petitur in supplicacione.

Quo ad supplicacionem electi in prepositum monasterii Porte Clause ordinis S. Augustini canonicorum regularium Tridentine[d] diocesis, petentis confirmacionem etc., concordant tres deputaciones quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui huiusmodi confirmacionem, si ipsam canonicam et alias ydoneam repererit, auctoritate sacri concilii confirmet supplendo deffectus, si qui ob non servatam formam decreti huius concilii intervenerint. Quarta, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super cedula per reverendissimum dominum cardinalem legatum alias ad sacras deputaciones transmissa, concernente reformacionem cleri huius civitatis et privacionem unius canonici ecclesie maioris et institucionem novi canonici etc., concordant omnes deputaciones quod committatur reverendissimis dominis cardinali S. Angeli legato, patriarche Anthioceno, archiepiscopo Lugdunensi et venerabili viro magistro Johanni Celi, qui super huiusmodi cedula et contentis in eadem provideant et iusticiam faciant.

Super supplicacione reverendissimi domini archiepiscopi Turonensis, petentis sibi dari iudices, qui sibi decernant monitorium contra decanum et capitulum S. Martini Turonensis ac alios quoscunque impedientes ipsum in preeminencia sue dignitatis etc., concordant tres deputaciones quod ipsa supplicacio sive requesta concedatur et committatur cum pote-

[a]) Schuuwagwada *R*, *lies* supremi waywode ? [b]) domini *R*. [c]) Madauiensis *R*. [d]) Tullensis *R*.

[1] *s. o. S. 166.*

state etc. in forma, ut in ipsa supplicacione petitur et continetur; quarta autem de pace requisita non deliberavit.

Super supplicacione proconsulis consulum scabinorum et communitatis oppidi Golzach Misnensis diocesis, petentis pro debitis pro tuicione dicti oppidi contractis, quamdiu violenta Hussistarum prosequcio duraverit, vel saltem a data presencium ad sexennium per neminem iudicum evocari excommunicari etc., concordant omnes deputaciones, quod attenta fide et fidelitate illorum, pro quibus supplicatur, de qua est fama et veritas, fiat eis gracia quam petunt super debitis contractis ob non solucionem censuum perpetuorum et reempcionum vel ad vitam, quos solvere adhuc tenentur, a tempore quo heretici primo illas partes manu armata intraverunt, sive tales fuerint ecclesiastici sive seculares, dumtamen illi quibus tales census solvendi sunt non fuerint tam pauperes, quod[a)] ob non solucionem censuum eis debitorum mendicare vel aliquam operam illicitam minime exercere cogerentur; et ut privilegium eis dandum duret interim quod durat hec violenta oppressia hereticorum et ipsi supplicantes cum ipsis pacta et treugas non iniunt, et cessante dictorum hereticorum oppressione ad triennium post.

Lectis concordatis dominorum de duodecim, reverendissimus pater dominus cardinalis legatus nomine aliorum presidencium auctoritate sacri concilii conclusit super eisdem iuxta huiusmodi concordata et deliberaciones trium deputacionum concorditer deliberancium.

Placuit quod nullus advocatus aut alius loquatur in congregacione generali non habita licencia a dominis presidentibus, sub pena expulsionis a congregacione generali et alia arbitrio eorundem dominorum presidencium infligenda.

In causa Aquilegiensi in eadem congregacione dominus Franciscus de Bossis nomine reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis respondit in scriptis proposicioni nuper facte in ultima congregacione pro illustri dominio Venetorum, petens monitorium decerni per sacrum concilium etc.

Dominus Johannes Franciscus orator ipsius illustris dominii Venetorum ibidem immediate replicavit ad dictam responsionem, obiciens et allegans multa crimina, et monitorium decerni non debere nisi auditis hincinde partibus in iuribus et probacionibus suis, exhibens et producens mandatum, ut asseruit, sufficientissimum ad hanc causam, petens ipsum legi in congregacione generali.

Quibus dictis et allegatis hincinde, reverendissimus dominus patriarcha obtulit, quod ipsi restituant sacro concilio et in manibus eiusdem sacri concilii suam ecclesiam Aquilegiensem, et postmodum agatur super

[a)] quod non *P.*

criminibus, quibus offerebat se responsurum, et si dignus sit privacione, privetur, si incarceracione, incarceretur, et alias fiat de persona sua iusticia, antequam a sacro concilio recedat.

Deinde lectum fuit huiusmodi mandatum dominii Venetorum bulla plumbea ipsius dominii bullatum.

Quo lecto reverendissimus cardinalis legatus nomine sacrii concilii mandavit partibus, quatenus recederent a congregacione generali, ut super propositis huiusmodi possit deliberari.

Habitisque desuper dominorum cardinalium et presidencium et aliorum dominorum plurimorum[a)] votis, tandem placuit quod deliberetur cras in deputacionibus, an promotores sacri concilii debeant petere nomine promotorio, quod huiusmodi ecclesia restituatur et ponatur in manibus universalis ecclesie.

Dissoluta congregacione, quia dominus episcopus Niuernensis ambassiator domini Burgundie intellexerat, quod fiat bulla ordinis sedium in preiudicium domini sui, protestatus est coram magistro Thoma socio meo, prout in manuali eiusdem Thome continetur.

P] Die sabbati VII[a] augusti in sacra deputacione pro communibus super requesta reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis, requirentis declaracionem sacrarum deputacionum etc., scrutatis singulariter votis dominorum placuit maiori parti, quod quatuor domini cardinales commissarii, adiunctis secum dominis Petro Corserii et Johanne Pringencii iurisperitis, habeant usque ad diem iovis proximam inclusive tractare concordiam inter partes, si fieri possit, alioquin in proxima congregacione generali sacrum concilium habeat petere a dominis Venetis restitucionem ecclesie patriarchatus Aquilegiensis et eam poni in manibus eiusdem sacri concilii, offerendo eisdem dominis Venetis, quod sacrum concilium optime providebit circa regimen ipsius ecclesie. Quod si domini Veneti non acquieverint, in eadem congregacione generali per ipsum sacrum concilium decernatur monitorium per eundem patriarcham petitum.

PR] Die dominica VIII[a] augusti fuit missa solemnis more solito in ecclesia maiori.

P] Die lune IX[a] augusti in sacra deputacione pro communibus super forma decreti de veris possessoribus etc., lecta huiusmodi forma et scrutatis votis dominorum, placuit materia, forma vero revideatur et corrigatur per reverendissimum dominum cardinalem legatum et deputatos, qui audiverunt dubia et motiva dominorum, et concludant in huiusmodi forma.

[a)] preteritorum *P.*

Quo ad primum avisamentum reverendissimi domini cardinalis legati, concernens reformacionem canonicorum regularium etc., placuit quod committatur reverendissimis dominis cardinalibus S. Crucis Bononiensi Placentino et domino patriarche Anthioceno, qui assumptis cum eis aliquibus doctoribus et magistris videant capitula concernencia huiusmodi ordinem canonicorum regularium, et si sint racionabilia, valeant auctoritate concilii tradere visitatoribus, ut ea mandent execucioni, prout habetur in avisamento.

Super secundo placuit, quod reverendissimi patres domini cardinalis legatus, patriarcha Anthiocenus, archiepiscopus Lugdunensis deputati pro reformacione ecclesie cathedralis Basiliensis possint canonicum privatum et alios quoscunque vocare per edictum.

Placuit quod domini deputati in facto Grecorum conveniant hodie hora quarta post meridiem in S. Francisco.

Super forma decreti de Judeis et neofitis placuit maiori parti materia et forma cum avisamentis domini Lugdunensis, ita tamen quod per dominos deputatos, vocatis secum doctoribus et magistris de quibus eis videbitur, iterum videatur et corrigatur, qui concludere habeant in huiusmodi forma, quodque addatur in fine decreti „aliis ordinacionibus iuris in suo robore remanentibus.“

Dominus cardinalis legatus admisit in scriptorem litterarum sacri concilii Johannem Fabri alias Biscoep clericum Cameracensis diocesis, ex relacione Johannis de S. Genesio.

P] Die mercurii XI[a] augusti in sacra deputacione pro communibus placuit, quod domini incorporati huic sacro concilio et eorum familiares in proximo festo Assumpcionis beate Marie virginis[1] et per octavam eiusdem inclusive possint sibi eligere confessorem, qui ipsos et eorum quemlibet absolvat eciam de casibus sancte sedi apostolice reservatis, prout in proximo festo solemnitatis sacramenti Corporis Christi concessum est.

Item conveniant die crastina hora tercia post meridiem in S. Francisco domini deputati super forma decreti de symonia etc.

Facta est relacio per dominum Symonem Freron in scriptis de gestis per dominos deputatos singularum deputacionum super[a)] bulla concernente Mendicantes et curatos etc.

Super supplicacione domini promoti ad ecclesiam Gurcensem placuit, quod coram uno ex iudicibus cause, scilicet domino episcopo Papi-

[a)] sub *P.*

[1] *August 15.*

ensi, omnes termini possint observari usque ad sentenciam diffinitivam exclusive.

P] Die iovis XII[a] augusti in sacra deputacione pro communibus dominus Stephanus de Nouaria advocatus civium Bambergensium protestatus est nomine dictorum civium.

Super supplicacione prioris S. Martini Parisiensis placuit, quod reverendus pater dominus episcopus Cumanus et Petrus Corserii cum deputatis aliarum deputacionum videant supplicaciones parcium hincinde et referant.

Super supplicacione domini abbatis Cisterciensis concernente monasterium Marisselle placuit, quod cum dominis tribus abbatibus datis per sacras deputaciones iuxta minutam etc. adiungantur reverendissimi patres domini cardinalis Bononiensis et archiepiscopus Lugdunensis, qui provideant ut petitur in supplicacione.

Super supplicacione domini archiepiscopi Salzeburgensis, concernente ecclesiam Gurcensem, placuit ad tollendum omnem suspicionem, quod duo ex quatuor iudicibus datis in causa, videlicet reverendissimi domini archiepiscopi Lugdunensis et Cretensis archiepiscopi aliis absentibus teneant terminos et procedant in causa usque ad diffinitivam sentenciam exclusive.

Placuit avisamentum reverendissimi patris domini cardinalis legati, videlicet quod reverendus pater dominus episcopus Ratisponensis et vicarius Cluniacensis per sacrum concilium mittantur ad monasterium Selzense ordinis Cluniacensis ad recuperandum res perditas, reformandum et faciendum quecunque fuerint neccessaria, providendo eciam ipsi monasterio tam de abbate quam de monachis, prout petitur in avisamento.

Super supplicacione familiarium dominorum cardinalium S. Crucis et S. Petri, transire debencium ad Italiam et sanctissimum dominum nostrum papam, requirencium gaudere privilegiis incorporatorum etc., placuit ut ipsi gaudeant eisdem perinde, ac si presentes essent in concilio quo ad primam partem supplicacionis.

Quo ad supplicacionem domini archiepiscopi Turonensis placuit, quod iudices dati per sacrum concilium servatis servandis et cognitis huiusmodi negocii meritis usque ad diffinitivam sentenciam exclusive procedant et demum in generali congregacione ut moris est referant, ut petitur in supplicacione.

Quo ad supplicaciones concernentes dispensaciones matrimoniales placuit, quod committantur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui dispenset cum iam contractis, prout sibi videbitur.

Quo ad supplicacionem domini officialis Monasteriensis, petentis sibi

de novo provideri de prebenda Traiectensi, supplicacio huiusmodi commissa est domino cardinali legato, qui in omnibus provideat supplicanti ut petitur etc.

Placuit supplicacio duorum familiarium reverendissimi domini cardinalis S. Petri ad vincula, petencium promoveri ad tonsuram clericalem.

Super supplicacione fratris de ordine S. Johannis Jherosolimitani, petentis transferri ad ordinem Predicatorum, huiusmodi supplicacio per aliquos remissa est ad papam et per aliquos placuerunt avisamenta trium deputacionum.

Placuit supplicacio illustris principis domini Johannis ducis Bauarie.

Supplicaciones nobilium de regno Scocie, petencium dispensari super tercio et quarto gradibus ad evitandum bella et dissenciones, placuerunt in forma ut petitur, quodque committantur reverendissimo domino cardinali legato, qui constito sibi de assertis dispenset etc.

PR] Die veneris XIII[a] augusti M°iiij°xxxiiij° in congregacione generali, presidentibus dominis cardinalibus S. Crucis et S. Angeli, archiepiscopo Tarentino et Petro episcopo Paduano, fuerunt incorporati magistri Willermus Paedre[a)] maioris et Lambertus Vlieger beate Marie Traiectensium canonici pro domino Rodulpho, magister Dyonisius Mathildis[b)] custos Nomanie[c)], magister Johannes Soucherii[d)] magister in theologia ordinis Minorum, magister Gobertus ad Pullos licenciatus in legibus, Raymundus Buxe[e)] decanus ecclesie collegiate S. Felicis de Carmanno Tholosane diocesis, Petrus le Gentil licenciatus in legibus, Ingeramnus Landesay precentor ecclesie Morauiensis decretorum doctor[f)], magister Augustinus de Cramonna ordinis fratrum Augustinensium.

Lecte fuerunt littere clause et[g)] patentes serenissimi domini imperatoris[1], per quas asserebat se nunquam denegasse iusticiam domino duci Erico super ducatu Saxonie et electione imperii nec umquam denegabit, de quo protestabatur. Quare petebat per dictas litteras ipsam causam per sacrum concilium remitti ad forum suum.

Lecte fuerunt littere domini archiepiscopi Salzeburgensis, concernentes ecclesiam Gurcensem.

Lecte fuerunt littere civium civitatis Rothomagensis super facto ecclesie S. Audoeni[2]. Item[h)] littere patentes prioris et conventus eiusdem monasterii S. Audoeni Rothomagensis[h)].

Super supplicacione domini promoti Gurcensis concordant omnes

[a)] Paedie *R.* [b)] Mathand' *R* [c)] Normancie *R.* [d)] Foucherii *R.* [e)] Brixe R. [f)] Ing. – doctor *fehlt, R.* [g)] clause et *fehlt, R.* [h)] Item—Roth. *fehlt, R.*

[1] *Mansi 29, 600 ff.* [2] *l. c. 622.*

deputaciones, quod coram uno, scilicet domino episcopo Papiensi, omnes termini observari possint usque ad diffinitivam sentenciam inclusive.

Super supplicacione curati SS. Innocentum Parisiensium concordant omnes deputaciones, quod omnes cause advocentur et committantur domino archidiacono Metensi, qui in ipsis procedat ut petitur.

Super facto patriarchatus Aquilegiensis concordant omnes deputaciones finaliter, quod decernatur monitorium ipsi domino patriarche. Volunt tamen due[a)] deputaciones, quod primo moneantur ambassiatores dominii Venetorum, quod ponant detenta per eos in manibus sacri concilii; quod si non acquieverint, tunc per sacrum concilium decernatur monitorium in ista presenti congregacione. Et eo casu quo ponant in manibus concilii, tunc ipsum sacrum concilium provideat de bono regimine et securitate.

Super facto cuiusdam penitenciarii, qui predicavit certas proposiciones etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali S. Crucis, qui vocatis cum eo magistris de quibus sibi videbitur, de contentis in eadem supplicacione se informet et iusticiam faciat. Quarta autem, videlicet de communibus, pluries requisita non deliberavit.

Super supplicacione cuiusdam religiosi ordinis S. Johannis Jherosolimitani, petentis transferri ad ordinem Predicatorum, tres deputaciones concordant, quod committatur reverendissimo patri domino cardinali S. Petri ad vincula, qui auctoritate sacri concilii cum ipso supplicante dispenset, prout sibi videbitur. Quarta autem de communibus pro parte cum aliis concordat et pro parte remisit ad sanctissimum dominum nostrum papam.

Item concordant omnes deputaciones, quod domini de concilio incorporati et eorum familiares et interim incorporandi a festo Assumpcionis gloriose virginis Marie usque ad octabas eiusdem inclusive[1] possint eligere confessorem ydoneum, qui eos absolvat ab omnibus peccatis, eciam summo pontifici reservatis, iuxta formam alias conceptam.

Super[b)] supplicacione Didaci et Petri de Poulla Abulensis diocesis, petencium promoveri ad primam tonsuram, concordant omnes deputaciones quod huiusmodi supplicacio exaudiatur.

Super supplicacione reverendissimi patris domini archiepiscopi Turonensis, requirentis iudicibus sibi alias datis committi et mandari, quatenus servatis servandis et cognitis cause meritis usque ad diffinitivam sentenciam exclusive procedant et demum in generali congregacione

[a)] dicte *R.* [b)] *der Absatz fehlt, R.*

[1] *August 15—22.*

referant, ut ex eorum vera relacione hec sancta synodus litem huiusmodi per suam sentenciam terminet: concordant tres deputaciones, quod ipsa supplicacio exaudiatur et admittatur in forma ut petitur. Quarta autem de fide requisita non deliberavit.

Lectis prius concordatis, reverendissimus dominus cardinalis S. Crucis, dempta materia domini patriarche Aquilegiensis, nomine sacri concilii conclusit iuxta deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium.

Quibus lectis dominus Johannes Franciscus[a] nuncius et orator Venetorum exposuit, narrando quod non debebat concludi in causa domini patriarche Aquilegiensis, causis per eum deductis.

Cui replicavit dominus Franciscus de Bossis et postmodum pro verificacione verborum suorum legit instrumentum signatum per magistrum Ludouicum notarium dominorum de duodecim, per quod dicebat eos non esse legittimos possessores terre ecclesie patriarchatus. De quoquidem instrumento ipse dominus Johannes Franciscus peciit sibi copiam fieri atque tradi.

Dominus Franciscus de Bossis advocatus domini patriarche requisivit, quod adimpleantur condiciones deputacionum, videlicet quod requirantur ambassiatores Venetorum, ut ponant dominium ecclesie Aquilegiensis in manibus sacri concilii. Iddem requisivit dominus patriarcha a dominis presidentibus fieri, alias protestati sunt de iniusticia.

Postmodum domini oratores Venetorum exhibuerunt quandam cedulam, per quam petebant ut[b] gravamina eis illata tam in deputacionibus quam congregacionibus reparentur, alioquin protestabantur de appellando ad iudicem competentem. Quequidem cedula, postquam ipsi et alii de parte adversa de mandato congregacionis exivissent, per me Bruneti lecta fuit.

Deinde reverendissimus dominus cardinalis S. Crucis presidens tunc in generali congregacione conclusit in omnibus iuxta concordata dominorum de duodecim et deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium, dempta causa Aquilegiensi.

Lectis iterum supplicacione domini patriarche Aquilegiensis necnon deliberacionibus sacrarum deputacionum et concordatis dominorum de duodecim, domini promotores requisiverunt per dominos presidentes concludi.

Domini oratores domini Erici ducis Saxonie et electoris sacri Romani imperii contenta in litteris missivis domini imperatoris, inquantum faciebant et facere possent pro se et iure domini sui, approbando recipiunt, sed alia que ibidem narrantur impugnant et oppositum probare parati sunt ab instanti, quia littere huiusmodi lite pendente praticate et

[a]) dom. Franciscus *R.* [b]) et *P.*

procurate sunt in preiudicium litispendencie et alias, ut colorem impediendi habeant.

Magister Johannes Vrunt procurator reverendi patris domini Laurencii episcopi Gurcensis producto mandato sufficienti comparuit coram dominis presidentibus et protestatus est de diligencia, quoniam paratus est datis iudicibus dare allegaciones, propter quas non tenetur parere monitorio; presentibus dominis Rachello preceptore[a] Januensi, Hermanno Widelers et Roderico auditore domini cardinalis S. Petri etc.

Auditis propositis et allegacionibus factis hincinde in materia patriarchatus Aquilegiensis:

In materia predicti domini patriarche Aquilegiensis, scrutatis votis singulorum dominorum, placuit et fuit conclusum, quod per quatuor reverendissimos patres dominos cardinales commissarios in hac parte, assumptis secum illis dominis qui prius cum ipsis tractaverunt concordiam et qui presentes in concilio sunt, tractetur pax et concordia inter partes usque ad diem martis proximam inclusive; quodsi non fieri possit, ipsi domini commissarii nomine sacri concilii habeant requirere et exhortari dominos Venetos, oblata sibi securitate, ut patrimonum ecclesie patriarchatus Aquilegiensis ponant in manibus sacri concilii, alioquin si non acquieverint domini Veneti, in proxima congregacione generali die mercurii immediate sequenti celebranda decernatur per sacrum concilium monitorium per dictum dominum patriarcham petitum. Item quod purificentur condiciones seu modi per deputaciones de communibus et de fide avisati.

Super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati, concernente monasterium Selzense[b] etc., lectis deliberacionibus sacrarum quatuor deputacionum, placuit et fuit conclusum, quod reverendus pater dominus episcopus Ratisponensis et vicarius Cluniacensis per sacrum concilium mittantur ad monasterium Selsense[c] ordinis Cluniacensis ad recuperandum res perditas reformandumque et faciendum quecunque fuerunt neccessaria, providendo eciam ipsi monasterio tam de abbate quam de monachis, prout petitur in avisamento.

P] Die sabbati XIIII[a] augusti in sacra deputacione pro communibus:

Accesserunt ad deputacionem generales Predicatorum et Carmelitarum ac vicarii Augustinensium et Minorum, qui per organum magistri Stephani de Nouaria eorum advocati requisiverunt quandam bullam emanatam a cancellaria sacri concilii et expeditam in eadem revocari et annullari[d], cum dicta bulla emanaverit in infamiam ordinum ipsorum,

[a]) Raphael precentore *R.* [b]) Solzense *R.* [c]) Zolzense *R.* [d]) revocari iam nullari *P.*

et super hoc obtulerunt in scriptis supplicacionem. Et casu quo sacra deputacio vellet procedere ad condempnacionem articulorum non dato assertore, protestati sunt prout in cedula [1].

Quo ad requestam domini doctoris a biennio concilio incorporati, petentis absolvi dispensari et beneficia de novo conferri etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali S. Petri, qui in foro consciencie provideat supplicanti, prout sibi videbitur. Aliqui dixerunt quod ipse reverendissimus pater provideat, cum tamen non sit alteri ius quesitum.

Quo ad materiam reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis, scrutatis singulariter votis dominorum, placuit quod die mercurii proxime futura in generali congregacione concludatur et decernatur simpliciter per sacrum concilium monitorium per dictum dominum patriarcham petitum, declarando quod modi in aliis deliberacionibus istius sacre deputacionis alias adiecti non fuerunt dati causa neccessitatis, sed solum pro honestate sacri concilii, quodque pro ista materia solum fiat dicta die mercurii congregacio generalis. Et ad solicitandum dominos deputatos ad huiusmodi concordiam fuit deputatus alter promotorum.

Quo ad requestam civitatis Auinionensis placuit, quod committatur reverendissimis dominis cardinalibus, qui provideant et tollant processus factos in causis Auinionensibus sine preiudicio partis.

Dominus prothonotarius Ferrariensis obtinuit licenciam, regressurus quamprimum commode poterit.

In facto assertarum revelacionum S. Brigite loco domini generalis Lombardie ordinis Predicatorum fuit surrogatus provincialis Lombardie ordinis Minorum.

Quo ad requestam domini cardinalis S. Petri, petentis sub spe concordie sibi mitti supplicacionem porrectam per generales ordinum Mendicancium etc., placuit quod retenta supplicacione originali penes notarios, mittatur [a)] copia eiusdem ipsi reverendissimo patri et de ipsa supplicacione detur copia omnibus eam habere volentibus, eciam sub publica forma.

Ad sollicitandum materiam Mendicancium religiosorum et curatorum fuit deputatus promotor magister Oliuerius Gueuet medicus.

PR] Die dominica XV[a] augusti, que fuit dies Assumpcionis Virginis, fuit missa solemnis in ecclesia maiori.

[a)] mittantur *P.*

[1] *M. C. 2, 701. Mansi 30, 824. 845.*

P] Die lune XVI[a] augusti in sacra deputacione pro communibus dominus Matheus Nithardi obtinuit licenciam recedendi.

Frater Anthonius de Rusconibus de Cumis ordinis Minorum obtinuit licenciam recedendi.

Dominus archidiaconus Mantuanus obtinuit similiter licenciam recedendi.

Placuit quod die crastina detur audiencia dominis Anglicis et ob hoc indicatur congregacio generalis per presidentes.

Quo ad avisamentum dominorum deputatorum super reformacione de causis maioribus tractandis in curia Romana et aliis minoribus coram ordinariis, eciam de appellantibus frivole etc., placuerunt huiusmodi avisamenta in forma cum avisamentis sacre deputacionis pacis, ita quod non preiudicetur conservatoribus[a)] privilegiorum. Quo ad Clementinam „Litteris“[1] tollendam etc. placuit, quod dentur deputati, qui cum deputatis super reformacione et eciam aliarum deputacionum videant de modis modificandi huiusmodi Clementinam, ita quod imposterum non committantur abusus. Et ad hoc deputati fuerunt domini cardinalis legatus, archiepiscopus Lugdunensis, abbas S. Honorati et archidiaconus in ecclesia Leonensi.

Dominus Thomas secretarius domini cardinalis S. Crucis obtinuit licenciam recedendi.

PR] Die martis XVII[a] augusti M°iiij[C]xxxiiij° in congregacione generali, presidente in eadem domino cardinali legato, assistentibus dominis cardinalibus Placentino, de Cipro, Rothomagensi, Arelatensi, S. Petri et Firmano, Tarentino archiepiscopo et Petro episcopo Paduano presidentibus, Johanne Anthioceno et Ludouico[b)] Aquilegiensi patriarchis:

Comparuerunt ambassiatores regis Anglie, videlicet domini Robertus[c)] Londoniensis, Johannes Roffensis[d)] et Bernardus Aquensis episcopi, comes Moritonii[e)], abbates priores doctores et magistri in bono numero.

Lecte fuerunt littere ipsius domini regis eius sigillo privato sigillate, credenciales in personas ipsorum[2].

Quibus lectis dominus episcopus Londoniensis proposuit sub theumate „Dominus Deus diriget concilium“[3], asserens ipsos esse missos a domino suo rege pro regno suo Anglie.

Qua facta proposicione dominus archiepiscopus Lugdunensis nomine ambassiatorio et suorum coambassiatorum serenissimi domini Karoli

[a)] conservitoribus *P.* [b)] *fehlt, P.* [c)] R. *P.* [d)] Rossensis *R.* [e)] Mortanii *R.*

[1] *Clementin. II tit. 7.* [2] *Mansi 29, 1234. Williams, Official Correspondance of Thomas Bekynton 2, 259.* [3] *Eccli. 39, 10 ?*

regis Francorum expresse protestatus fuit, quod per quamcunque nominacionem factam per ambassiatores domini regis Anglie sub titulo regis Francie nullum ius eidem domino regi Anglie nunc vel in posterum acquiratur nec eidem domino suo regi Francie preiudicium generetur, volens ipsam suam protestacionem nunc, et quocienscunque continget eundem regem Anglie pro rege Francie imposterum nominari, pro repetita haberi. De quaquidem protestacione quo supra nomine a domino Odone prothonotario et nobis notariis fieri publica instrumenta peciit[a].

Ex adverso magister Symon de Theramo advocatus nomine dictorum ambassiatorum domini regis Anglie respondit, quod domini sui huiusmodi protestacionem non admittebant, ymo eam reiciebant et pro reiecta haberi volebant, protestando quod per quamcunque nominacionem descripcionem aut loci occupacionem et detencionem[b] domino suo regi Anglie etc. nullum preiudicium generetur necnon adversario suo nullum ius acquiratur, petendo instrumentum et instrumenta etc.

Postmodum reverendissimus dominus archiepiscopus Turonensis replicavit, dicens dictum dominum Symonem aliqua dixisse, que videntur sonare contra ordinaciones sacri concilii, et idcirco eandem sedem sive locum, quem ipsi ambassiatores domini Karoli regis tenebant — erat sedes et locus domini Karoli vj. Francie quondam regis et eius unigeniti domini Karoli nunc regis Francie — peciit a sacrosancta synodo eundem locum eis conservari, allegans quod protestacio facta per dictos ambassiatores non habeat locum, cum ipsi solum pro regno Anglie sint missi.

Prefatus dominus episcopus Londoniensis, ratificando dicta per dominum Symonem advocatum, iterum protestatus est contra dicta domini archiepiscopi Turonensis, videlicet de nomine et loco, petendo instrumenta etc.

Dominus cardinalis legatus presidens laudavit sanctum propositum serenissimi domini regis Anglie etc., offerendo sacrum concilium ad ipsius beneplacita et ipsorum ambassiatorum, et de laboribus per eosdem assumptis eisdem nomine sacri concilii regraciatus est etc.

PR] Die mercurii XVIII[a] augusti M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato[c], assistentibus dominis Placentino Rothomagensi S. Petri Arelatensi et Firmano, archiepiscopo Tarentino et Petro episcopo Paduano[d] presidentibus, patriarcha Anthioceno, Lugdunensi Bituricensi Turonensi archiepiscopis, ambassiatoribus regis Dacie, ducis Britannie[e]:

[a]) *fehlt, P.* [b]) et detenc. *fehlt, R.* [c]) rev.—leg. *fehlt, P.* [d]) archiep.—Pad. *fehlt, R.* [e]) ambass.—Brit. *fehlt, P.*

Lecta fuit cedula capitulorum compositorum per dominos commissarios in facto patriarchatus Aquilegiensis super concordia inter partes componenda per organum reverendissimi domini cardinalis legati. Qua lecta retulit difficultates, propter quas non fuerit adimpleta concordia. Quibus dictis exierunt partes de mandato congregacionis.

Lectis postmodum concordatis dominorum de duodecim super materia reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis, que sequitur: „Super facto domini patriarche Aquilegiensis[a] concordant omnes deputaciones, quod tractetur concordia inter partes hinc ad diem mercurii exclusive, que si sopita non fuerit, decernatur in generali congregacione ipso die mercurii tenenda per sacrum concilium monitorium per eundem dominum patriarcham petitum; quodque pro illo facto dumtaxat illo die indicatur congregacio generalis per dominos presidentes“: —

Super huiusmodi materia patriarchatus Aquilegiensis scrutata fuerunt vota singulorum dominorum[b].

R] Quibus scrutatis et facta relacione, quod ut decerneretur monitorium nunc et eius effectus suspenderetur [ad] xx vel xxij[c] dies [fuerunt] cliij vota, et quod non decerneretur usque ad illum terminum xx vel xxij dierum[d] vota iiij^{xx}viij[e]:

PR] Vocatus[f] fuit ipse dominus patriarcha et per reverendissimum dominum cardinalem legatum nomine sacri concilii rogatus, ut vellet consentire quod per xx vel xxij dies domini deputati tractent de concordia, sinautem stante conclusione capta per sacras deputaciones, si non sequitur concordia, lapsis dictis xx vel xxij diebus decernetur monitorium.

Dominus patriarcha respondit se velle stare deliberacioni sacrarum deputacionum et generalis congregacionis.

P] Quibus scrutatis singulariter votis dominorum, instantibus promotoribus reverendissimus dominus cardinalis conclusit ut sequitur:

Super materia reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis, lectis concordatis dominorum de duodecim et eciam cedula concordie per dominos commissarios avisate, scrutatisque singulariter votis dominorum,

R] Et tunc instantibus dominis officiali Basiliensi et Hugone Barardi promotoribus, dominus legatus nomine sacri concilii conclusit et decrevit monitorium per dictum dominum patriarcham petitum, ita tamen quod eius effectus suspendatur usque ad xxij dies et interim domini commissarii seu deputati tractent de concordia. Quod si infra dictos xxij

[a]) que sequ.—Aqu. *fehlt, P.* [b]) *R* singulorum dominorum de sacra congregacione, in quoquidem scrutinio dominus abbas Bone Vallis protestatus fuit pro se *u. s. w., wie unten.* [c]) XXI *R.* [d]) dies *R.* [e]) IIII. XXVIII *R.* [f]) Postmodum vocatus *P.*

placuit et fuit conclusum, quod decernatur et decretum est per sacrum concilium monitorium per eundem dominum patriarcham petitum, ita tamen quod suspendatur huiusmodi monitorii effectus usque ad xxij dies immediate sequentes inclusive, infra quos domini oratores Venetorum faciant suam diligenciam in hac materia apud illustre dominium Venetorum, et eciam medio tempore per supradictos dominos commissarios tractetur concordia. Quodsi non fieri possit, lapsis huiusmodi xxij diebus ipsis in termino monitorii computatis effectus et execucio eiusdem monitorii currat.

dies non secuta fuerit concordia, effectus et execucio huiusmodi monitorii currat.

PR] Dum[a)] scrutabantur vota in supradicta materia domini patriarche Aquilegiensis, dominus abbas Bone Vallis protestatus est pro se et sibi adherentibus et adherere volentibus et pro omnibus illis, quorum interest vel interesse poterit in futurum, quod licet per tres deputaciones aut per omnes insimul esset conclusum et per dominos de duodecim concordatum, quod iterum quilibet qui voluerit audiri possit in congregacione generali in illa materia, que tunc agitabitur, explicare ea que sibi videbuntur dicenda racionabiliter, et iterum debeant examinari vota in congregacione generali, vel si opus sit iterum mittere ad deputaciones.

Magister Oliuerius[b)] in contrarium protestatus est.

R] Dissoluta congregacione, magister Petrus de Brena assertus procurator domini Johannis Gobbellionis electi Lingonensis [requisivit a domino legato] instanter instancius et instantissime [apostolos] sibi dari, asserens hodie esse ultimam diem. Qui dominus cardinalis pro eisdem dandis remisit ipsum ad dominum Johannem Scalerman electum confirmatum Gurtzensem, ibidem presentem, et tunc peciit iterum eosdem apostolos ab eodem domino electo Gurtzensi. Ipse dominus electus reposuit ipsum dominum Petrum de Brena ad duos dies, animo melius deliberandi. De quibus requisicione remissione et reposicione ipse de Brena peciit instrumentum et instrumenta, presentibus magistris Rodulpho de Porta et Johanne Blandeloti testibus.

PR] Die iovis XIX[a] augusti in deputacione pro communibus dominus Ludouicus de Garssis[c)] obtinuit licenciam a sacra deputacione pro communibus[d)].

Super supplicacione monasteriorum existencium in dominio domini Ludouici ducis Bauarie etc. placuit, quod committatur dominis episcopo

[a)] *vgl. oben S. 178*[b]. [b)] Oliuerius Guennet *R.* [c)] Garsiis *R.* [d)] licenciam recedendi ad partes *R.*

Constanciensi et auditori domini cardinalis legati[a], existentibus in Ratispona, vel eorum alteri, ut possint absolvere dictum dominum ducem et eius complices ab omnibus censuris et tollere interdictum etc., si partes consenserint. Et super hoc dominus cardinalis legatus expediat litteras opportunas auctoritate sacri concilii.

Super supplicacione concernente controversiam inter dominos marchionem Misnensem[b] et ducem Ericum Saxonie[c] placuit, attento quod est mere prophana, quod audita parte et consenciente advocetur et remittatur[d] ad tribunal domini imperatoris[e].

Super requesta domini episcopi Plocensis[f] placuit, quod committatur alicui prelato in partibus, qui se informet de contentis in supplicacione, et si repererit causas, propter quas obligaciones facte sunt, fuisse illicitas, huiusmodi obligaciones auctoritate sacri concilii casset et annullet absolvatque fideiussores, et cogantur nominati in supplicacione ad restitucionem pecuniarum solutarum.

Quo ad requestam dominorum duorum episcoporum ambassiatorum[g] serenissimi domini regis Dacie placuit, quod unus ipsorum habeat licenciam recedendi, alio remanente in concilio, et scribantur littere ex parte sacri concilii eidem domino regi, in quibus exprimantur cause, propter quas alter eorum retinetur.

Super requesta Wyllermi Eyckerii laici et Ayldis[h] de Colonia Leodiensis diocesis, petencium dispensari super matrimonio contracto, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus, prout sibi videbitur.

Super requesta porrecta pro parte domini Rodolphi[i] episcopi Traiectensis etc. de consensu parcium placuit, quod committatur domino episcopo Vticensi, qui tollere habeat penam appositam in monitorio obtento pro parte domini Walrami postulati[k], monitorio huiusmodi unacum eius execucione alias in suo robore remanente, iuxta deliberacionem pacis.

Quo ad requestam domini episcopi Petragoricensis placuerunt avisamenta de reformatorio et de fide.

Quo ad requestam generalatus Humiliatorum placuit, quod committatur causa iudici non suspecto, qui partibus hincinde iusticiam faciat. Et nichilominus de criminibus supplicanti impositis informent se

[a]) Const. et Johanni de Polomar *R.* [b]) marchiones Misnen̄ *PR.* [c]) et dominum Henrricum Bauarie ducem *P.* [d]) quod causa huiusmodi ex quo prophana remittatur *R.* [e]) *folgt* audita parte et consenciente *R.* [f]) Placentini *R.* [g]) duorum oratorum *R.* [h]) Yde *R.* [i]) *fehlt, R.* [k]) episcopi *R.*

domini cardinales ituri ad Italiam provideantque et ordinent, prout eis videbitur.

Quo ad requestam domini archidiaconi de Ardenna in ecclesia Leodiensi placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui se informet de contentis in supplicacionibus parcium hincinde et iusticiam faciat.

Quo ad requestam domini archidiaconi Glasguensis placuit, quod committatur quibusdam deputatis, qui videant illas sentencias latas in curia Romana, si sint conformes, similiter et executoriam, si fuerit debite expedita. Et ad hoc fuit deputatus dominus episcopus Bellicensis, qui si repererit dominum episcopum Glasguensem[a] fuisse indebite excommunicatum, absolvat.

Quo ad requestam domini decani Glasguensis placuit, quod si constiterit quod supplicacio, de qua fit mencio in requesta, fuerit signata per sanctissimum dominum nostrum papam, expediantur per cancellariam sacri concilii et sub bulla eiusdem littere opportune.

Quo ad alias supplicaciones, de quibus dominus referendarius suam fecit relacionem, placuit votum eiusdem domini referendarii iuxta breve etc.

Quo ad supplicacionem Henrrici Hayder presbiteri Ratisponensis diocesis, petentis absolvi, placuit quod committatur abbati S. Egidii Nurembergensis iuxta avisamenta sacrarum deputacionum de reformatorio et de pace, ut petitur, videlicet quod constito eidem abbati de contentis in eadem, auctoritate sacri concilii alsolvat et dispenset ut petitur.

Quo ad requestam Yuonis Tanguidi[b] etc., facta relacione per dominum referendarium, placuit quod committatur ordinario loci, qui constito de assertis casset pensionem cum litteris et processibus subsequtis et provideat ut petitur.

Quo ad requestam Henrrici de Tuornuli[c] presbiteri Leonensis diocesis etc. placuit, quod committatur episcopo Trecorensi ordinario loci, qui se informet summarie et de plano de contentis in supplicacione, permutacionem etc. casset et alias provideat supplicanti, ut petitur in eadem.

Super requesta domini doctoris concilio incorporati, petentis dispensari et dispensacionem huiusmodi committi etc. domino cardinali S. Petri, placuit supplicacio in forma ut petitur, sine tamen preiudicio iuris quesiti cuiuscunque.

Super supplicacione domini Nicolai[d] Fouques familiaris domini cardinalis de Cipro placuit, quod littere petite per supplicantem expedi-

[a]) Glasghensem *R.* [b]) Canquidi *R.* [c]) Trioriuuli *R.* [d]) N. *P.*

antur per cancellariam et sub bulla sacri concilii, constito de supplicacione originali per dominum nostrum papam vel de eius mandato signata.

Super supplicacione Johannis Helling[a], concernente homicidium Johannis[b] Hellingh quondam eius fratris, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali Arelatensi, qui constito de assertis summarie et de plano procedat et iusticiam faciat.

Ut comodius et liberius[c] sacre deputaciones valeant intendere circa reformacionem generalem et non impediantur[d] in multitudine supplicacionum, placuit quod reverendissimus dominus cardinalis Rothomagensis[e] vicecancellarius debeat saltim semel in ebdomada consistorium publicum tenere, vocatis secum duobus notabilibus iurisperitis de singulis deputacionibus eligendis.

PR] Die veneris XX[a] augusti non fuit congregacio generalis ob reverenciam beati Bernardi, sed fuit missa solemnis celebrata per dominum archiepiscopum Rothomagensem et sermo factus per magistrum Guillermum Erardi[f] de universitate Parisiensi.

Eadem die, interim quod celebrabatur missa in ecclesia maiori Basiliensi ob reverenciam beati Bernardi et fiebat sermo, reverendissimus pater dominus cardinalis Rothomagensis archiepiscopus Bisuntinus, existens super stafalda iuxta maius portale ecclesie maioris Basiliensis ad dextram partem preparata in pontificalibus cum cruce[g], sibi assistentibus in pontificalibus Lausanensi Bellicensi necnon Basiliensi non in pontificalibus episcopis suis suffraganeis ac episcopis Leonensi Papiensi Pergamensi episcopis in suis consuetis habitibus secularibus unacum xij presbiteris indutis casulis in forma cum pluribus aliis superpelliciis[h] indutis, quolibet eorum tenente in manibus unum cereum fere ponderis unius medie libre ardentem etc., et narrato processu agitato per eundem dominum cardinalem archiepiscopum contra cives Bisuntinos per organum magistri Petri[i] Salomonis eius secretarii, ipse reverendissimus pater dominus cardinalis Rothomagensis archiepiscopus, Christi nomine invocato, contra ipsos cives in scriptis viva voce tulit sentenciam, per quam ipse excommunicabat ipsos cives, agravabat reagravabat interdicebat civitatem et personas ac anathematizabat, ut in sentencia etc. Item finaliter requirebat omnes archiepiscopos episcopos et alios viros ecclesiasticos, ut dum ipsius littere ad eorum devenirent noticiam, eas[k] iuxta eorum tenorem exequerentur, similiter sui suffraganei. De quibus magister Egidius Zacarie[l] licenciatus in legibus

[a]) Helingh *P.* [b]) Johannes *P.* [c]) et lib. *fehlt, P.* [d]) non se impedire *P.* [e]) card. Roth. *fehlt, P.* [f]) Eurardi *R.* [g]) cum cruce *fehlt, R.* [h]) supliciis *R.* [i]) P. *P.* [k]) *korr. aus* causas *P*, causas *R.* [l]) *Lücke, R.*

nomine promotorio eiusdem domini archiepiscopi quo ad actum huiusmodi peciit instrumentum ab omnibus notariis assistentibus, presentibus Bambergensi Ebroicensi [a] episcopis et priore de Spissocampo.

PR] Die sabbati XXI[a] augusti M°iiij[C]xxxiiij° in congregacione generali, presidentibus dominis legato, archiepiscopo Tarentino et Petro episcopo Paduano, assistentibus dominis cardinalibus [b] Rothomagensi Arelatensi S. Petri et Firmano, duobus patriarchis:

Fuerunt incorporati medio iuramento frater Guillermus Militis prior S. Netterii [c] licenciatus in decretis pro abbate Case Dei, Symon Coigni [d] prior de Medunta Carnotensis diocesis pro abbate de Columbis [e], magister Laurencius de Rotella et dominus Gaspar Paulocii [f] de Theramo canonicus Aprutinus pro episcopo Tricaricensi, dominus Johannes Seghardi presbiter rector parrochialis ecclesie de Austrecourt bacalarius in decretis [g] Attrebatensis diocesis.

Concordata [h].

Super supplicacione domini Johannis episcopi Tornacensis concordant omnes deputaciones, quod ex parte sacri concilii unus notabilis dominus mittatur ad dominum ducem Burgundie et dominam ducissam eius conthoralem, ipsos in favorem prefati domini episcopi et ecclesie sue benigne exhortaturus, et quod electio persone transmittende ac eciam confectio litterarum credencialium et instructionum reverendissimo domino cardinali legato committatur.

Super facto dominorum contendencium de ecclesia Traiectensi quo ad penam appositam in citacione transmissa ad partes etc. concordant deputaciones, auditis tamen prius procuratoribus parcium, quod pena extraordinaria in ipsa citacione posita per reverendum patrem dominum episcopum Vticensem ad hoc deputatum tollatur, ipsa citacione cum eius execucione et ceteris clausulis [i] in suo robore permanentibus, et hoc de expresso consensu procuratorum parcium.

Super supplicacione fratris Rodolphi de Moleria [k] prioris prioratus de Seuex [l] ordinis Cluniacensis Lausanensis diocesis, petentis causam diminucionis certe pensionis committi etc., concordant expresse tres deputaciones, quod committatur reverendo patri domino episcopo Gebennensi, qui vocatis vocandis huiusmodi pensionem moderet, prout de iure, et iusticiam faciat. Quarta autem non multum discrepat ab eisdem.

Super supplicacione domini Henrrici Hayder presbiteri Ratisponen-

[a]) Ebrocensi *R.* [b]) cardinali *P.* [c]) Necterii *R.* [d]) Coigm' *R.* [e]) Medica pro abb. de Col. Carnetensis dioc. *R.* [f]) Polocii *R.* [g]) Johannes Seghardi curatus Dostricourt *P.* [h]) *fehlt, R.* [i]) ipsa citacione cause eius execucione ac aliis *R.* [k]) Rudolphi de Capolena *R.* [l]) Saux *R.*

sis diocesis, petentis beneficium absolucionis sibi impendi et alicui prelato aut probo viro in hoc concilio committi etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendo patri domino abbati S. Egidii Nurembergensis, qui constito de contentis in eadem, auctoritate huius sacri concilii absolvat et dispenset cum supplicante ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, in arduis occupata vel requisita non deliberavit.

Super supplicacione reverendi patris domini abbatis Cisterciensis super facto monasterii Marisstelle[a] concordant tres deputaciones, quod tribus dominis abbatibus alias deputatis iungantur[b] reverendissimi domini cardinalis Bononiensis et archiepiscopus Lugdunensis, iunctis eciam ipsis reverendis patribus Ebroicensi Capruliensi episcopis, qui cum prefatis dominis tribus abbatibus procedant, prout in ipsa supplicacione continetur. Quarta vero, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Lectis articulis concernentibus taxam notariorum, placuerunt huiusmodi articuli in forma.[1]

Item pro executore huiusmodi articulorum fuit deputatus dominus Henrricus auditor causarum curie camere sacri concilii.

Lectis deliberacionibus sacrarum deputacionum super reformacione canonicorum regularium in Almania, similiter lectis superius concordatis dominorum de duodecim, reverendissimus dominus cardinalis legatus in omnibus conclusit, dempta supplicacione domini abbatis Cisterciensis, iuxta concordata dominorum de duodecim et deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium.

Reverendus pater dominus episcopus Vessoniensis[c] ambassiator serenissimi domini regis Dacie nomine inclite nacionis Germanice exhortatus fuit sacram congregacionem pro reformacione generali ecclesie, offerens ipsam nacionem Germanicam cooperari et suscipere ipsam reformacionem omnibus pretermissis; que si non fiat, solemniter protestatus fuit, quod per eandem nacionem non stetit neque stat quominus huiusmodi reformacio fiat.

Similiter magister Dyonisius de universitate Parisiensi similem fecit requisicionem oblacionem et protestacionem, petendo instrumentum etc.

Lecte fuerunt littere credenciales domini imperatoris in personas domini Georgii Fischel[d] militis et domini Gregorii Hemburgh doctoris.

Cuius domini Gregorii credencia fuit primo recommendacio ipsius domini et rei sue publice.

Secundo quod ipse in brevi missurus est pro protectore dominum marchionem Badensem.

[a]) Mariscelle *R.* [b]) iniungantur *PR.* [c]) Vexoniensis *R.* [d]) Fichel *P.*

[1] *M. C. 2, 729.*

Tercio significavit concordiam inter ipsum et dominum ducem Ludouicum.

Quarto regraciatus est de solemni ambassiata missa Ratisponam pro reductione Bohemorum.

Quinto exhortatus est sacrum concilium super reformacione.

Et primo symonie a [a] statu ecclesiastico evellende.

Et usurarum a seculari statu evellendarum.

Item quod prouideant circa dispensaciones, que dantur contra iuramenta prestita in contractibus.

Item quod velint remittere causas prophanas ad suum tribunal et precipue causas ducum Saxonie, Bambergensem [b] et Bisuntinensem.

Item de bonis patrimonii ecclesie ad manum domini nostri pro posse revocandi.

Item de visitando ipsum dominum imperatorem crebris litteris ipsius sacri concilii.

Item sicut ecclesia invocat brachium seculare in sentenciis suis, ita ipse invocat auxilium brachii ecclesiastici.

Item quia plura habent explicare, que non essent ita publice propalanda, pecierunt super hoc dari deputatos.

Obtulit postmodum serenissimum dominum imperatorem et eos ad quecunque sacro concilio grata.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii regraciatus est domino imperatori et dictis oratoribus, offerendo sacrum concilium ad queque eis grata.

Ambassiatores illustris dominii Venetorum per organum domini Johannis Francisci doctoris etc. requisiverunt gravamina eis illata revocari, alioquin protestati fuerunt, quod non obstante quacunque honestate processum fuit ad decretum monitorii, et idcirco appellarunt in scriptis.

Dominus Franciscus de Bossis nomine domini patriarche protestatus fuit, quod non audiantur nisi doceant apud acta cause de suo mandato.

Dominus Johannes Spasserii [c] procurator fiscalis nomine suo procuratorio [d] protestatus est contra dictos appellantes tanquam privatas personas et peciit eos arrestari et personaliter detineri.

PR] Die dominica XXII[a] augusti fuit missa solemnis in ecclesia maiori Basiliensi celebrata.

PR] Die lune XXIII[a] augusti in sacra deputacione pro communibus super supplicacione generalis de Penitencia beatorum Martirum sub

[a]) et *P.* [b]) Brandeburgensem *R.* [c]) Spazerii *R.* [d]) promotorio *R.*

regula S. Augustini etc. placuerunt avisamenta trium deputacionum, et pro ista deputacione fuit nominatus dominus episcopus Pargamensis.

Super requesta domini vicecancellarii, concernente libertatem ecclesie Bisuntine, placuit avisamentum de reformatorio, videlicet quod stetur in primis deliberatis et quod exhortetur serenissimus dominus imperator, supplicando sue maiestati quod pro Deo dimittat ecclesias in sua libertate, et hoc videtur addendum in litteris de novo scribendis.

Dominus Bertrandus Rousselli procurator domini Biterrensis episcopi obtinuit[a] licenciam pro tribus mensibus recedendi ad partes.

Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim, concernens expedicionem materiarum reformacionis, ut super illis simul et semel in deputacionibus tractentur[b] huiusmodi materie etc., placuit avisamentum in forma, videlicet quod domini quatuor presidentes diebus quibus conveniunt domini de duodecim conveniant in Augustinensibus, ut concordent simul de hiis que habebunt in crastinum proponere in suis deputacionibus, concorditer tractetur unus articulus exhibitus per dominos de duodecim super reformacione etc. Et si non possint personaliter interesse, debeant mittere aliquos de suis deputacionibus loco sui.

Super secundo avisamento placuit avisamentum in forma, videlicet quod omnes incorporati in concilio, sive sint oratores principum[c] sive alii, veniant et intrent deputaciones, ne aliquando possit dici, quod nomine dominorum suorum non interposuerunt in deliberatis vota sua.

Quo ad tercium avisamentum de instructionibus dandis dominis cardinalibus ituris ad Italiam etc. placuit avisamentum in forma, videlicet quod domini deputati conveniant hodie hora tercia post meridiem in S. Francisco.

Quo ad quartum avisamentum, concernens pluralitatem supplicacionum, super quibus die iovis sacre deputaciones impediuntur etc., placuit quod de qualibet deputacione eligantur tres, qui concludere habeant et dent modum cum reverendissimo domino vicecancellario, quod eligantur certi notabiles et practici, qui cum sua dominacione semel in ebdomada conveniant. Et ad hoc deputati sunt domini Henrricus auditor, Johannes Pringencii[d] archidiaconus in ecclesia Leonensi et Galeacius[e] de Mantua.

Quo ad materiam reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis placuit, quod non obstante quacunque appellacione currat monitorium iuxta conclusionem captam in congregacione generali et videatur libellus[f] porrectus per dominos Venetos: si contineat supplicacionem, fiat

[a]) domini Bituricensis obtinuit *R.* [b]) trantur *P.* [c]) principes *P.*
[d]) Pregnencii *R.* [e]) Galiacius *R.* [f]) *fehlt, R*; de bellis *P.*

eis gracia possibilis, si vero contineat appellacionem simplicem, reiciatur appellacio.

PR] Die martis XXIIII[a] augusti fuit festum beati Bartholomei apostoli, ob cuius reverenciam fuit missa solemnis in ecclesia maiori, ut est moris.

PR] Die mercurii XXV[a] augusti in sacra deputacione pro communibus quo ad decretum symonie, in casu quo non possit expediri ista ebdomada, placuit quod die lune proxima et aliis diebus sequentibus legantur forme composite super eadem materia in singulis deputacionibus, que super hoc habeant deliberare.

Placuit quod promotores ex parte sacri concilii habeant prohibere sub pena excommunicacionis familiaribus dominorum de sacro concilio, quod dimittant istum modum procedendi, quem hactenus tenuerunt, utendo terminis parvi concilii.

Quo ad licenciam petitam per duos dominos episcopos ambassiatores domini regis Dacie placuit, quod exhortentur ad remanendum. Si vero ad hoc induci non possint, committatur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui vocatis secum dominis episcopo Niuernensi, abbate de Verona et domino Henrrico auditore, videat instructiones ipsis datas[a]. Et si allegent causas racionabiles, habeat eisdem dare licenciam recedendi, ita tamen quod dimittant loco sui procuratores ydoneos et portent penes se monitorium sacri concilii ad[b] monendum prelatos illorum regnorum ad veniendum ad sacrum concilium, et prefigatur eis terminus, infra quem habeant redire ad concilium.

Quo ad materiam dominorum ducum Saxonie, lectis deliberacionibus aliarum sacrarum deputacionum trium, placuit deliberacio deputacionis pacis, videlicet quod domini iudices dati per sacrum concilium in huiusmodi causa vocatis partibus videant et cognoscant, si huiusmodi causa sit remittenda, et si sic, remittant, si vero non sit remittenda[c], faciant iusticiam.

Super materia reverendissimi patris domini patriarche Aquilegiensis placuit, eciam ipso ad hoc consenciente, quod hinc ad diem lune proximam domini deputati habeant tractare concordiam inter partes.

Quo ad responsionem faciendam serenissimo domino imperatori super propositis per suos ambassiatores in ultima congregacione generali, lecta forma responsionis huiusmodi, placuit materia, ita tamen quod non fiat mencio de materia ducum Saxonie. Forma vero videatur per aliquos abreviatores.

[a]) dandis *R.* [b]) *fehlt, P.* [c]) et si—remitt. *fehlt, R.*

Quo ad supplicacionem reverendissimi patris domini cardinalis Rothomagensis archiepiscopi Bisuntini placuerunt avisamenta de reformatorio et de pace in forma etc.

PR] Die iovis XXVI[a] augusti in sacra deputacione pro communibus super requesta penitenciariorum [a)] Constanciensium provincie Rothomagensis loco reverendissimi patris domini cardinalis S. Crucis, transire debentis ad Italiam, surrogatus est reverendissimus dominus archiepiscopus Tarentinus presidens sacri concilii, ita tamen quod nullomodo procedat in causa usque ad xv dies post regressum domini episcopi Constanciensis principalis in hac causa, eciam ad hoc interveniente consensu eiusdem domini penitenciarii.

Accessit ad deputacionem dominus Symon de Valle advocatus Venetorum, requirens tria. Primum quod revocetur deliberacio facta heri in ista deputacione. Secundum quod si noluerit facere, velit dare deputatos, qui audiant eorum gravamina et videant appellacionem, an sit admittenda vel ne. Tercium si noluerit hoc facere, assignetur eis causa, propter quam hoc facere recusat. Et producto mandato sub bulla dominii Venetorum, de omnibus peciit instrumentum. Hiis peractis dominus episcopus Vessionensis presidens respondit, dictam deputacionem super hoc velle deliberare. Presentibus dominis cardinali legato, archiepiscopo Lugdunensi, Niuernensi Leonensi episcopis, abbatibus S. Honorati et Clare Vallis, Johanne Pulcripatris et Henrrico auditore camere et Henrrico Nythard [b)].

Item dominus Franciscus de Bossis advocatus domini patriarche peciit copiam huiusmodi mandati oblati sub auctentica forma et de propositis similiter instrumentum etc.

Super materia reductionis Grecorum, lecta cedula capitulorum concordatorum per dominos ad hoc deputatos et scrutatis votis dominorum, placuit materia; forma vero revideatur per reverendissimum dominum legatum et deputatos, ita tamen quod non mutetur locus Basiliensis nec detur Grecis spes mutacionis, antequam venerint ad portum.

In causa prioris S. Martini de Campis et magistri Roberti au Clou [c)] loco domini Cumani egrotantis, quousque convaluerit, surrogatus est dominus Henrricus auditor.

Magister Petrus Clerici secretarius domini ducis Britanie obtinuit licenciam recedendi.

PR] Die veneris XXVII[a] augusti M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali, presidentibus [d)] dominis cardinali legato, archiepiscopo Tarentino

[a)] *offen gelassen, R.* [b)] Nythardi *R.* [c)] Occlow *R.* [d)] presidente *P.*

et Petro[a] Paduano, fuerunt incorporati more solito prior Montis Maioris Arelatensis[b] diocesis, Petrus de Maruffis[c] de Janua magister in theologia, magister Hermannus de Nussia ordinis Carmelitarum, magister Johannes Pinarii, dominus Guillermus Cathalani, frater Anthonius[d] Multonis, dominus Salvator Marebonis[e] canonicus Venciensis[f], prior S. Martini Parisiensis, magister Johannes Alfonsi doctor in sacra pagina[g] pro universitate Salamantina, et fuit sibi assignatus locus per promotorem post ambassiatores universitatis Parisiensis, de quibus peciit instrumenta magister Johannes Pinarii.

Concordata[h].

Super supplicacione pro parte illustris principis domini Erici ducis Saxonie exhibita concordant deputaciones, saltem expresse tres, quod domini iudices per sacrum concilium in causa huiusmodi deputati vocatis partibus videant et cognoscant, an huiusmodi causa sit remittenda, et si sic, remittatur, si vero non sit remitenda, faciant iusticiam; quarta non discrepat ab eisdem.

Super supplicacione cuiusdam doctoris biennio huic sacro concilio incorporati, petentis consciencie sue et statui suo providere etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali S. Petri, qui iuxta tenorem huiusmodi supplicacionis habeat providere.

Super supplicacione domini Yuonis Tanguidi[i] reverendissimi domini cardinalis S. Petri ad vincula secretarii, petentis certam pensionem sue parrochiali ecclesie impositam tolli et diminui, prout videbitur etc., concordant tres deputaciones quod committatur ordinario loci; quarta autem, videlicet de reformatorio, in effectum omnino convenit cum aliis tribus, solum differens est in commissario deputato.

Super supplicacione domini generalis de Penitencia beatorum Martirum, petentis aliquos deputari pro reintegracione et reformacione ordinis etc., concordant omnes deputaciones quod deputati dentur, qui videant petita et se informent et postea referant in deputacionibus. Et fuerunt deputati officialis Patauiensis pro pace, episcopus Pargamensis pro communibus, prepositus Cracouiensis pro fide, vicarius Frinsingensis pro reformatorio.

Super supplicacione domini Nicolai Fouqueti[k] familiaris reverendissimi domini cardinalis de Cipro, petentis litteras super signatura supplicacionis per sanctissimum dominum nostrum papam seu eius mandato facta sub bulla concilii et per cancellariam[l] expediri, concordant tres

[a]) *fehlt, R.* [b]) Velac. *R.* [c]) Marunssis *R.* [d]) Johannes *R.*
[e]) Marie bonis *R.* [f]) Venetensis *R.* [g]) in theologia *R* [h]) *fehlt, R.*
[i]) Tangundi *R.* [k]) Foqueti *R.* [l]) cancellaria *P.*

deputaciones, quod constito de signatura seu supplicacione desuper signata, expediantur littere opportune per cancellariam ut petitur. Quarta vero de fide pluries requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini abbatis Cisterciensis super facto monasterii Maristelle concordant tres deputaciones, quod tribus dominis abbatibus alias deputatis iungantur reverendissimi domini cardinalis Bononiensis et archiepiscopus Lugdunensis, iunctis eciam ipsis reverendis patribus Ebroicensi et Capruliensi episcopis, qui cum prefatis tribus abbatibus procedant, prout in supplicacione continetur. Quarta vero, videlicet de pace, pluries requisita non deliberavit. Ita tamen quod iungatur cum supradictis dominis cardinalis de Cipro.

Dominus Albertus advocatus nomine domini abbatis Maristelle protestatus fuit, quod ipse reputat suspectos dominos tres abbates, protestans de allegando causas suspicionis suis loco et tempore, petens inde instrumentum.

Lectis litteris credencialibus domini Alberti ducis Austrie, dominus auditor camere, assistente[a] sibi domino Johanne Celi, exposuit huiusmodi credenciam, requirendo finaliter sacrum concilium, pro succursu ipsius domini ducis contra perfidos hereticos de Bohemia, qui dietim invadunt marchionatum suum Morauie, daretur sibi subsidium et specialiter media decima imposita in provincia Salzeburgensi.

Super huiusmodi requesta fuit ordinatum, quod die lune proxima sacre deputaciones habeant deliberare.

Dominus archiepiscopus Cretensis nomine omnium reverendissimorum reverendorumque patrum dominorum patriarcharum archiepiscoporum et episcoporum exhortatus est dominos de sacro concilio super reformacione generali, offerendo se suscepturos omnem reformacionem, quam sacrum concilium dabit, protestando quod per eos non stabit[b] stetit neque stat quominus huiusmodi reformacio fiat, petendo inde instrumentum et instrumenta.

Similiter reverendissimus dominus archiepiscopus Lugdunensis nomine et ex parte serenissimi domini K[aroli][c] regis Francie et nacionis Gallicane similes exhortacionem requisicionem et protestacionem de voluntate et consensu suorum coambassiatorum fecit, petens instrumentum etc.

Magister Johannes Pulcripatris nomine universitatum doctorum magistrorum prepositorum decanorum archidiaconorum curatorum etc. similes requisiciones exhortacionem protestacionem fecit, offerens se ad omnem quamcunque racionabilem reformacionem.

Ad idem fecit dominus abbas Cisterciensis nomine abbatum et om-

[a]) assistentibus *P.* [b]) *fehlt, P.* [c]) dom. K. *fehlt, R.*

nium religiosorum quorumcunque religionum et ordinum, requirens eciam pro pace christianorum populorum, petens similiter instrumentum.

Dominus archiepiscopus Tarentinus nomine inclite nacionis Italice et universitatum studiorum ipsius nacionis exhortacionem et requisicionem fecit, rogans abstinere a protestacionibus, que scissuram pocius parerent quam reformacionem. Quod si non fieri possit, similem fecit protestacionem, petens instrumentum et instrumenta.

Similem fecit idem dominus Tarentinus presidens nomine dominorum presidencium domini nostri pape, exhortatus est et requisivit dominos ad huiusmodi reformacionem et pacem, assencientibus dominis legato et Paduano episcopo, offerendo ipsum dominum nostrum papam suscepturum omnem reformacionem per sacrum concilium, rogando ut reverencia et consolacio ipsi sanctissimo domino nostro exhibeatur in huiusmodi reformacione, recedendo a protestacionibus. Si autem ista fieri non poterunt, in alia congregacione opportebat lacius instare.

Dominus cardinalis S. Petri ad vincula requisivit, quatenus dentur deputati, qui videant iura antiqua et doctores et ea declarent[a], in quibus varie oppiniones sunt, vel alius modus reperiatur utilis, qui dominis videbitur; fecitque requisicionem et exhortacionem ut supra nomine inclite nacionis Ispanice.

Dominus cardinalis Arelatensis proposuit, quod domini patriarche archiepiscopi episcopi abbates etc. protestati fuerunt pro huiusmodi reformacione, sed contra eosmet protestatus fuit.

Dominus cardinalis legatus similiter protestatus est, et quod procedatur secundum ordinaciones sacri concilii, incipiendo a decretis iam conceptis, ut in brevi fiat sessio, in qua publicentur.

Lectis concordatis dominorum de duodecim, reverendissimus pater dominus cardinalis legatus et alii presidentes per organum ipsius domini cardinalis super eisdem iuxta concordata dominorum de duodecim et deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium nomine et auctoritate concilii concluserunt.

PR] Die sabbati XXVIII[a] augusti non fuerunt deputaciones ob reverenciam Decollacionis beati Johannis Baptiste, et fuit missa solemnis in ecclesia maiori Basiliensi.

PR] Die dominica XXIX[a] augusti in sacra deputacione pro communibus dominus episcopus Rosensis[b] ordinis Carmelitarum obtinuit licenciam recedendi causa celebrandi ordines sacros in diocesi Argentinensi, quibus celebratis debet reverti[c] quam primum commode poterit.

[a]) deliberent *R.* [b]) Rozensis *R.* [c]) reversi *P.*

Loco domini episcopi Cumani iudicis deputati ad audiendum causas excusacionum nunc egrotantis fuit surrogatus dominus episcopus Pargamensis.

Dominus vicarius Maguntinus et collega miles accesserunt ad deputacionem, requirentes causas prophanas remitti ad iudicium imperatoris, specialiter causas ducum Saxonie et Bambergensem.

Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim de non admittendis laicis ad congregaciones generales et deputaciones etc. placuit maiori parti, quod ambassiatores dominorum regum et principum admittantur ad sessiones et congregaciones generales, non autem ad deputaciones, laici vero litterati iam admissi non reiciantur.

Quo ad secundum avisamentum, concernens requestam factam in congregacione generali pro parte domini Alberti ducis Austrie, fuerunt deputati reverendissimi patres domini cardinalis legatus, patriarcha Aquilegiensis, archiepiscopus Lugdunensis et episcopus Pargamensis, qui cum deputatis aliarum deputacionum secrete provideant eidem domino duci de subsidio competenti et concludant.

Super tercio avisamento de iudicibus nominandis placuit, quod domini deputati singularum deputacionum ad nominandum precognitores et iudices conveniant hodie hora iij[a] in Augustinensibus.

Quo ad requestam domini Lamberti canonici Leodiensis, petentis sibi provideri de fructibus suorum canonicatus et prebende Leodiensium etc., placuit quod committatur reverendissimo domino archiepiscopo Lugdunensi, qui cum deputatis aliarum deputacionum de contentis in requesta se informent, et si sibi constiterit vera esse, providea[n]t supplicanti ut petitur.

Super requesta domini abbatis S. Audoeni Rothomagensis placuerunt avisamenta deputacionum de reformatorio et de pace.

P] Die mercurii prima mensis septembris in deputacione electus fuit in presidentem deputacionis dominus abbas de Verona.

Ad custodiam clavis bulle fuit electus dominus Johannes de Amauziaco canonicus Lugdunensis et iuravit in manibus dicti domini abbatis presidentis de fideliter exercendo officium.

Pro dominis de duodecim electi fuerunt domini Pargamensis et Lausanensis episcopi et continuatus dominus Johannes doctor Eistetensis.

Pro referendario dominus Galeacius de Mantua.

Quia domini ambassiatores Castelle cupiunt cras habere audienciam, placuit quod domini presidentes possint indicere generalem congregacionem dumtaxat pro huiusmodi audiencia eis danda.

Placuit quod omnes cause pendentes in hoc sacro concilio inter

dominum episcopum Constanciensem provincie Rothomagensis[a)] ambassiatorem sacri concilii et quoscunque alios suspendantur usque ad xv dies post eius regressum ad hoc sacrum concilium.

Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim de armis non deferendis etc. placuerunt avisamenta dominorum de fide et de reformatorio, videlicet quod domini generales presidentes et eciam sacrarum deputacionum hodie hora iij[a] post meridiem conveniant et circa huiusmodi materiam delacionis armorum videant de bonis modis providendi, ita tamen quod nulla detur facultas civibus nisi per invocacionem auxilii brachii secularis, si opus fuerit.

Quo ad secundum avisamentum de eligendis iudicibus etc. placuit, quod domini deputati ad ipsos eligendos hodie conveniant in Augustinensibus hora iij[a] post meridiem.

Super tercio avisamento de visitacionibus placuit, quod nulle particulares commissiones extra Germaniam sine scitu et deliberacione sacrarum deputacionum et conclusione generalis congregacionis deinceps expediantur.

Quo ad decretum de symonia placuit, quod detur copia habere volentibus hodie hora ij[a] post meridiem in hoc loco, et prima die veniant domini deliberati.

PR] Die iovis II[a] mensis septembris M°CCCCxxxiiij° in congregacione generali, presidentibus in eadem dominis legato Tarentino et Paduano, ambassiatores domini regis Castelle accesserunt ad congregacionem in medio navis etc. Et facta collacione per dominum episcopum Conchensem sub theumate „Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei“ etc.[1], laudando sanctum propositum dicti domini regis et exhortando sacrum concilium ad illa tria, propter que concilium est congregatum. Et erant ambassiatores prothonotarius nepos bone memorie domini S. Eustacii, ipse dominus episcopus, plures magistri et doctores, unus miles vexillifer ipsius regis, associati pluribus militibus et nobilibus.

Et lectis litteris credencialibus ipsius domini regis per magistrum Johannem de Turre Cremata, quia erant in vulgari yspanico, et deinde expositis in latinum, reverendissimus pater dominus cardinalis legatus et presidens laudavit sanctum propositum dicti domini regis, offerens sacrum concilium ad beneplacita eiusdem, et regraciatus est nomine concilii dominis ambassiatoribus de laboribus per eos assumptis, rogans ut diligenter vellent unacum concilio laborare circa reformacionem.

a) Maguntine *P.*

1 *Ps. 86, 3.*

PR] Eadem die in domo habitacionis mei notarii frater N. de Gauqueriis[a] prior monasterii Vallis Scolarium oppidi Metensis constituit procuratores suos ad comparendum in concilio et alia faciendum etc. in bona forma etc. venerabiles viros magistros Thomam Fiene[b], Guillermum de Laire baccalarium formatum in theologia curatum S. Germani Montensis, Guillermum . . et alios per dictum curatum nominandos etc. Promisit etc. De quibus etc. Actum etc., presentibus priore de Spissocampo[c] et Alexandro Maioris etc.

PR] Die veneris III[a] mensis septembris millesimo iiij[C]xxxiiij[o] in generali congregacione fuerunt incorporati Hermannus Pentel archidiaconus in Heczel[d] in ecclesia Mindensi, Nicolaus Helstraw, Thomas Rode, Gerardus Gerardi, frater Johannes ordinis beate Marie Theutonicorum, Jacobus Gelini canonicus Stibannensis[e], frater Bernardus domini Galoti de Petragabi, frater Andreas Stosser, magister Hugo Pellisarii[f] canonicus et archidiaconus Lectorensis, Johannes Sanxii de Friez, abbas S. Pauli de Mezano de Placencia[g] pro se ipso et episcopo Saonensi[h].

Presidentibus in dicta generali congregacione dominis cardinali legato et Tarentino, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro Rothomagensi Arelatensi Firmano, duobus patriarchis, videlicet Anthioceno et Aquilegiensi, Lugdunensi Bituricensi Turonensi Auxitano Cretensi archiepiscopis, Aurelianensi Foroiuliensi Dignensi Papiensi Pergamensi et Lausanensi episcopis[i].

Concordant omnes deputaciones, quod cause quas habet dominus Constanciensis in concilio, suspendantur usque ad octo dies post eius regressum.

Super avisamento dominorum de duodecim de non portando arma in concilio etc. concordant omnes deputaciones, quod committatur dominis cardinali legato et presidentibus concilii, qui habeant providere etc., ita tamen quod non apponatur pena excommunicacionis.

Similiter concordant omnes deputaciones, ut amodo nulle particulares commissiones ad visitandum expediantur[k] absque scitu sacrarum deputacionum et conclusione generalis congregacionis.

Super supplicacione reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis archiepiscopi Bisuntini, petentis per iudices in causa sua datos procedi reiectis frustratis appellacionibus etc., concordant omnes deputaciones quod ipsa supplicacio admittatur et concedatur in forma ut petitur. Ad

[a]) Nycolaus de Gauqueris *R.* [b]) Fiere *R.* [c]) Spisso.[po] *P*, Spisso . . *R.* [d]) *aus* Hezel *P.* [e]) Scibanensis *R.* [f]) Pellessani *R.* [g]) Plateria *R.* [h]) Sarnensi *R.* [i]) *fehlt, P.* [k]) expediendum *PR.*

idem de litteris mittendis domino imperatori super materia libertatis ecclesiastice.

Super supplicacione reverendi patris domini Johannis abbatis S. Audoeni Rothomagensis, petentis per venerabilem virum dominum archidiaconum Metensem summarie procedi etc., concordant omnes deputaciones quod ipse dominus archidiaconus procedat ut petitur etc.

Lectis articulis concordatis per dominos deputatos in materia Grecorum, placuerunt huiusmodi capitula in forma lecta etc., et super hoc dominus cardinalis legatus nomine concilii conclusit etc.

Lecta forma per dominos deputatos super materia Judeorum et neofitorum, dominus cardinalis legatus conclusit in eadem materia, ita tamen quod si sint aliqua addenda vel corrigenda, possint addi vel corrigi etc.

Placuit quod reverendissimus pater dominus cardinalis S. Petri ad vincula et omnes eius familiares ituri cum eo ad Italiam tam in eundo stando et redeundo possint eligere confessorem, qui eos absolvat eciam de casibus sancte sedi apostolice reservatis, iuxta formam alias in magnis solemnitatibus suppositis concilii concessam.

Dominus episcopus Niuernensis narravit tria concernencia stabilitatem sacri concilii, videlicet de guerra inter principes, de capcione venicium ad concilium, de detencione curruum etc. Hec materia remissa est deliberanda ad sacras deputaciones.

Dominus episcopus Termipolensis exhortatus est sacrum concilium, quatenus mittantur ad Boznam certi notabiles viri pro reductione infidelium et scismaticorum, confirmacione et consolacione fidelium. Cui dominus legatus iniunxit, ut super hoc det sua avisamenta.

Super causa episcopi et capituli ecclesie Constanciensis provincie Maguntine placuit, quod loco domini episcopi Constanciensis surrogentur Cretensis archiepiscopus et Petrus Corserii.

Precognitores [a]: domini patriarcha Anthiocenus, episcopus Bellicensis, episcopus Parmensis, episcopus Vizensis iuraverunt.

Judices [a]: episcopus Capruliensis [b], prepositus Januensis, prior de Latis, archidiaconus Leonensis, Johannes Eych canonicus Eistetensis, officialis Nannetensis, Johannes Ghedoviz [c] archidiaconus in ecclesia Virdunensi [d], Rodericus de Caruiasial [e] iuraverunt suum fideliter exercere officium.

Placuit quod reverendissimus pater dominus cardinalis legatus ab absentibus recipiat iuramenta.

Super avisamento dominorum de duodecim concordant similiter

[a]) *fehlt, R.* [b]) Crapuliensis *R.* [c]) Gedoviz *R.* [d]) *lies* Verdensi. [e]) Carmasial *R.*

omnes deputaciones, ut presidentes sacrarum deputacionum illo die semper, qui precedit deputaciones, hora quarta post meridiem conveniant in Augustinensibus ad concordandum invicem, ut simul et semel eadem materia per eos in singulis deputacionibus proponatur; et hoc sub pena suspensionis ab ingressu deputacionis ad xv dies; et quod legitime impediti mittant unum nomine sui, qui ipsis referat agitata et concordata etc.

Dominus vicarius Maguntinus nomine domini imperatoris requisivit causam ducum Saxonie ad iudicium imperatoris remitti.

Hocidem ambassiator dictorum dominorum ducum requisivit, protestans casu quo non remitteretur de nullitate agendorum in causa etc. iuxta cedulam etc.

Lectis superius concordatis per dominos de duodecim, reverendissimus pater dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii conclusit huiusmodi concordata et deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium.

Ambassiatores domini Erici requisiverunt conclusionem captam in congregacione generali per sacrum concilium manuteneri etc.

P] Die sabbati IIII[a] septembris in sacra deputacione pro communibus placuit, quod alter promotorum vadat ad illas deputaciones, que nundum deliberaverunt de executore taxe notariorum, ut conveniant de huiusmodi executore.

Quo ad causam Bambergensem, attento quod reverendissimus pater dominus archiepiscopus Lugdunensis iudex cause de causa huiusmodi se penitus exoneravit, placuit quod huiusmodi causa ab eo advocetur et quod dominus Capruliensis cum reverendissimo patre domino cardinali Firmano iungatur, qui resumpta prius causa in eodem statu, in quo remansit coram prefato domino Lugdunensi, procedant in causa et iusticiam faciant.

Placuit quod reverendus pater dominus Odo prothonotarius gaudeat privilegiis iuribus et libertatibus suppositorum sacri concilii, perinde ac si in principio concilii eidem incorporatus extitisset, sine preiudicio tercii.

Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim de provisione fienda circa securitatem viarum etc. placuit, quod dentur deputati, qui cum dominis cardinalibus et presidentibus sacri concilii conveniant hodie hora iij[a] in S. Françisco et videant de bonis modis providendi circa huiusmodi securitatem, eciam circa factum hodie in deputacione per procuratorem fiscalem propositum; similiter super materia cleri diocesis Constanciensis. Et ad hoc fuerunt deputati domini Lugdunensis et Niuernensis episcopus, Henrricus auditor et Henrricus Nithard.

Quo ad secundum avisamentum de religiosis frivole appellantibus placuit, quod reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis vicecancellarius et precognitores circa hoc provideant, an[a)] sint racionabiles vel ne etc.

Quo ad tercium avisamentum dominorum de duodecim de executore taxe notariorum etc. placuit, quod dominus Lausanensis unacum deputatis aliarum deputacionum habeat eligere huiusmodi executorem, qui domini deputati hodie conveniant hora iij[a] post meridiem in Augustinensibus.

Quo ad quartum avisamentum, quod domini precognitores habeant observare ordinaciones sacri concilii in signando commissiones etc., placuit quod huiusmodi ordinaciones observentur et quod ipsi domini precognitores semel adminus in ebdomada simul cum domino vicecancellario conveniant et non separatim et huiusmodi commissiones unacum ipso signare habeant.

Quo ad requestam domini cardinalis Arelatensis placuit avisamentum dominorum de reformatorio, et pro deputacione ista fuerunt deputati domini abbas S. Honorati et Petrus Corserii.

Quo ad privilegium reverendissimi domini cardinalis Placentini bullandum, comissum est reverendissimo domino cardinali legato, qui provideat prout sibi videbitur.

Quo ad requestam domini ducis Saxonie marchionis Misnensis etc. placuit, quod cum dominis iudicibus ad videndum, si causa debeat remitti ad iudicium domini imperatoris vel ne, deputentur et deputati sunt domini Lausanensis et Henrricus auditor, ita tamen quod propter hoc non advocetur causa a iudicibus etc.

Dominus archidiaconus de Ybernia requisivit dominos, ut super requesta iam per tres deputaciones deliberata vellent deliberare; de quibus etc.

Greci accesserunt ad deputacionem et affirmaverunt, quod ea que fecerunt approbabunt domini imperator et patriarcha, nec est credendum quod miserit ad papam propter istam materiam etc.

P] Die lune VI[a] septembris in sacra deputacione pro communibus domini de fide retulerunt deliberasse unanimiter, quod placuerunt materia et forma, ita tamen quod in decreto inseratur littera domini patriarche Constantinopolitani, quodque fiat hodie congregacio et cras sessio, in qua unacum facto Grecorum decretetur negocium Judeorum etc.

Item quod loco domini cardinalis S. Petri ad vincula in causis fidei

a) *folgt gestrichen* cras *P.*

surrogetur iudex dominus cardinalis Arelatensis sitque de eadem deputacione fidei, et quod Dieulefist notarius scribat in causis fidei etc.

Item quod rogentur ambassiatores regis Castelle, [quod] velint se incorporare, et eis assignetur locus immediate post ambassiatores regis Francie.

Domini de reformatorio ad idem.

Lecta forma decreti in materia Grecorum et scrutatis singulariter votis dominorum, placuerunt materia et forma, ita tamen quod in decreto inseratur littera domini patriarche Constantinopolitani. Et quod propterea fiat hodie congregacio generalis hora tercia post meridiem et cras in sessione publica decretetur unacum materia Judeorum et neophitorum.

PR] Eadem die lune VI[a] septembris M°CCCC°xxxiiij° fuit congregacio generalis hora tercia post meridiem, in qua lecta forma decreti in materia Grecorum placuit et fuit conclusum in eadem materia et forma, quodque fiat die crastina sessio publica, in qua huiusmodi decretum decretetur unacum decreto de Judeis et neofitis.

Item dominus abbas Cisterciensis fuit absolutus ad cauthelam usque ad octavas Nativitatis beatissime Marie virginis inclusive. [1]

PR] Die[a)] martis VII[a] septembris M°iiij[C]xxxiiij° fuit celebrata XIX[a b)] huius sacri concilii sessio hoc modo, videlicet celebrata missa per dominum Vlricum episcopum Arossiensem ambassiatorem regis Dacie de Sancto Spiritu, dictis antiphonis letaniis suffragiis, evangelio secundum Johannem „Ego sum pastor bonus“ [2], et decantato „Veni creator Spiritus“, dominus episcopus Lectorensis nacionis Gallicane de mandato sacri concilii, presentibus Grecis etc., ascendit ambonem et legit de verbo ad verbum dicta duo decreta de Grecis et de Judeis. Quibus lectis et responso per verbum „placet,“ de actitatis promotores pecierunt instrumentum etc., presentibus dominis ambassiatoribus et legatis et presidentibus domini nostri pape etc.

Lecto supradicto decreto in materia Grecorum et responso per verbum „placet“ et petito instrumentum et instrumenta etc., tres domini ambassiatores Grecorum, videlicet Demetrius primo ad sancta Dei evangelia et supra ymaginem crucifixi, primo expositis a greco in latinum per cardinalem de Cipro, deinde abbas cum stola, apposita manu ad pectus etc., et postmodum miles prestiterunt iuramenta etc. De quibus etc. [3]

[a]) *am Rande* XIX[a] Sessio *P.* [b]) XVIII *R.*

[1] *September 15.* [2] *Jo. 10, 11.* [3] *folgt in R f. 360[a] der Wortlaut der Dekrete. Mansi 29, 92. M. C. 2, 752. Das ausführliche Protokoll der Session im Codex E. I. 1[k] f. 133[b] der Univ.-Bibl. zu Basel (vgl. 1, 339).*

P] Die iovis IX[a] mensis septembris in deputacione pro communibus super requesta civium Bambergensium, facta iterum requesta per procuratorem civium, quod velint domini concedere quod supplicaciones de iusticia possit dominus vicecancellarius signare, alioquin procurator, videlicet dominus Guillermus de Breda, in casu quo domini requeste huiusmodi annuerint, repeciit protestacionem per eum alias factam.

Super supplicacione canonicorum Gebennensium existencium in concilio placuit, quod possint optare prebendas ac si presentes essent in dicta ecclesia, iuxta avisamentum dominorum de fide.

Dominus Petrus de Corduba obtinuit licenciam recedendi a concilio.

Placuit quod domini prelati et alii inferiores habentes visitaciones, presentes in concilio, possint facere visitari per procuratorem et recipere procuraciones racione visitacionis cum ea integritate qua reciperent, si personaliter visitarent; ita tamen quod nichil recipiant a suppositis sacri concilii actu presentibus in concilio etc.

Lecte fuerunt littere capitulorum quinque ecclesiarum Traiectensium, nobilium et oppidorum patrie Traiectensis, adherencium domino Rodolpho episcopo, in favorem eiusdem domini episcopi.[1]

Quo ad supplicacionem illius magistri in theologia nominati de Gauo de ordine Minorum placuerunt alias deliberata.

Relatum est pro parte deputacionis pacis, quod eidem deputacioni placuit avisamentum deputacionis fidei in materia sedis serenissimi domini regis Castelle.

Placuit quod scribatur per sacrum concilium domino comiti Francisco, quod faciat fieri iusticiam domino preposito Aniciensi super recuperacione patrimonii sui.

In materia assignacionis loci dominis ambassiatoribus serenissimi domini regis Castelle, scrutatis votis dominorum, sunt xxiiij vota, quod si tres deputaciones sint concordes, adherent deliberacionibus ipsarum deputacionum, sinautem dentur deputati partibus grati, qui cum dominis cardinalibus habeant tractare concordiam. Sunt xxvij vota quod solum dentur deputati partibus grati pro concordia tractanda inter ambassiatores ipsos et ambassiatores serenissimi domini regis Anglie, si non placeant domini Pergamensis, Henrricus auditor et Henrricus Nithardi, [qui] nominati fuerunt per dominum cardinalem legatum.

PR] Die veneris X[a] mensis septembris M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali, presidentibus in eadem dominis cardinali legato et archiepiscopo Tarentino, assistentibus domino cardinali Rothomagensi, patriarchis Anthioceno et Aquilegiensi, Lugdunensi Bituricensi Turonensi

[1] *Mansi 30, 839.*

Cretensi archiepiscopis, Niuernensi Albinganensi episcopis, Johanne abbate Cisterciensi, Johanne Pringencii [a] archidiacono in ecclesia Leonensi, medio iuramento incorporati fuerunt dominus Anthonius abbas [b] de Castiono Parmensis diocesis, Warnerius de Auszsesz [c] canonicus Bambergensis licenciatus in decretis, Fernandus abbas S. Leonardi ordinis Premonstratensis Salamantine [d] diocesis, Alfonsus Didaci canonicus ecclesie Placentine baccallarius in decretis, dominus Matheus Fornierii prepositus de Subteruanea Lemouicensis diocesis ordinis S. Benedicti, dominus Johannes de Hulsen rector ecclesie parrochialis S. Odulrici [e] Bronswicensis Hildesemensis diocesis, Augustinus Hawer canonicus Pragensis, dominus Petrus de Poris [f] archidiaconus de Camares [g] nomine episcopi Ambulensis [h], Egidius de Laire pro priore de Montibus in Hanonia, dominus Sifirigus de Benighuen [i] canonicus Spirensis.

Lecte fuerunt littere capitulorum quinque ecclesiarum, militum militarium et aliorum civitatum et patrie Traiectensis domino Rodolpho [k] de Diepholt [l] adherencium etc. [1] Quibus lectis prepositus Arnemensis nomine domini Walrami et sibi adherencium peciit sibi decerni copiam huiusmodi littere et diem audiencie ad respondendum eisdem litteris.

Magister Hugo Barardi et officialis Basiliensis nomine sacri concilii accusarunt contumaciam contendencium de et super ecclesia Traiectensi et in eorum contumaciam reproduxerunt citacionem cum eius execucione.

Quibus factis dominus Stephanus de Nouaria, facta prius protestacione, quod dominus Rodolphus de Diepholt non intendit recedere a processu incoato in Romana curia de et super pretensa postulacione domini Walrami, sed eidem adherendo, allegavit causas quare ipse dominus Rodolphus non tenetur comparere personaliter in hoc sacro concilio, presertim quia haberet transire per terras et dominia dominorum archiepiscopi Coloniensis et episcopi Monasteriensis fratrum [m] domini Walrami et aliorum principum et dominorum eisdem confederatorum, eciam si daretur sibi vel offerretur salvusconductus aut securitas per quoscunque, et aliis causis lacius deducendis. Idcirco peciit eum a personali comparicione haberi excusatum.

Ex adverso dominus Symon de Theramo allegavit eum non debere haberi excusatum, potissime quia oblata est sibi omnis securitas, que sibi offerri posset.

[a]) Prangencii *R.* [b]) *fehlt, R.* [c]) Vernerus de Ausz ssz[c] *R.* [d]) Salamensis *R.* [e]) Odelrici *R.* [f]) Piris *P.* [g]) Camaces *(?) P.* [h]) Ambianensis *R.* [i]) Sisingus de Beurghuen *R.* [k]) Rudolpho *R.* [l]) Diephot *P.* [m]) fratrem *P.*

[1] *s. o. S. 199.*

Deinde dominus Walramus proposuit sub theumate „Jacta cogitatum tuum in Domino“ etc.[1], comparuit submittendo se mandatis et ordinacionibus sacri concilii.

Postmodum dicti promotores pecierunt dari iudices in huiusmodi causa, qui audiant partes, videant iura hincinde et in generali congregacione referant.

Dominus Stephanus iterum replicavit, allegans causas quare iterum non tenetur venire propter causas iam per eum tactas, allegans insuper[a] postulacionem domini Walrami nullius esse roboris vel valoris, quia pendente causa facta fuit. Quare peciit pro parte domini Rodolphi, quod domini mature velint deliberare.

Dominus legatus remisit deliberandum per deputaciones super huiusmodi causa, quid agendum sit.

Quibus factis dominus Walramus peciit medio iuramento sacro concilio incorporari.

Cui incorporacioni se opposuerunt procuratores domini Rodolphi de Diepholt et protestati fuerunt, prout in cedula super hoc data, petentes super hoc instrumenta.

Tandem fuit incorporatus.

Procuratores civium Bambergensium proposuerunt per organum domini Stephani de Nouaria, petentes requirentes supplicantes et protestantes, prout in cedula super hoc per eos porrecta, petentes exinde instrumenta etc.

Concordata[b].

Super supplicacione exhibita pro parte reverendissimi domini cardinalis Arelatensis de facto monasterii Montismaioris concordant omnes deputaciones, quod ad effectum ipsius supplicacionis aliqui deputentur, et fuerunt deputati pro deputacione reformatorii reverendissimi domini patriarcha Anthiocenus et archiepiscopus Turonensis, pro deputacione pacis reverendi patres Vticensis et Gebennensis episcopi, pro deputacione fidei dominus episcopus Aurelianensis et archiepiscopus Visaliensis[c] et pro deputacione pro communibus abbas S. Honorati et Petrus Corserii, qui examinent et referant ut in ipsa continetur, auditis tamen partibus.

In causa ecclesie et capituli Bambergensium concordant omnes deputaciones, attento quod reverendissimus pater dominus Lugdunensis archiepiscopus iudex cause ex certis causis animum suum moventibus de huiusmodi causa se penitus exoneravit, quod ipsa causa ab eo advocetur

[a]) iterum *R.* [b]) *fehlt, R.* [c]) abbas Wirtziliacensis *R, davor getilgt* archiepiscopus.

[1] *Ps. 54, 23.*

et quod cum reverendissimo patre domino cardinali Firmano iungatur reverendus pater dominus episcopus Capruliensis, qui prius resumpta causa in eodem statu, in quo remansit coram dicto domino Lugdunensi, cum ipso domino cardinali Firmano procedat in causa et iusticiam faciat.

Super supplicacione archidiaconorum abbatum priorum tocius cleri Midensis, petencium suppleri deffectus, si qui in electione episcopi Midensis noviter facta ob non servatam formam decreti sacri concilii fuerant commissi etc., concordant [tres] deputaciones quod committatur archiepiscopo Armachano primati Hibernie ordinario suo, qui auctoritate sacri concilii suppleat huiusmodi deffectus, si qui racione decretorum huius sacri concilii intervenerint, et utatur iure suo. Quarta vero de communibus pluries requisita non deliberavit.

Lectis supradictis concordatis dominorum de duodecim, reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii conclusit iuxta concordata ipsorum dominorum et statuta sacri concilii.

P] Die sabbati XI[a] septembris in sacra deputacione pro communibus placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis Bononiensis et sui familiares possint eligere confessorem etc. in forma concessa reverendissimo domino cardinali S. Petri et suis, et alia prout petitur in supplicacione.

Quo ad avisamentum reverendissimi domini cardinalis legati de tollendo scandala etc. placuit, quod reverendissimi patres domini cardinales et presidentes sacri concilii, vocatis secum illis de quibus eis videbitur, provideant de tollendo omnia scandala et occasionem scandalorum, que possunt contingere in hoc sacro concilio.

Quo ad materiam dominorum contendencium de sedibus placuit, quod alias deputati, videlicet reverendus pater dominus episcopus Pargamensis, domini Henrricus auditor et Henrricus Nithard, cum reverendissimis dominis cardinalibus et presidentibus sacri concilii et deputatis aliarum deputacionum habeant tractare per viam pacis concordiam inter dominos ambassiatores contendentes de sedibus et hoc cum diligencia infra paucos dies habeant terminare.

Quo ad factum Grecorum placuit, quod domini alias in hac materia deputati habeant hodie convenire hora secunda post meridiem ad deliberandum de persona mittenda ad sanctissimum dominum nostrum papam pro huiusmodi causa Grecorum, qui eciam cogitent de pecuniis reperiendis pro adimplendo promissa sacri concilii.

Quo ad requestam executorum testamenti bone memorie domini episcopi Cumani placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui viso huiusmodi testamento provideat cum omni favore, prout anime deffuncti videbitur expedire.

Super securitate viarum etc. placuit, quod reverendissimi patres domini cardinales legatus et Arelatensis provideant de huiusmodi securitate, eciam cum adiectione censurarum.

Quo ad materiam Bambergensem placuit, quod non obstante ordinacione sacri concilii reverendissimus pater dominus cardinalis Rothomagensis vicecancellarius in huiusmodi causa Bambergensi solum valeat signare commissiones de mera iusticia.

Quo ad materiam ecclesie Traiectensis placuit, quod reverendus pater dominus episcopus Vessionensis ambassiator domini regis Dacie pro ista deputacione cum deputatis aliarum deputacionum habeant inter partes de eadem ecclesia [contendentes] tractare concordiam, si fieri possit, sinautem faciant iusticiam summariam usque ad sentenciam diffinitivam exclusive.

P] Die dominica XII[a], die lune XIII[a] propter exequias bone memorie domini Cumani, et die martis XIIII[a] ob reverenciam Exaltacionis S. Crucis non fuerunt deputaciones.

P] Die mercurii XV[a] septembris in sacra deputacione pro communibus:

Placuit quod magister Symon Freron ex parte sacri concilii mittatur ad sanctissimum dominum nostrum papam pro ipsius expresso consensu habendo in materia Grecorum, et quod prefigatur sibi terminus, infra quem habeat exire curiam.

Super supplicacione reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis archiepiscopi Bisuntinensis placuerunt avisamenta de reformatorio et de fide in forma.

Relatum est pro parte deputacionis fidei, ipsos deputasse duos ad videndum kalendarium noviter correctum.

Ad visitandum kalendarium noviter correctum fuerunt deputati domini Johannes Pulcripatris et provincialis Paduanus ordinis Minorum.

P] Die iovis XVI[a] septembris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione domini promoti Gurcensis placuit avisamentum dominorum de reformatorio, videlicet quod loco domini Gadicensis iudicis adiungatur dominus cardinalis Arelatensis.

Quo ad requestam Minorum placuit, quod adiungatur cum iudicibus et deputatis aliarum deputacionum dominus episcopus Pargamensis.

Quo ad supplicacionem domini Johannis de Palude prioris Paterniaci spoliati placuit et concessa est huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Quo ad supplicacionem reverendi patris domini episcopi Ruthenensis placuit et concessa est huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Placuit sacre deputacioni de communibus, quod nulle cause introducantur in concilio, exceptis causis incorporatorum et incorporandorum et eorum familiarium, prout per deputandos declarabitur, qui videbunt eciam quid sit faciendum de iam introductis, quodque expediatur cicius quam comode fieri poterit decretum de causis.

Et ad premissa fuerunt deputati domini episcopus Pergamensis, archidiaconus Leonensis, Johannes Pulcripatris et Henrricus Nithardi.

Quo ad requestam civis Argentinensis placuerunt avisamenta aliarum deputacionum etc., et pro ista deputacione fuit deputatus dominus archidiaconus Leonensis.

Quo ad supplicacionem Stephani presbiteri et aliorum de diocesi Zagrabiensi placuit, quod committatur in partibus domino archiepiscopo Strigoniensi, qui vocatis partibus iusticiam faciat, et inhibeatur ut petitur.

Quo ad supplicacionem illustris domini Henrrici ducis Bauarie placuit avisamentum dominorum de reformatorio, videlicet quod advocetur causa et remittatur ut petitur.

Super supplicacione Johannis de Focuria placuit avisamentum dominorum de reformatorio, videlicet quod non fiat absolucio neque restitucio, donec fuerit paritum iudicato, ut petitur.

PR] Die veneris XVII[a] septembris M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali, presidentibus in eadem dominis S. Angeli, Tarentino et Paduano, assistentibus dominis Rothomagensi Arelatensi et Firmano, Lugdunensi Bituricensi et Turonensi, medio iuramento fuerunt incorporati frater Pascasius de Rivola[a)] ordinis Humiliatorum pro clero Cumano, magister Herueus de Cornubia litterarum apostolicarum abreviator, magister Johannes de Quenneyo magister in theologia Parisiensis, Ghiselbertus Herman canonicus ecclesie cathedralis Traiectensis et Petrus Passart canonicus ecclesie beate Marie Traiectensis[b)] tam propriis quam cleri Traiectensis nominibus.

Lectis litteris domini nostri pape missis concilio[1], dominus Tarentinus exposuit quod ipse dominus noster papa contentatur, quod terre ecclesie ponantur in manibus reverendissimorum dominorum S. Crucis et S. Petri legatorum sacri concilii.

Deinde lecte fuerunt littere domini nostri pape misse suis ambassiatoribus, concernentes factum Grecorum.[2]

[a)] Prothasius *R*, de Rivola *fehlt, P.* [b)] et Petrus—Trai. *fehlt, R.*

[1] *Mansi 30, 846.* [2] *l. c. 848.*

Deinde lecta fuerunt capitula concernencia materiam Grecorum, avisata per sanctissimum dominum nostrum papam.

Concordata [a].

Super supplicacione reverendissimi domini cardinalis Bononiensis, petentis ut confessorem eligere possit quociens voluerit, qui eum absolvere possit ab omnibus commissis, propter que eciam summi [pontificis] requireretur auctoritas etc., quodque de beneficiis suorum familiarium possit disponere eosque absolvere et cum ipsis dispensare etc.: concordant omnes deputaciones, quod auctoritate sacri concilii concedatur, prout in ipsa supplicacione petitur.

Super supplicacione reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis, petentis per hoc sacrum concilium mandari omnibus et singulis dyocesanis religiosis, rectoribus parrochialium ecclesiarum etc., quatenus sub penis iuris omnes et singulos cives et inhabitatores civitatis Bisuntine denuncient ac evitent et evitari in divinis et de suis expelli ecclesiis faciant, alioquin cessent a divinis etc.: concordant omnes deputaciones quod auctoritate sacri concilii concedatur, ut petitur in ipsa supplicacione.

Super supplicacione domini promoti Gurcensis, petentis loco reverendi patris domini episcopi Gadicensis, in sua causa alias deputati, propter eius recessum aliquem alium prelatum surrogari seu deputari etc., concordant omnes deputaciones quod loco ipsius domini Gadicensis surrogetur et deputetur dominus cardinalis Arelatensis.

Super supplicacione pro parte domini archiepiscopi prepositi decani et capituli ecclesie Rigensis, petencium committi alicui prelato in partibus, ut se de contentis in ipsa supplicacione simpliciter etc. informet, et si constiterit de assertis, declaret etc. prout in ipsa supplicacione continetur etc.: concordant tres deputaciones quod committatur reverendo ac venerabili episcopo Tabartensi [b] et preposito eiusdem iuxta contenta in ipsa supplicacione. Quarta autem, videlicet de communibus, pluries requisita non deliberavit.

Super supplicacione Johannis Walt civis Argentinensis contra prepositum ibidem concordant omnes deputaciones, quod reverendi ac venerabiles Pharensis et Capruliensis episcopi et Johannes Pringencii archidiaconus in ecclesia Leonensi se simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, de contentis in ipsa supplicacione informent, sic tamen quod coram uno aliis absentibus serventur termini, ut petitur, et postmodum referant in generali congregacione.

Super [c] supplicacione Guidonis de Rocheta et Johannis Charrier in decretis licenciatorum ecclesie Gebennensis canonicorum in hoc sacro concilio incorporatorum, petencium ut non obstante eorum absencia a

[a]) *fehlt, R.* [b]) Tarentino *R.* [c]) *der Absatz fehlt, R.*

dicta ecclesia Gebennensi, attento quod incorporati sunt in hoc sacro concilio, ut ipsi iuxta statutum dicte ecclesie, si aliqua prebenda vacare contingeret, optare possint etc. ac si in ipsa ecclesia personaliter residerent: concordant omnes deputaciones quod concedatur dominis canonicis presentibus et incorporatis concilio, ut possint optare ut petitur sine preiudicio iuris quesiti.

In causa ecclesie Traiectensis quo ad contendentes de eadem concordant omnes deputaciones, quod reverendi patres domini Ebroicensis et Capruliensis episcopi pro reformatorio, dominus episcopus Vexionensis[a)] pro communibus, Papiensis et Aurelianensis episcopi pro deputacione fidei, episcopus Vticensis et abbas S. Theofridi pro deputacione pacis tractent concordiam inter partes contendentes, quam si obtinere non poterunt, audiant partes plenissime et summarie in iuribus suis usque ad sentenciam diffinitivam inclusive, pro qua ferenda iuxta deliberaciones deputacionum de reformatorio et de pace referant in generali congregacione. Illa autem de fide dicit, quod referant in deputacionibus, illa vero de communibus quo ad relacionem faciendam non deliberavit.

Lectis prius concordatis, domini presidentes per organum reverendissimi domini cardinalis legati concluserunt super eisdem iuxta concordata dominorum de duodecim et deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium.

Archidiaconus Misnensis peciit quod concludatur iuxta deliberaciones sacrarum deputacionum, deliberancium quod adiuncti in causa ducatus Saxonie conveniant cum aliis dominis iudicibus, et quod illa que interim facta sunt revocentur, et quod nichil fiat nisi ipsis presentibus.

Ad que respondit dominus Stephanus de Nouaria, ipsos dominos adiunctos non esse expectandos, cum non sunt publicati in generali congregacione, nec facta revocari debere, quoniam per sacrum concilium ordinatum et conclusum fuit, quod ipsi domini commissarii examinent et audiant huiusmodi causam, coram quibus productus fuit unus sacus plenus iuribus.

P] Die sabbati XVIII[a] septembris in sacra deputacione pro communibus dominus patriarcha Aquilegiensis requisivit, quod domini vellent mandare domino vicecancellario, ut expediretur monitorium, attento quod terminus est sopitus, videlicet xxij dierum.

Quo ad requestam reverendissimi domini cardinalis Arelatensis etc. placuit, quod audiantur cause suspicionis, si quas pars adversa proponere voluerit infra terminum per iudices prefigendum, et si cause non fuerint

a) Vexonienses *R.*

sufficientes, procedant domini deputati in causa summarie, et alias ut petitur in supplicacione.

Quoad requestam generalis et fratrum de Penitencia[a)] ordinis SS. Martirum de Vrbe, facta relacione per dominum episcopum Pergamensem de contentis in requesta et scrutatis votis, placuit quod privilegia necnon statuta et consuetudines ordinis alias observata et observate per sacrum concilium innoventur et nichil de novo eisdem concedatur.

Accesserunt ad deputacionem domini Anglici, videlicet domini episcopus Londoniensis, comes et quamplures alii, et per organum domini episcopi Londoniensis, postquam narrasset laudes regni Anglie, quodquidem regnum fidem recepit a xv° anno post assumpcionem beatissime Marie virginis tempore Joseph ab Arimacia, supplicarunt quod circa assignacionem sedium etc. sacra deputacio pro communibus nichil velit in lesionem et iniuriam domini regis sui et regni eiusdem attemptare, ymo honorem dicti domini regis in suis privilegiis libertatibus et preeminenciis velit illibatum observare.

Quo ad requestam domini patriarche Aquilegiensis, petentis sibi expediri monitorium, sunt xxij vota quod inducatur dominus patriarcha ad compromittendum in aliquos dominos sibi fidos, qui cum dominis cardinalibus infra brevem terminum eisdem prefigendum habeant tractare concordiam, quod si non fecerint, lapso termino expediatur eidem monitorium; sunt xxvj vota quod exnunc expediatur monitorium et deinde inducatur omnibus viis racionabilibus ipse dominus patriarcha ad concordandum; sunt septem vota quod expediatur exnunc monitorium et detur aliquibus sibi fidis tracteturque concordia infra viij vel x dies, quod si huiusmodi corcordia fieri non possit, lapso termino expediatur huiusmodi monitorium eidem domino patriarche.

Conclusio finalis:

Quo ad requestam domini patriarche Aquilegiensis, petentis sibi expediri monitorium etc., placuit quod exnunc expediatur monitorium et ponatur in manibus alicuius domino patriarche fidi tracteturque concordia infra octo vel x dies; quod si non fuerit huiusmodi concordia subsequta, lapso termino detur eidem huiusmodi monitorium petitum.

P] Eadem die redierunt de Ratispona ambassiatores concilii super facto Bohemorum.

P] Die lune XX[a] septembris in sacra deputacione pro communibus, lectis formis decretorum de electione summi pontificis et de numero et qualitate dominorum cardinalium assumendorum etc., placuit quod hodie

[a)] Prucia *P.*

hora ij[a] post meridiem in hoc loco quilibet volens habere copiam mittat clericum ad habendum.

Ad assistendum reverendissimo domino cardinali Rothomagensi vicecancellario in audiencia ad instar sacri consistorii apostolici fuerunt deputati domini episcopus Pargamensis, abbas S. Honorati et Henricus Nythard.

Pro iudice causarum fidei loco reverendissimi patris domini cardinalis S. Petri ad vincula placuit, quod surrogetur reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis.

Quo ad formam decreti de symonia placuit maiori parti, quod dentur deputati qui videant primam formam et duas ultimas et componant unam bonam formam per articulos, et deliberetur articulatim in deputacionibus.

P] Die martis XXI[a] fuit festum S. Mathei, ob cuius reverenciam fuit missa solemnis etc.

P] Die mercurii XXII[a] septembris M[o]iiij[c]xxxiiij[o] in sacra deputacione pro communibus, lecta forma decreti de causis et scrutatis singulariter votis dominorum, placuit materia, forma vero reaptetur per reverendissimos dominos cardinalem [a)] legatum, archiepiscopum Lugdunensem et dominum Henricum auditorem camere. Quiquidem domini deputati habeant facultatem cum deputatis aliarum deputacionum super huiusmodi forma concludendi.

Placuit quod ponatur cedula, quod si quis sit qui conqueratur de notariis procuratoribus et officiariis audiencie contradictarum, recurrat ad dominum auditorem camere pro iusticia super hoc consequenda.

Item placuit instantibus promotoribus, quod publicetur in audiencia contradictarum reformacio predictorum conclusa in generali congregacione.[1]

In materia reverendissimi domini cardinalis Arelatensis et abbatis S. Anthonii placuit, quod loco domini episcopi Gebennensis surrogetur dominus archiepiscopus Auxitanus.

Domini Lugdunensis et Niuernensis episcopus etc. protestati sunt de iniuriis latis per decanum Glasguensem etc.

Super supplicacione dominorum episcopi et capituli Patauiensium placuit, quod detur monitorium per sacrum concilium in forma ut petitur.

Super materia symonie placuit, quod domini de duodecim habeant dare avisatum sacris deputacionibus articulum sequentem: „An expediat quod sacrum concilium ordinet, quod deinceps fiat statutum, quod pro

[a)] *aus* cardinales *P.*

[1] *s. o. S. 184.*

beneficiis et ordinibus nichil exigatur ab invito pretextu cuiusvis consuetudinis, convertendum in utilitatem vel neccessitatem vite conferentis ante vel post collacionem.“

Super secundo avisamento dominorum de duodecim quo ad causas electionum et alias, que in supremo iudicio sunt tractande, placuit quod in huiusmodi causis procedatur summarie etc. sola facti veritate inspecta, servatis tamen terminis substancialibus, ita tamen quod nulla fiat citacio per edictum nisi ex causa iusta et racionabili.

P] Die iovis XXIII[a] septembris in sacra deputacione pro communibus dominus prepositus S. Leonardi pro se et suo conventu se excusavit, ex eo quod sibi imponebatur, quod dimisserat feretrum per modum funeris spacio viij dierum ante domum unius deffuncti non habentis unde solvere exequias etc.

Quo ad requestam domini prothonotarii, petentis gaudere privilegiis incorporatorum et fructibus suorum beneficiorum et officiorum[a)], placuit et concessa est supplicacio huiusmodi in forma ut petitur.

Super supplicacione Nicolai Beyer canonici prebendati ecclesie beate Marie extra muros Maguntinos familiaris domini cardinalis Placentini etc. placuit, quod fiat iusticia non obstantibus prerogativis, de quibus in supplicacione fit mencio, iuxta avisamenta deputacionum de reformatorio et pace.

Quo ad requestam reverendissimi patris domini cardinalis Placentini, petentis officium cursoris pro Johanne Kempner eius servitore, placuit supplicacio in forma.

Super supplicacione Broquardi Roberti clerici uxorati Bisuntine diocesis, petentis remitti causam etc., placuit, attento quod est causa mere prophana, quod remittatur ad suum iudicem et inhibeatur iudici.

Quo ad supplicacionem religiosorum monasterii S. Martini Sagiensis placuit, quod remaneat causa in concilio et faciant iusticiam.

Quo ad requestam abbatis et conventus monasterii [S.] Martini in Wiblingen Constanciensis diocesis, petencium innovari sua privilegia, placuit [quod] innovent[ur] ut petitur.

Quo ad requestam magistri Roberti de Molendino decani S. Hermetis Rothomagensis Cameracensis diocesis placuit, quod committatur reverendo patri domino episcopo Niuernensi, qui constito sibi de assertis provideat auctoritate sacri concilii ut petitur.

Quo ad requestam Hermani Rost electi in prepositum beate Marie ad gradus Maguntine, petentis confirmari et deffectus suppleri etc., placuit quod reverendissimus dominus cardinalis legatus auctoritate sue legacionis provideat, ut sibi videbitur.

[a)] *aus* officiariorum *P.*

Quo ad requestam domini Michaelis Anglici familiaris domini cardinalis S. Crucis, petentis gaudere privilegiis incorporatorum etc., placuit quod huiusmodi privilegiis incorporatorum gaudeat tempore legacionis prefati domini cardinalis S. Crucis, et supersedeatur in causa etc.

Quo ad requestam domini Anthonii de Noyers electi Lingonensis placuit, quod loco reverendissimi domini cardinalis Placentini iudicis cause a dicto concilio absentis surrogetur dominus episcopus Capruliensis.

Quo ad requestam domini Johannis de Palude prioris Paterniaci etc. alias signatam ut petitur, placuit quod fiat iusticia.

Dominus Albertus prepositus Misnensis obtinuit licenciam recedendi, supplicans dominis de sacro concilio, quod si contingeret ipsum in via capi, sacrum concilium dignaretur prosequi suam expedicionem.

Quo ad materiam causarum ventilancium extra rotam et de novo committendarum etc. placuit, quod cause de novo committende committantur deinceps eisdem iudicibus ordinariis et non alias.

P] Eadem die de mandato reverendissimi patris domini cardinalis legati, instante domino Ademaro promotore, legi in audiencia contradictarum capitula concernencia taxam notariorum etc.[1]

PR] Die veneris XXIIII[a] septembris M°iiij^{C}xxxiiij° in generali congregacione, presidentibus legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis Rothomagensi Arelatensi et Firmano, Lugdunensi Bituricensi Auxitano archiepiscopis, Glasguensi Constanciensi et Pargamensi etc., placuit quod dominus auditor camere informet se de verbis iniuriosis habitis, inter dominum Aydemarum de Roussillione promotorem et magistrum Johannem Leodegarii habitis, et illum qui deliquerit puniat.

Item data fuit potestas dominis camere et sacri concilii auditoribus, ut taxam salariorum notariorum et procuratorum atque capitula eosdem concernencia[1] observari faciant, puniendo transgressores.

Lecte fuerunt littere serenissimi domini imperatoris, mencionem facientes de ecclesia Gurcensi, quod dentur iudices qui secundum iuris disposicionem in causa procedant.

Item lecte fuerunt littere domini Frederici senioris ducis Austrie eandem ecclesiam concernentes.

Item[a)] lecte fuerunt littere domini Frederici iunioris ducis Austrie eandem ecclesiam concernentes.

Item lecte fuerunt littere domini episcopi Patauiensis, concernentes

[a)] *der Absatz fehlt, R.*

[1] *s. o. S. 184.*

diffidacionem contra ipsum factam per dominum Ludouicum seniorem ducem Bauarie.

Lecte fuerunt littere consulum opidi de Corna, concernentes electum et electionem ecclesie Albiensis.

Ad idem scribunt nobiles dicte diocesis et consules Insule Albigesii.

Idem scribunt cives civitatis Albiensis.[1]

Domini Constanciensis episcopus, Egidius Carlerii decanus Cameracensis et alii ambassiatores sacri concilii, missi ad Ratisponam ad dominum imperatorem et ambassiatores Bohemie, suam fecerunt relacionem, primo verbo sub theumate „Bene omnia fecit“ etc., postmodum scripto quo ad aliquas cedulas tunc per partes tam seorsum et separatim quam alias datas.

Concordata [a].

In materia dominorum ducum Saxonie concordant omnes deputaciones, quod reverendissimus reverendique patres et venerabiles archiepiscopus Cretensis pro deputacione pacis, episcopus Lausanensis, Henricus auditor camere pro deputacione de communibus, archidiaconus Metensis pro deputacione fidei et vicarius Frinsingensis pro deputacione reformatorii unacum iudicibus alias per sacrum concilium in hac causa deputatis videant et examinent vocatis partibus, an causa huiusmodi remittenda sit vel ne, et si sic, remittant, si non, faciant iusticiam primi iudices.

Super supplicacione electi S. Poncii Thomeriarum concordant omnes deputaciones, quod coram uno iudicum de consensu aliorum possint servari omnes termini usque ad sentenciam diffinitivam exclusive.

Quo ad requestam quorundam canonicorum regularium, petencium certos deputari de singulis deputacionibus, qui eorum regulas et doctores ac glosam desuper etc. videant examinent et declarent etc., concordant omnes deputaciones quod reverendissimus reverendique ac venerabiles patres et domini cardinalis Firmanus et generalis Heremitarum ordinis S. Augustini pro deputacione pacis, abbas Bone Vallis et magister Johannes Celi pro deputacione fidei, dominus episcopus Albinganensis et generalis Carmelitarum pro deputacione reformatorii et abbates S. Honorati ordinis S. Benedicti et de Chereto [b] ordinis Cisterciensis huiusmodi regulam doctores et glosam videant examinent et declarent et postea referant in deputacionibus, ut petitur; due autem, videlicet de fide et reformatorio, voluerunt quod legatus interesset. Illa eciam de reformatorio adiunxit patriarcham Anthiocenum.

[a]) *fehlt, R.* [b]) Cerreto *R.*

1 *Mansi 30, 852.*

Super monitorio petito pro parte reverendi patris domini episcopi Patauiensis contra dominum Ludouicum seniorem ducem Bauarie, qui ipsum dominum episcopum diffidavit etc., concordant tres deputaciones quod decernatur per sacrum concilium monitorium in forma ut petitur; voluit tamen illa de reformatorio, quod prius mittatur ipsi domino duci littera exhortatoria. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

In causa prioratus Paterniaci concordant tres deputaciones, quod fiat iusticia; quarta autem, videlicet de fide, deliberavit quod domini de rota huiusmodi causam audiant et sola facti veritate inspecta iusticiam faciant, salva recusacione suspectorum.

In facto domini Lamberti Datini canonici Leodiensis decretorum doctoris, petentis sibi responderi de fructibus ecclesie sue Leodiensis propter eius absenciam etc., concordant omnes deputaciones quod committatur reverendissimo domino archiepiscopo Lugdunensi, qui summarie se informet de contentis in ipsa supplicacione, et si constiterit de assertis in ipsa supplicacione, provideat auctoritate sacri concilii supplicanti prout petitur.

Super supplicacione Henrrici de Wite[a)] laici Leodiensis diocesis et Mactildis Cutten eius uxoris[b)] dicte diocesis, petencium cum ipsis super cognacione spirituali misericorditer dispensari etc., concordant tres deputaciones quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus, prout sibi videtur. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacionibus magistrorum Stephani de Gauo et Symonis Philomene sacre theologie professorum ordinis Minorum concordant omnes deputaciones, quod causa ipsorum committatur reverendis et venerabilibus abbatibus Virziliacensi pro deputacione pacis et de Chereto[c)] pro deputacione de communibus, generali[d)] Predicatorum pro deputacione reformatorii et domino elemosinario serenissimi domini regis Aragonum pro deputacione fidei, qui cum ipsis per singulas deputaciones adiunctis, videlicet reverendis patribus Naulensi Pergamensi et Lectorensi episcopis, se[e)] informent de contentis in ipsis supplicacionibus et iusticiam faciant.

Super supplicacione pro parte illustris principis Henrrici ducis Bauarie quo ad causam iniuriarum et diffamacionum inter ipsos illustres principes[f)] marchionem Misnensem[g)] concordant tres deputaciones, quod huiusmodi causa remittatur ad forum imperiale; quarta, videlicet de fide, multis vicibus requisita non deliberavit.

[a)] Wicte *R.* [b)] Martildis eius uxoris *R.* [c)] Cerreto *R.* [d)] generalis *PR.* [e)] qui se *PR.* [f)] *so PR.* [g)] marchiō Misnēn *P*, marchgravium Misnensem *R.*

Super supplicacione reverendissimi domini cardinalis Arelatensis concordant omnes deputaciones, quod audiantur cause suspicionis coram iudicibus iam datis, si quas pars adversa proponere voluerit infra terminum per ipsos dominos iudices eidem prefigendum, que si sufficientes non fuerint, procedant ipsi iudices ut petitur in supplicacione, et si sufficientes sint contra aliquem, provideatur de alio.

Concordant eciam omnes deputaciones, quod loco reverendi patris domini episcopi Gebennensis absentis in huiusmodi causa surrogetur dominus archiepiscopus Auxitanus.

Super materia causarum tractandarum amodo in curia Romana etc., concordant omnes deputaciones in materia, que ipsis placuit, sed adaptetur et ponatur in bona forma. Ad quod faciendum deputati sunt reverendissimi domini cardinales Rothomagensis Arelatensis, patriarcha Anthiocenus, vicarius Frinsingensis et alii qui venire voluerint pro deputacione reformatorii, qui habeant referre in deputacione; reverendissimi domini cardinalis legatus, archiepiscopus Lugdunensis et dominus Henrricus auditor camere pro deputacione de communibus, quibus data est facultas cum aliis deputatis concludendi super hac forma; reverendissimus dominus archiepiscopus Cretensis, Vticensis et Lectorensis episcopi et officialis Patauiensis pro deputacione pacis ad videndum et examinandum avisata super huiusmodi materia; et adidem est sacra deputacio fidei, sic tamen quod referant in deputacionibus, que det deputatos.

Concordant omnes deputaciones quod loco reverendissimi domini cardinalis S. Petri absentis pro iudice fidei surrogetur reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis.

Item concordant omnes deputaciones, quod domini precognitores habeant saltim semel in ebdomada convenire cum domino vicecancellario et signent simul cum ipso commissiones signandas et repellant repellendas et aliter non.

Lectis superius concordatis sacrarum deputacionum, domini presidentes per organum domini legati concluserunt in illis que sunt concordata per dominos de duodecim, et eciam in quibus concordant tres deputaciones.

Quo ad materiam visitacionum remissa fuit ad deputaciones.

P] Die sabbati XXV[a] septembris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione ambassiatorum domini Karoli Francorum regis, petencium causas committi concernentes concordata in Genezano cum felicis recordacionis domino Martino etc.[1], placuit avisamentum sacre

[1] *1426 August 21. Ordonnances des Rois de France 13, 123. Recueil des anciennes lois françaises 8, 732.*

deputacionis pacis in forma, videlicet quod committatur quo ad incorporatos concilio domino cardinali Arelatensi secundum formam eiusdem supplicacionis.

Quo ad supplicacionem domini Anthonii de Alleardis abbatis beate Marie de Castrono Parmensis diocesis placuit avisamentum sacre deputacionis pacis in forma.

Relatum est ex parte deputacionis pacis ipsam deliberasse, quod nulle bulle expediantur in preiudicium partis, nisi prius super ipsis per sacras deputaciones fuerit deliberatum, et tales bullas infra sex menses teneantur reportare, alioquin pro nullis habeantur.

P] Die lune XXVII[a] septembris in deputacione sacra pro communibus pro parte illustris domini Ludouici ducis Bauarie fuit requisitum, quatenus monitorium in generali congregacione ad instanciam domini episcopi Patauiensis non expediatur, cum ipse dominus dux habeat hic in concilio suos procuratores, qui parati sunt respondere prout de iure, et quod sufficit quod ipse dominus dux vel eius procuratores citentur etc.

PR] Die veneris prima octobris M°CCCC°xxxiiij° in congregacione generali dominus Johannes de Fossato abbas S. Bartholomei Papiensis ordinis S. Benedicti, Petrus Vicardi cubicularius domini cardinalis Arelatensis, frater Johannes de Baufrenes[a)] ordinis Minorum de observancia, Karolus de Edlemeghe de Teruisio legum doctor, Jacobus Cruik[b)] licenciatus in legibus, Conrardus Lemelgher baccallarius in iure canonico, frater Anthonius de Lentibiaco[c)] prior prioratus conventualis Chameliarum pro se et abbate monasterii S. Aufredi Aniciensis diocesis, Johannes Lamelin canonicus Tornacensis licenciatus in decretis ambassiator domini Burgundie et pro se ipso, dominus Petrus pro episcopo Salamantino.

Lecta supplicacione cantorum capelle sacri concilii, quequidem materia remissa est ad sacras deputaciones remittenda[d)].

Dominus episcopus Lubicensis nuper veniens de Ratispona de gestis per nuncios sacri concilii cum serenissimo domino imperatore, postquam alii ambassiatores de Ratispona recesserunt, sub theumate „Deus in auxilium meum respice“[1] suam ad longum feit relacionem. Et proponendo inter cetera narravit undecim[e)] causas, propter quas causam displicencie habet de sacro concilio: prima quod non fit reformacio; secunda de dissolucione concilii; tercia de restitucione terrarum ecclesie; quarta quod non proceditur per naciones; quinta de ducatu Guelrie, in qua petit auxilium

[a)] Lanfredes *R.* [b)] Claut *R.* [c)] Lancisbato *R.* [d)] remittanda *P.* [e)] xiiij *P.*

[1] *Ps. 70, 12.*

brachii spiritualis; sexta de causis prophanis; septima de controversia sedium; octava de pueris capelle; nona de citacione sui cancellarii; decima de causis ducum Saxonie; undecima de causis Bambergensi et Bisuntina.

Proposuit narrando per modum avisamenti, quod bonum foret ut dominus Albertus dux Austrie nomine sacri concilii recipere haberet banderium sive vexillum sacri concilii ad debellandum hereticos et Bohemos. Item similiter dixit bonum esse, quod sacrum concilium provideret domino de Rosembergh, qui fuit fidelis debellator dictorum hereticorum Bohemorum. Et ad retinendum suas gentes armorum expediret sibi habere summam x milium.

Dominus episcopus Albinganensis, quia dominus Lubicensis in relacione dixerat, quod illustris dominus dux Mediolani deberet citari, ut restitueret et sui capitanei restituerent terras ecclesie, excusavit dictum dominum ducem Mediolani tanquam fidelem filium ecclesie universalis etc.

Dominus Rothomagensis similiter se excusavit, narrando processum per eum contra cives factum esse iustum et sanctum etc. Et narravit malefacta quamplura per eosdem cives commissa, rogando ut dominus Symon de Theramo advocatus suus, qui de meritis cause est ad plenum informatus, audiretur.

Quiquidem dominus Symon advocatus proponendo narravit, causam Bisuntinam propter certas causas per eum allegatas ad forum ecclesiasticum pertinere et non ad tribunal imperiale remitti debere.

Cives Bisuntini per organum magistri Stephani Armenerii, protestacione facta quod non intendit alicui iniuriari, narraverunt quod firmissime tenent fidem catholicam et profitentur etc. Narravit quod antequam promoveretur ad archiepiscopatum, eorum civium erat protector. Narravit quod postquam venit ad ecclesiam Bisuntinam, de mandato eiusdem miserunt suos procuratores pro concordia etc. Dixit quod ipse dominus cardinalis de consensu capituli approbavit tractatum etc. Dixerunt quod nunquam tallias super clerum imposuerunt, ymo non credunt quod in partibus illis sit locus, ubi clerus habeat tantam libertatem, sicuti Bisuntine. Item obstantibus gravaminibus appellarunt, sed non potuerunt aliquomodo [obtinere] causam committi etc. Quare petunt libere in iusticia audiri. Instante deputacione pacis supersederunt de persequendo iusticiam suam.

Item quod processus factos per dominum cardinalem ad civium verecundiam facit venales. Finaliter supplicarunt ut dentur deputati, qui videant eorum innocenciam. Et ne imputetur eis rigor, offerunt se paratos[a)] stare iuri, dum tamen dentur eis iudices non suspecti, eciam per

[a)] parare *P.*

viam concordie etc. Et hoc offerunt dare in scriptis. Dixerunt quod ea que fecerunt circa regaliam, fecerunt de mandato serenissimi domini imperatoris, de quo dixerunt constare litteris patentibus eiusdem domini imperatoris. Supplicarunt ut faciant eis reparare iniurias eis illatas et taliter procedere, quod non habeant ad aliud iudicium recurrere etc.

Reverendissimus dominus cardinalis Rothomagensis ad proposita per cives replicavit et inter alia dixit, quod cives receperunt cognicionem de uno homine condempnato de heresi etc., quem ipse adhuc repetit sibi restitui. Dixit quod nunquam in propria causa signavit commissiones, ymo domini precognitores signaverunt. Dixit quod fuit contentus, quod controversia sopiretur per viam concordie. Item dixit quod nullus de civitate Bisuntina ad modum Italie potest exire, nisi cum bulleta. Dixit quod si deberet dimittere pellem, non omittet prosequi libertatem sue ecclesie etc. Dixit quod procurator civium in die qua fuit lata sentencia dixit, quod non veniebat tanquam procurator, sed simplex ad obtinendum dilacionem in causa etc. Dixit quod quando cives erunt parati ad concordiam, paratus erit etc. De omnibus et singulis motis et movendis obtulerunt compromittere, sed de duobus mensibus esset nimis brevis terminus.

P] Die sabbati in sacra deputacione pro communibus pro presidente fuit electus dominus episcopus Lausanensis.

Pro duodecim fuerunt nominati domini episcopus Pargamensis continuatus, abbas S. Honorati et dominus Lambertus.

Pro custode clavis fuit deputatus dominus Johannes de Hungaria et prestitit iuramentum.

Pro referendario fuit deputatus dominus prior de Plateria ordinis canonicorum regularium Lugdunensis.

Ad distribuendum supposita sacri concilii fuerunt continuati promotores concilii.

Placuit quod domini duodecim possint eligere registratores ad registrandum litteras sacri concilii deinceps bullandas.

Ex parte nacionum inclitarum Italice et Germanice missi sunt ad deputaciones archiepiscopus Cretensis, episcopus de Dacia, episcopus Papiensis, tres abbates S. Blasii, de Verona, grossus ordinis Cisterciensis, prepositus Cracouiensis, decanus S. Florini, Franciscus de la Cruce et Galeacius de Mantua. Per organum domini Cretensis super differencia sedium inter Yspanos et Anglicos proposuerunt ea, que in hac materia per dominos deputatos acta sunt pro concordia etc. Tandem via concordie, ut in bancha, in qua sedent domini cardinales in generali congregacione, sederet prius post patriarcham Anthiocenum unus ambassiator regis

Francie et post eum unus ambassiator domini regis Castelle, alia bancha ad dextram partem unus ambassiator regis Francie et post eum unus regis Castelle; in alia parte sinistra sederent ambassiatores serenissimi regis Anglie. Et super hoc requisiverunt domini deputati ambassiatores domini regis Francie ut suum consensum vellent dare etc. Qui responderunt [quod] nullomodo consensum possent adhibere etc. Requisiverunt deputacionem quod darentur duo deputati, qui adire deberent ambassiatores domini regis Francie, ut velint dare consensum ordinacioni avisate per dominos deputatos. Item rogarunt quod nulla via rigoris admittatur nisi via concordie etc. Et protestate sunt dicte due naciones[a], quod non intendant viam acceptare iam per duas deputaciones deliberatam nisi via pacis et concordie. Narravit dominus episcopus Papiensis, quod domini ambassiatores regis Anglie dicunt se habere sufficientissimum mandatum pro materia pacis et concordie regni Francie etc., quam Francigene semper optarunt et optare debent. Dominus archiepiscopus Lugdunensis ambassiator nomine ambassiatorio respondit, quod habuerant in mandatis a domino suo per organum domini archiepiscopi Auxitani, deinde per dominum Symonem Karoli et tandem per magistrum Martinum Berruerii habuerant expresse a domino suo in mandatis, quod sub pena indignacionis perpetue circa materiam sedium nullomodo habeant aliquid immutare, attenta[b] eciam pollicione facta per sacrum concilium circa hanc materiam domino regi Francie etc. Eciam quod ambassiatores regis Castelle non petunt huiusmodi unionem, attento eciam quod domini duces Burgundie et Britanie et plures alii principes hoc facere renuerunt. Nichilominus quantum in se est, vellet recipere minorem locum in concilio.

Quo ad illud quod dicunt naciones due, quod non amplecti intendunt viam iusticie, videbitur sibi unum absurdum etc.

Et si receperint mandatum a domino suo rege pro concordia, parati erunt obedire mandatis.

Dominus legatus regraciatus est dominis deputatis ambarum nacionum de laboribus pro bono pacis assumptis.

Quo ad requestam reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis archiepiscopi Bisuntini placuit, quod scribantur littere honorabiles serenissimo domino imperatori, recommendando sue serenitati prefatum dominum cardinalem. Nichilominus committatur causa et commissa est, et pro ista deputacione reverendo patri domino episcopo Pargamensi, qui cum deputatis aliarum deputacionum procedat in causa iuxta avisamentum sacre deputacionis reformatorii, et serventur termini coram uno ex eisdem.

[a]) deputaciones *P.* [b]) contenta *P.*

Dominus patriarcha Aquilegiensis protestatus est, quod non intendit consentire ut in suo monitorio fiat aliqua immutacio, attento quod non erant dati deputati qui vidissent etc., sed vult uti monitorio libere, attenta sua expedicione facta per cancellariam; presentibus Oliuerio medico et Johanne Leodegarii.

Quo ad requestam fratris Guillermi de Monte asserti prioris Paterniaci, lecta supplicacione et scrutatis votis, placuit quod dominus episcopus Capruliensis iudex in rota et cause solus teneat terminos, et facta huiusmodi relacione per eundem de processu dominis iudicibus de rota, iuxta deliberacionem ipsorum dominorum de rota vel maioris partis eorundem ferat sentenciam.

P] Die martis V^{a} octobris in sacra deputacione pro communibus dominus Ademarus de Rossillione promotor sacri concilii obtinuit licenciam recedendi et promisit reverti quam cicius commode fieri poterit.

In causa ducum Saxonie loco domini episcopi Foroiuliensis alterius iudicis cause fuit surrogatus dominus episcopus Vticensis, ita quod unus aut duo ex ipsis, aliis absentibus, teneant terminos et iura recipiant.

Dominus patriarcha Aquilegiensis protestatus est, quod si in duobus diebus non possit monitorium expediri, quod ipse possit uti libere monitorio etc.

Quo ad requestam reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis etc. placuit, quod dominus archidiaconus in ecclesia Leonensi pro ista deputacione cum domino vicecancellario et officiariis cancellarie et deputatis aliarum deputacionum vocata parte videat monitorium, et si sit aliquid exhorbitans, tollatur, si vero sit aliquid diminutum, addatur infra tres dies integros immediate computandos; quodque nunc inhibeatur dominis vicecancellario et patriarche Anthioceno, ne contra dictum dominum patriarcham Aquilegiensem[a)] aliquid innovent aut attemptent.

Dominus Symon de Valle advocatus Venetorum requisivit, quod committatur domino patriarche Anthioceno, ut ipse procedat in causa prout de iure.

Dominus Aydemarus de Roussilione substituit procuratorem magistrum Hugonem Barardi promotorem in omnibus negociis concernentibus dominum episcopum Viuariensem, in quibus constitutus est procurator. Actum in deputacione pro communibus, presentibus altero procuratorum domini episcopi Traiectensis domini Valrami etc. et domino H. capellano in ecclesia S. Martini Basiliensis.

[a)] et ecntra dictum dominum patriarcham Aquilegiensem ne *P.*

P] Die mercurii VI[a] octobris in sacra deputacione pro communibus super requesta in causa Traiectensi, in qua petitur ut duo ex iudicibus observent terminos etc., placuit quod duo ex dominis commissariis in causa huiusmodi observare possint terminos usque ad sentenciam diffinitivam exclusive, iuxta tenorem prime citacionis, ut petitur.

Super requesta reverendissimi domini cardinalis Arelatensis placuit avisamentum sacre deputacionis fidei, videlicet quod loco reverendissimi domini archiepiscopi Vpsalensis surrogetur dominus Bernardus de Cassiliaco electus Albiensis, et quod maior pars dominorum in hac causa deputatorum, si non omnes convenerint, possint procedere ad assignacionem terminorum et informacionem recipiendam usque ad relacionem faciendam exclusive, ut petitur.

Domini de pace retulerunt deliberasse super avisamento dominorum de duodecim de vocandis prelatis per suos metropolitanos etc. Quodquidem avisamentum placuit in forma etc.

PR] Die veneris VIII[a] octobris M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali, presidentibus reverendissimis dominis archiepiscopo[a)] Tarentino et Petro Paduano episcopo, assistentibus dominis cardinalibus Rothomagensi Arelatensi et Firmano etc., assistentibus patriarchis Anthioceno et Aquilegiensi, Lugdunensi Turonensi Cretensi archiepiscopis, Aureliacensi Vticensi Leonensi Pergamensi et Papiensi episcopis:

Incorporatus fuit concilio medio iuramento . . .[b)]

Lecte fuerunt due littere credenciales serenissimi domini imperatoris in personas dominorum episcopi Lubicensis et vicarii Maguntini et militis.

Lectum fuit mandatum patens ipsius domini imperatoris, per quod ipse dominus imperator predictos constituit ambassiatores.

Quibus lectis idem dominus episcopus Lubicensis exposuit credenciam suam, narrans devocionem dicti domini imperatoris ad illa tria, ad que sacrum concilium est congregatum, offerens se reiterare peticiones, quas in proxima congregacione nomine dicti domini imperatoris fecerat, ad quos petebat eodem nomine per sacrum concilium responderi.

Dominus Tarentinus excusavit absenciam reverendissimi domini legati et peciit, quod in eius absencia non procedatur in causa ecclesie Aquilegiensis. Qui dominus legatus concepit aliqua, propter que per ipsum et alios dominos in hac causa deputatos speratur hodie fieri concordia.

Postmodum regraciando primo domino imperatori et dicto domino

[a)] archiepiscopis *P.* [b)] *so*, *PR.*

episcopo Lubicensi dixit, peticionibus suis esse respondendum per sacras deputaciones.

Addidit quod due peticiones supersunt, in quibus dominus imperator potissime vellet sibi annui et per sacrum concilium responderi.

Dominus episcopus Lubicensis de mandato sacri concilii recepit sedem ut ambassiator serenissimi domini imperatoris, qui tamen nec alii sui college voluerunt nomine predicto iurare.

Dominus Franciscus de Bossis advocatus proposuit pro domino patriarcha, petens quod domini deputati ad reformandum monitorium suum suam faciant relacionem. Et ulterius ex quo pecierunt adversarii reformari, eciam reformetur in eo quod non se extendit huiusmodi monitorium ad totam terram, quam tenent et occupant.

Materia relacionis fuit remissa ad diem martis in congregacione generali propterea fienda dumtaxat.

Concordata [a].

Super supplicacione familiarium continuorum commensalium reverendissimorum dominorum cardinalium in hoc sacro concilio incorporatorum, petencium ipsis licenciam dari et facultatem, ut sua beneficia cum quibuscunque personis possint permutare illaque simpliciter sive ex causa permutacionis huiusmodi in manibus alicuius domini legati de latere vel ordinariorum resignare possint, concordant expresse tres deputaciones, quod petita concedantur supplicantibus, quibuscunque reservacionibus apostolicis ac statutis ecclesiarum non obstantibus. Quarta autem, videlicet de communibus, concedit quod petitur, sed quod fiant huiusmodi permutaciones et resignaciones in manibus reverendissimi patris domini cardinalis legati.

Super supplicacione domini Anthonii de Noyers electi ecclesie Lingonensis, petentis iudicem loco reverendissimi domini cardinalis Placentini absentis, cui dudum ipsa causa fuit commissa, surrogari et deputari, qui resumat, concordant tres deputaciones quod loco prefati reverendissimi domini cardinalis surrogetur reverendus pater dominus episcopus Capruliensis. Quarta autem, videlicet de fide, surrogavit reverendissimum dominum cardinalem Arelatensem.

Super supplicacione Broquardi Roberti clerici uxorati. de Bisuntino, petentis causam quam magister Petrus Gongeti [b] contra ipsum in hoc sacro concilio introduxit ad partes remitti etc., concordant omnes deputaciones quod huiusmodi causa remittatur ad partes, attento quod mere prophana est et neuter contendencium est in hoc sacro concilio incorporatus.

[a]) *fehlt, R.* [b]) Congeti *R.*

Super requesta dudum per reverendissimum dominum cardinalem Placentinum per singulas deputaciones facta ante ipsius recessum, petentis Johannem Kempen[a] clericum Leodiensis diocesis ad officium cursoris admitti et assumi etc., concordant tres deputaciones in eo quod admittunt supplicacionem in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, pluries requisita, aliis arduis occupata non deliberavit.

Super supplicacione Nicolai Beyer canonici beate Marie extra muros Argentinenses familiaris continui commensalis reverendissimi domini cardinalis Placentini, petentis in causa que inter ipsum et quendam Johannem Bredenkint in hoc sacro concilio agitatur procedi iuxta disposicionem iuris communis et hoc mandari iudici, non obstantibus constitucionibus apostolicis etc., concordant tres deputaciones quod fiat iusticia, non obstantibus prerogativis sive constitucionibus sanctissimi domini nostri pape, de quibus in ipsa supplicacione fit mencio. Quarta autem, videlicet de fide, ut proxime supra pluries requisita non deliberavit.

Super avisamento dominorum de duodecim super materia seu causis electionum concordant omnes deputaciones, quod in huiusmodi causis procedatur summarie simpliciter et de plano, reiectis cavillacionibus et appellacionibus frustratoriis, sic tamen quod serventur termini substanciales iuxta Clementinam „Sepe“ de[b] verborum significacione iij° Clementinarum[1]. Illa autem de communibus addidit, quod non fiant citaciones per edictum nisi ex iustis racionabilibus causis.

Concordant similiter quatuor deputaciones, quod causa appellacionis reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis committatur quatuor deputatis iudicibus, videlicet domino patriarche Anthioceno pro deputacione reformatorii, domino archiepiscopo Cretensi pro deputacione de pace, episcopo Pargamensi pro deputacione de communibus et episcopo Papiensi pro deputacione fidei, cum potestate citandi eciam per edictum cives Bisuntinos et quorum interest ac procedendi ut petitur. Et ultra deliberavit deputacio pro communibus, quod scribatur imperatori in recommendacionem domini cardinalis prefati.

Super supplicacione reverendissimi domini cardinalis Arelatensis in facto monasterii Montismaioris concordant omnes deputaciones, quod loco reverendissimi domini archiepiscopi Vpsaliensis absentis surrogetur dominus Bernardus de Casiliaco electus Albiensis, et quod maior pars dominorum in ipsa causa deputatorum possint procedere ad assignacionem terminorum et informacionem recipiendam usque ad relacionem faciendam exclusive[c], ut petitur. Et addidit illa de reformatorio, quod inter

[a]) *aus* Kempenel *R*, Kempenel *P*. [b]) iuxta . . . de *R*. [c]) inclusive *R*.

[1] *Clementin. V. tit. 11 c. 2.*

ipsos dominos dominos deputatos saltim sit unus de qualibet deputacione.

Super[a] supplicacione domini Rutgeri de Diik canonici archidiaconi Ardenne in ecclesia Leodiensi super certa pensione etc. concordant omnes deputaciones, quod loco reverendissimi domini cardinalis Placentini absentis surrogetur reverendissimus dominus archiepiscopus Bituricensis.

Super supplicacione domini Stephani de Roycha et quorundam laicorum ville sub Kenlek[b] Sagrabiensis diocesis, petencium certam causam contra eos in hoc sacro concilio introductam ad partes remitti etc., concordant omnes deputaciones quod committatur in partibus domino archiepiscopo Strigoniensi[c], qui vocatis partibus iusticiam faciat, et inhibeatur ut petitur.

Super supplicacione domini Anthonii abbatis monasterii beate Marie de Castrono Parmensis diocesis, petentis electionem confirmari et deffectus si qui in electione evenerint suppleri etc., concordant omnes deputaciones quod committatur reverendo patri domino episcopo Parmensi ordinario loci, qui constito de assertis procedat ut petitur. Deputacio vero de fide addidit „sine preiudicio iuris quesiti.“

Quo ad requestam magistri Roberti de Molendino decani S.[d] Hermetis Rothnacensis Cameracensis diocesis super reformacione sue ecclesie etc. concordant tres deputaciones, quod committatur reverendis patribus dominis Niuernensi et Gurcensi[e] episcopis, qui constito de assertis auctoritate sacri concilii provideant ut petitur. Quarta vero, videlicet de pace, pluries requisita non deliberavit.

Dominus Tarentinus presidens conclusit in concordatis, exceptis in causis Aquilegiensi et monasterii de Castrono, unde dominus vicarius Parmensis protestatus fuit de denegacione iusticie, petens et requirens dominum Paduanum, dominum Rothomagensem Arelatensem et Firmanum et deinde dominos patriarcham etc.[f], ut dignarentur concludere iuxta ordinaciones sacri concilii.

Placuit quod inhibeatur domino patriarche Anthioceno, quod medio tempore assignato in facto domini patriarche Aquilegiensis nichil innovet contra dominum patriarcham Aquilegiensem.

P] Die martis XI[I][a] octobris in sacra deputacione pro communibus quo ad supplicacionem dominorum de clero exempto et non exempto diocesis Treuerensis et eciam aliorum dominorum de aliis diocesibus, habentibus bona sua in diocesi Treuerensi etc., placuit avisamentum domi-

[a]) *der Absatz fehlt, R.* [b]) Kêlek *P*, Krenkek *R.* [c]) Stringoniensi *R.*
[d]) Sancte *P.* [e]) Gutzensi *R.* [f]) etc. *fehlt, P.*

norum de reformatorio, videlicet quod exaudiatur et concedatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur, sine tamen preiudicio reverendissimi domini Rabani archiepiscopi Treuerensis.

Dominus promotus ad ecclesiam Gurcensem requisivit dominos de dicta deputacione, ut super requestis exhibendis per partem adversam non velint deliberare nisi prius ipso audito.

Domini de pace ad revidendum formam decreti de symonia deputaverunt episcopum Parmensem, officialem Patauiensem, priorem Chamberiaci et archidiaconum de Ispania cum potestate concludendi.

Item deliberaverunt quod domini deputati super forma decreti de causis conveniant in Augustinensibus post meridiem hora iij[a].

P] In mei notarii etc. constitutus reverendus pater dominus episcopus Pargamensis iudex in causis Paterniaci certis causis animum suum in hac parte moventibus huiusmodi causas omnes et singulas coram eo pendentes ad cancellariam remisit. De quibus ipse dominus episcopus Pargamensis peciit et voluit per me fieri instrumentum et instrumenta. Actum Basilee ante hostium maioris stuphe pro communibus, presentibus dominis abbate S. Cornelii, Johanne Charrerii presbitero curato de Vio Gebennensis diocesis, magistro Herueo de Cornubia litterarum apostolicarum abreviatore etc.

P] Die mercurii XIII[a] octobris in sacra deputacione pro communibus quo ad supplicacionem domini Odonis de Varris prothonotarii, petentis in causis suis procedi summarie etc., placuit quod in causis suis pendentibus coram domino Albinganensi et aliis loco sui surrogandis procedatur summarie simpliciter et de plano etc. ut petitur.

Relatum est pro parte reformatorii deliberasse, quod prelati existentes in concilio possint facere visitari per procuratores iuxta avisamentum datum per reformatorium.

Item deliberaverunt quod in facto symonie ad obviandum disputacionibus fiat una bona forma decreti, ad quam faciendam dederunt quatuor deputatos, videlicet dominos archiepiscopum Turonensem, episcopum Eduensem, magistros Dyonisium de universitate Parisiensi et Thomam de Wienna. Item quod deputati conveniant cum domino vicecancellario non per modum consistorii, sed solum ad signandum supplicaciones que offerantur in deputacionibus.

Deputacio pacis retulit deliberasse, quod super iuramento prestito per dominos de duodecim dispensetur, ut dicant [et] revelent illum, qui fecit symoniace expediri bullam exhorbitantem, et committatur domino auditori camere, quod faciat iusticiam.

Sacre deputacioni pro communibus placuit huiusmodi avisamentum, et fuit iniunctum custodi clavis, quod non permittat huiusmodi tales bullas bullari.

Quo ad avisamentum reverendissimi domini cardinalis legati, in quo cavetur quod in aliquibus dominio cuiusdam principis, que in parata pecunia racione semidecime sunt parate[a)] solvere ad statim unam bonam sommam etc., placuit quod alias deputati in materia semidecime diligenciam super hoc faciant, concordent ac provideant, prout ad utilitatem sacri concilii videbitur expe[dire], sine tamen preiudicio illorum, qui se iam obligaverunt.

P] Die iovis XIIII[a] octobris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione reverendissimi patris domini archiepiscopi Lugdunensis, requirentis pro officiali et vicario suo scriptore litterarum sacre penitenciarie, placuit supplicacio in forma ut petitur.

Placuit quod dominus episcopus Bellicensis possit auctoritate sacri concilii committere suo vicario seu officiali, quod dispenset cum quodam capellano sue diocesis super irregularitate, quam contraxit se immiscendo divinis.

Super supplicacione abbatum de Lenyn et de Chorin ordinis Cisterciensis diocesis Brandeburgensis placuit avisamentum dominorum de fide in forma.

Quo ad supplicacionem illorum de capitulo Scliniensi, petencium reformacionem illius ecclesie etc., placuit quod committatur venerabilibus viris dominis decano S. Donaciani de Brugis et magistro Thuriano de Praellis canonico Tornacensi, qui realiter et cum effectu reforment procedant et iusticiam faciant.

Placuit supplicacio suffraganei episcopi Monasteriensis, et quod de cetero nulli promoveantur titulares ad ecclesias.

Supplicacio abbatis monasterii S. Marie in Organis de Verona commissa est domino Bartholomeo abbati monasterii SS. Nazarii et Selsi de Verona, qui dispenset cum dicto abbate ut petitur.

Super supplicacione domini de Wiisperch sacri Romani imperii camerarii et domicelle Anne comitisse de Hennenberg, petencium dispensari in quarto gradu super matrimonio iam contracto, placuit quod committatur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui auctoritate concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur.

Relatum est pro parte fidei, ipsam deliberasse de monitorio super articulis concernentibus dominum archiepiscopum Auxitanum oblatis contra comitem Asteriaci. Item quod dederunt facultatem domino auditori

[a)] *so, P.*

dispensandi super iuramento illius, qui retulit bullam continentem symoniam etc. Pro iudice dederunt dominum Papiensem in materiis symonie et pro promotore dominum Thomam.

Quo ad supplicacionem illius scalati in Lausana racione falsitatis contracte in quodam instrumento testamenti placuit, quod domini Bellicensis episcopus et Henrricus auditor super hoc concordent partes, si fieri possit.

Super supplicacione vel controversia inter Johannem Leodegarii et Guillermum de Deserto etc. placuit, quod domini Henrricus auditor et Petrus Corserii habeant audire partes et ipsas concordare, si fieri possit, alioquin referant.

Super causa prebende ecclesie Constanciensis, quia dominus Petrus Corserii in relacione sua processus etc. narravit, quod ante latam sentenciam Fructusmontis dixit, quod in huiusmodi causa erat sibi adiunctus iudex dominus archiepiscopus Corffiensis, de huiusmodi verbis sic prolatis peciit a me instrumentum etc., presentibus dominis cardinali legato, Constanciensi et Lausanensi episcopis, Henrrico auditore et Johanne Pulcripatris.

Quo ad requestam dominorum ducum Slesie placuit, quod committatur episcopo Wratislauiensi ordinario loci, qui se de contentis in huiusmodi requesta summarie se informet, et si sibi constiterit de assertis, monasterium domum fundacionem et erectionem[a], de quibus in requesta fit mencio, auctoritate sacri concilii ratificet approbet et confirmet ut petitur, salvo iure tercii.

PR] Die veneris XV[a] octobris M°CCCC°xxxiiij° in congregacione generali, presidentibus dominis cardinali legato, archiepiscopo Tarentino, episcopo Paduano, assistentibus dominis Rothomagensi Arelatensi et Firmano cardinalibus, patriarchis Anthioceno et Aquilegiensi, medio iuramento more solito fuerunt incorporati frater Paulus Ghiesquiere baccalarius in theologia ordinis Valliscolarium de Montibus in Hasnonia[b] pro prioribus existentibus in diocesi Leodiensi, abbas S. Leonardi Salamantine diocesis ordinis Premonstratensis pro abbatibus eiusdem ordinis in regno Castelle et [Legionis] constitutis, magister Guido de Vercellis pro episcopo Lucionensi, Johannes Kempener[c] pro officio cursoris, magister Johannes Figuli licenciatus in decretis nepos correctoris.

Lecte fuerunt littere domini ducis Sabaudie, concernentes prioratum Paterniaci, cum supplicacione religiosorum illius prioratus, petencium provideri de remedio opportuno circa victum istorum.

[a]) eracionem *P.* [b]) Hasno. *R.* [c]) Kempen *R.*

Concordata[a].

Super supplicacione pro parte illustris principis domini Erici ducis Saxonie, petentis loco reverendi patris domini Foroiuliensis alius surrogetur et quod unus vel duo possint recipere iura et servare terminos, concordant omnes deputaciones, loco domini Foroiuliensis surrogatus est dominus Vticensis, et quod unus vel duo servent ut petitur.

Super supplicacione domini Petragoricensis, petentis auctoritate huius sacri concilii confirmari et eidem de novo concedi certum privilegium a bone memorie domino Innocencio sexto ipsi domino episcopo in favorem ecclesiastice libertatis concesso etc., concordant omnes deputaciones quod concedatur et admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione pro parte dominorum ambassiatorum christianissimi domini regis Francie, petencium auctoritate sacri concilii committi reverendissimo domino cardinali Arelatensi causas concordatorum[1] alias inter bone memorie dominum Martinum papam quintum et christianissimum dominum regem Francie, per eundem dominum Martinum reverendissimis cardinalibus bone memorie S. Marci et S. Eustacii commissas, concordant omnes deputaciones quod auctoritate sacri concilii eo modo committatur quantum ad incorporatos reverendissimo domino cardinali Arelatensi secundum formam commissionis.

Super avisamento tangente visitacionem et procuracionem dominorum prelatorum et aliorum visitaciones habencium huic sacro concilio incorporatorum, concordant tres deputaciones cum huiusmodi avisamento, videlicet quod possint visitare per procuratores et procuraciones recipere etc. Quarta vero, videlicet de pace, requisita expresse contradixit.

Super supplicacione obediencium domino Rabano archiepiscopo Treuerensi et processibus sacri concilii, qui pro collacione decimarum et fructuum suorum habent neccessario participare adherentibus domino Vlrico de Mandescheit[b], petencium ideo per sacrum concilium declarari eos immunes esse ab omni pena et censura nec per participacionem neccessariam ligari, concordant omnes deputaciones quod admittatur ipsa supplicacio et exaudiatur auctoritate huius sacri concilii, sine tamen preiudicio cuiuscunque.

Super supplicacione domini archiepiscopi Lugdunensis, petentis suum officialem et vicarium generalem in civitate Lugdunensi, qui est eciam scriptor penitenciarie sedis apostolice, quamdiu huiusmodi officialatus et vicariatus exercet officia, prefato domino archiepiscopo hic residente et per sex menses post ad personalem residenciam sive exercicium dicti

[a]) *am Rande P, fehlt R.* [b]) Mandesceit *P.*

[1] *s. o. S. 213.*

officii scriptorie minime compelli posse etc.: concordant tres deputaciones quod ob reverenciam dicti domini archiepiscopi admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarte autem, videlicet de reformatorio, non est visum quod sit admittenda.

Super supplicacione concernente reformacionem collegiate ecclesie Scliniensis Tornacensis diocesis concordant tres deputaciones, quod reformacio huiusmodi et illud quod petitur committatur in partibus, et conveniunt[a] omnes iste deputaciones saltim in unum, videlicet in dominum Thurianum[b] de Praellis canonicum ecclesie Tornacensis. Quarta autem, videlicet de pace, instanter requisita non deliberavit.

P] Super supplicacione domini Henrrici de Driden canonici monasterii S. Crucis de Edinburgh ordinis S. Augustini S. Andree diocesis, petentis propter amissionem certarum litterarum apostolicarum super perpetua vicaria ecclesie parrochialis de Faukirk dicte diocesis, quam per octo annos possedit pacifice, litteras super huiusmodi sua peticione per cancellariam expediri sine preiudicio cuiuscunque, constito de expedicione dictarum litterarum facta per cancellariam apostolicam: concordant omnes deputaciones, quod si constiterit de expedicione alias facta per cancellariam curie Romane et de amissione eiusdem, expediantur littere de novo per cancellariam et sub bulla huius sacri concilii. Ille autem de fide et de reformatorio addunt „sine preiudicio cuiuscunque ut petitur.“

Adidem super supplicacione domini Thome Mirton decani Glasguensis, petentis litteras per cancellariam expediri super nova provisione sui decanatus per sanctissimum dominum nostrum Eugenium papam modernum sibi facta, concordant omnes deputaciones quod expediantur huiusmodi littere, dummodo constiterit de signatura ipsius domini nostri pape aut de eius mandato facta.

Super supplicacione domini Natalis abbatis monasterii S. Marie in Organis de Verona, petentis secum dispensari et absolucionis beneficium, si opus fuerit, impendi, quia de concilio medicorum transivit ad balnea sine licencia et ab ipsis crescente infirmitate ad propria remeavit: concordant omnes deputaciones quod committatur domino abbati S. Nazareni de Verona, qui auctoritate sacri concilii ipsum absolvat ut petitur.

Item lecta fuerunt concordata super supplicacione fratris Anthonii abbatis de Castiono Parmensis diocesis unacum supplicacione.

PR] Lectis concordatis suprascriptis, reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii conclusit iuxta concordata dominorum de duodecim et deliberaciones trium deputacionum concorditer deliberan-

[a]) conveniant *PR.* [b]) *offen, R.*

cium, excepto in causa visitacionis, in qua voluit audire dominum abbatem Boneuallis et alios qui voluerint audiri.

Ita tamen quod in causa abbacie de Castrono domino Parmensi adiungantur et fuerunt adiuncti domini Rothomagensis cardinalis et archiepiscopus Turonensis, qui antequam expediant materiam, audiant ad longum dominum vicarium Cluniacensem [a].

Dominus episcopus Capruliensis ut presidens deputacionis reformatorii opposuit se deliberacionibus et conclusioni supplicacionis decani Glasguensis, petens quod remittatur ad cancellariam.

Dominus archiepiscopus Tarentinus se excusavit, quod in precedenti congregacione non conclusit super supplicacione domini abbatis de Castiono.

Item narravit se alias fuisse requisitum per dominum decanum Glasguensem, ut vellet concludere in causa sua; ad que respondit quod nunc est tutus accessus ad curiam Romanam et quod vadat. Nunc vero, si dubitet, offerebat se velle supplicacionem mandare ad curiam Romanam et eam facere signare [b].

Quo ad materiam decani Glasguensis commissa est dominis vicecancellario et aliis officiariis cancellarie, qui bullam suam expediant, si eis videbitur expedienda.

Dominus patriarcha Aquilegiensis per organum domini Francisci de Bossis peciit fieri relacionem per dominos commissarios in sua materia et sibi dari et relaxari monitorium in forma correcta per ipsos dominos commissarios.

Dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii conclusit dicto domino patriarche expediri monitorium in forma, quam domini Rothomagensis vicecancellarius et alii domini deputati in hac materia decreverunt.

Dominus baillivus Austrie, associatus comite Johanne et pluribus aliis militibus et nobilibus, proposuerunt per organum domini officialis Basiliensis, quia posset oriri discordia inter dominos duces Burgundie et Austrie, qui usque nunc servarunt treugas, per aliquos eorum subditos inter se dissidentes, rogarunt quod indiceretur una dieta, ad quam sacrum concilium dignaretur suos dare deputatos ad videndum de bonis modis pacificandi ipsos subditos, ne treuge frangantur.

Deinde dominus episcopus Niuernensis narravit ea que facta sunt contra huiusmodi treugas per aliquos subditos ipsius domini ducis Austrie, excusando dictum dominum ducem Austrie et baillivum eiusdem.

Dixit se esse paratos mittere aliquos de suis collegis ad huiusmodi dietam et manutenere, quod dominus dux Burgundie treugas observabit et obediet mandatis sacri concilii.

[a]) *fehlt, R.* [b]) *fehlt, P.*

Dominus officialis Basiliensis narravit, quod hocidem servaverunt domini dux Austrie et eius baillivus, et si que fuerunt facta per aliquos de suis subditis, sibi displicuit et displicet; eciam aliquos captivarunt de suis propriis. Rogans sacrum concilium, quod adhibeat remedium de huiusmodi dieta indicenda.

Dominus legatus nomine sacri concilii regraciatus est domino duci Austrie, eius baillivo et officiali, rogans quod sicut antea notabiliter se habuerunt, ita se deinceps habeant. Et placuit avisamentum de dieta et videant dicti domini baillivus et alii de dicta dieta etc., placeat eis quod fiat hic in hac civitate.

Lecte fuerunt littere serenissimi domini imperatoris, concernentes causam ducatus Saxonie[a)] et electoratus imperii. Quibus lectis dominus Gregorius peciit causam remitti ad tribunal imperiale, causam mere prophanam in[b)] qua dominus imperator offert se ministrare iusticiam et iam decrevit citacionem, que iam executa est vel exequetur in brevi; conquerendo quod in eadem causa proceditur ad ulteriora per audienciam contradictarum super principali.

Dominus Stephanus de Nouaria replicando dixit, quod domini commissarii solum procedunt super cognicione, an causa sit remittenda vel ne, et non solum super principali, et quod eadem causa non est remittenda propter denegacionem iusticie, quam dominus imperator sepius denegavit, et quia promisit in investitura, se velle defendere et manutenere marchionem in ipso ducatu contra et adversus omnes.

Dominus legatus nomine sacri concilii dixit, quod pars adversa compareat coram dictis dominis deputatis et petant huiusmodi causam remitti et allegent causas suas et exhibeant litteras domini imperatoris.

Domini ambassiatores illustris dominii Venetorum proposuerunt, petentes inter cetera interdictum tolli a monitorio decreto, et quod revocetur monitorium quo ad marchionatum Istrie, quem tenent ex titulo, allegando multas raciones quare monitorium non debebat expediri domino patriarche: primo quia non fuerunt auditi, licet pluries comparuerint coram dominis commissariis; secundo quia dominus patriarcha attemptavit contra inhibiciones factas ne exequeretur vel affigeret huiusmodi monitorium. Et tandem obtulerunt quandam cedulam papiri penes me Bruneti existentem, petentes a domino Odone de Varris prothonotario et nobis notariis instrumentum et instrumenta, prout in eadem cedula continetur.

Lecta fuit supplicacio domini Walrami postulati ad ecclesiam Traiectensem, qua lecta decreta fuit copia eiusdem parti petenti et remissa est ad deputaciones deliberanda.

[a)] Austrie *PR.* [b)] esse in *R.*

Quo ad supplicacionem factam per decanum de Salceya in favorem magistri Guillermi Guerardi placuit, quod supplicacio signata per dominos quatuor precognitores et quatuor deputaciones et deinde per reverendissimum dominum cardinalem legatum in favorem ipsius magistri Guillermi tempore quo non fiebant congregaciones locum habeant perinde, ac si in congregacione generali tunc conclusum foret, sine tamen preiudicio aliarum causarum.

P] Die martis XIX[a] octobris in sacra deputacione pro communibus super materia symonie, scrutatis ad longum singulariter votis dominorum, placuit quod fiat una bona forma decreti et reperiatur unum bonum remedium pro concordia. Et ad hoc cum reverendissimis dominis cardinalibus et presidentibus sacri concilii et deputatis aliarum deputacionum fuerunt deputati reverendissimus dominus archiepiscopus Lugdunensis, episcopus Vessionensis, abbas de Chereto et Henrricus auditor camere.

Quo ad supplicacionem reverendissimi domini archiepiscopi Auxitani placuit avisamentum sacre deputacionis fidei, videlicet quod ex parte sacri concilii fiat monitorium contra ipsum comitem, quatenus infra certum terminum prefigendum desistat ab inceptis et attemptata revocet et reparet, et si non paruerit, citetur per easdem litteras ad comparendum personaliter, declaraturus et allegaturus causas, quare predicta attemptata non teneatur reparare, sub pena excommunicacionis late sentencie, quam ipso facto incurrat, et visurus se declarari incidisse penas; quodsi non paruerit, extunc declaretur excommunicatus et contra ipsum procedatur per reverendissimum dominum iudicem fidei tanquam contra suspectum de fide.

Quo ad requestam domini electi Aretini placuit, quod committatur reverendissimo domino archiepiscopo Lugdunensi, qui si sibi constiterit electionem esse factam de persona ydonea et sufficienti, eam auctoritate sacri concilii confirmet et deffectus suppleat ut petitur.

P] Die mercurii XX[a] octobris in sacra deputacione pro communibus quo ad avisamenta dominorum de duodecim, concernencia articulum symonie, placuerunt in forma, dempto ultimo articulo de iuramento prestando in generali congregacione, ita quod non omittatur materia sedium.

Avisavit sacra deputacio reformatorii, quod in singulis deputacionibus eligerentur quinque de singulis nacionibus et eciam de singulis statibus, quantum fieri commode poterit, ad conveniendum simul cum aliquibus dominis cardinalibus presidentibus domini nostri pape singulis diebus sine interrupcione, quantum melius fieri poterit, et sint exempti ab omni onere, pro dando formas et avisamenta pro reformacione facienda et avi-

sata cum formis quas fecerint mittere ad deputaciones, et quod concludatur secundum vota earum deputacionum.

Et eligantur viri litterati experti exercitati et timentes Deum, et debeant iurare quod non deferent alicui nacioni ordini statui persone nec alium respectum habebunt, nisi ad rectitudinem iusticie et veritatis.

Deputacio pacis retulit deliberasse ut sequitur: ad avisandum de modo providendi circa observacionem decreti de electionibus et aliorum decretorum et referendum fuerunt deputati reverendissimus dominus cardinalis Firmanus et abbas Virziliacensis.

P] Die iovis XXI[a] octobris in sacra deputacione pro communibus super requesta Desiderii Barardi de Fracellis placuit, quod committatur domino episcopo Petragoricensi, qui de contentis in supplicacione summarie se informet et constito de assertis relaxet iuramentum, restituat et alias procedat ut petitur.

Super requesta executorum testamenti bone memorie domini episcopi Cumani, facta relacione per reverendissimum dominum cardinalem legatum, cui alias commissa est, placuit quod huiusmodi requesta concedatur et exaudiatur ut petitur in eadem.

Quo ad requestam domini archidiaconi Glasguensis placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad requestam domini episcopi Nichensis placuit, quod si constiterit huiusmodi litteras sub bulla concilii fuisse expeditas sine deliberacione sacrarum deputacionum et conclusione generalis congregacionis, pro infectis habeantur, et non solum iste, ymo quevis alie expedite et expediende, prout alias in ista sacra deputacione fuit deliberatum, incorporatos concilii concernentes, nisi probaverint illas fuisse legittime expeditas et parte vocata.

Super supplicacione fratrum et canonicorum monasterii ordinis canonicorum regularium provincie Coloniensis, petencium reformacionem etc., placuit quod committatur reverendissimo patri domino cardinali, legato, qui assumptis secum de quibus sibi videbitur, auctoritate sacri concilii statuat ordinet et procedat ut petitur.

Quo ad supplicacionem cleri regni Bohemie, petentis relaxari a non solucione annate seu mediorum fructuum etc., placuit et concessa est huiusmodi supplicacio, ut petitur in eadem.

Super supplicacione illorum utriusque sexus de diocesi Olomucensi, petencium redire ad gremium ecclesie et fidei unitatem, placuit huiusmodi supplicacio et concessa est, ut in supplicacione petitur.

Quo ad requestam Henrrici Ruge, petentis quod iudices procedant[a)]

[a)] quod iud. proc. *wiederholt, P.*

in causa iuxta tenorem secunde supplicacionis, prima non obstante etc., placuit quod remittatur ad cancellariam.

Quo ad controversiam inter magistrum Guillermum de Deserto et Johannem Leodegarii placuit, quod cum domino Henrrico auditore iungantur domini episcopi Constanciensis[a], qui partes concordare habeant.

Placuit quod pro stipendiis cantorum etc. recipiantur pecunie super camera sacri concilii.

Quo ad supplicacionem incorporatorum sacro concilio et officiariorum curie Romane etc. placuit et concessa est supplicacio in forma ut petitur pro incorporatis actu presentibus.

Quo ad supplicacionem Johannis Broquepot clerici Morinensis, petentis quod per procuratorem ipso existente in concilio possit acceptare beneficium et provideri facere etc., placuit supplicacio in forma ut petitur.

PR] Die veneris XXII[a] octobris M°iiij[C]xxxiiij° in generali congregacione, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro, Rothomagensi Arelatensi et Firmano, patriarchis Anthioceno et Aquilegiensi, Lugdunensi Bituricensi Turonensi Auxitano et Cretensi archiepiscopis, Aurelianensi Glasguensi Constanciensi Grassensi et Lausanensi episcopis et pluribus aliis, fuerunt incorporati ambassiatores regis Castelle et Anglie, videlicet ad dextrum latus in altis sedibus post ambassiatores regis Francie prothonotarius et Conchensis, et nobilis doctores et alii in bassis sedibus; in sinistro vero latere post patriarcham Aquilegiensem episcopi Londoniensis et Aquensis, in bassis sedibus comes abbates et priores et ad pedes dominorum episcoporum Londoniensis et[b] [Aquensis] doctores ecclesiastici.

Sequntur nomina predictorum incorporatorum pro parte regis Castelle[c].

Primo dominus Alfonsus Carrillo sedis apostolice prothonotarius, dominus Aluarus de Ysorna[d] episcopus Conchensis, dominus Johannes de Silua vexillifer maior prefati domini regis, dominus Alfonsus Garcie[e] de Sancta Maria legum doctor decanus Compostellanus, dominus Ludouicus Aluari de Paz[f] legum doctor, frater Lupus de Galdo provincialis Castelle in sacra pagina magister, frater Johannes de Currali[g] magister eciam in theologia, dominus Johannes Gundissalui scolasticus Seguntinus[h] secretarius regis.

Sequuntur similiter nomina aliorum ambassiatorum et procuratorum aliquorum prelatorum Castelle in eadem congregacione incorporatorum:

[a]) *so, P.* [b]) et *fehlt, R.* [c]) Sequ.—Cast. *fehlt, R.* [d]) Ysterna *R.* [e]) generalis *R.* [f]) Poz *R.* [g]) Tarrali *R.* [h]) Degunt. *R.*

dominus Gundissaluus episcopus Placentinus, dominus frater Johannes abbas de Lerez procurator archiepiscopi et aliquorum prelatorum provincie Compostellane, dominus Petrus Remigii[a] scolasticus Toletanus procurator domini archiepiscopoi Toletani et domini episcopi Cartaginensis, dominus Petrus de Porres archidiaconus de Camazes procurator domini archiepiscopi Ispalensis, dominus Garsias Martini[a] de Vaamonde[b] archidiaconus de Reyna procurator domini episcopi Legionensis, dominus Ludouicus Gundissalui[a] canonicus Legionensis procurator domini episcopi Ouetensis[c], dominus Johannes Didaci decretorum doctor abbas de Cernatos procurator domini episcopi Burgensis, dominus Alfonsus Garcie[d] legum doctor procurator dominorum archiepiscopi Compostellani et dominorum episcoporum Burgensis et Oxomensis, dominus Petrus de Gusma procurator domini magistri de Calatraua[e], dominus Anthonius Egidii doctor canonicus Conchensis, dominus Nunius[f] Aluari beneficiatus in ecclesia Conchensi in decretis baccallarius, dominus Gundissaluus Johannis canonicus Mindonensis, dominus Petrus Martini presbiter, dominus Petrus Martini de Vaamonde in decretis baccalarius, dominus Fernandus Alfonsi presbiter[g], dominus Rodericus Sanctii de Areualo[a] in legibus baccallarius, frater Petrus de Aguilar in theologia baccallarius, frater Andreas[a] ordinis Minorum in theologia baccallarius, dominus Fernandus Alfonsi de Palentuela presbiter[h], dominus Martinus Fernandi de Caueis Rubeis, dominus Ludouicus Lupi de Sancto Facundo.

Similiter incorporati fuerunt sequentes: dominus Preduogius de Grande prepositus Gnesnensis, Nicolaus[i] Loyseleur prepositus de Ingreyo in ecclesia Carnotensi, dominus Arnoldus de Brughen[k] prepositus metropolitane Rigensis, Wolterus Rauelimode magister in artibus licenciatus in decretis canonicus Tabartensis, Georgius de Placencia pro abbatibus S. Sepulcri et S. Sabini[l] civitatis Placentine.

Incorporatis ut supra predictis dominorum regum ambassiatoribus, quia solum iuramentum prestiterant de fideliter laborando pro honore et statu concilii et de dando bonum et salubre consilium iuxta eorum consciencias, et non iuraverunt de manutenendo decreta huius sacri concilii facta et fienda:

Domini ambassiatores domini Karoli Francorum regis pro se et sibi adherentibus per organum reverendissimi domini archiepiscopi Turonensis requisiverunt ambassiatòres etc., quod similia iuramenta que incorporati

[a]) *bei diesen Namen in P am Rande je ein Punkt, dazu am Rande* Isti punctuati fuerunt incorporati die veneris XXIX[a] sequenti eiusdem mensis octobris. *Diese Worte in R im Text nach* episcopi Legionensis. [b]) Varimonde *R.* [c]) Cracensis *R.* [d]) Gracie *R.* [e]) Calartua *R.* [f]) Azmus *R.* [g]) prior *R.* [h]) dom. Fern.—presb. *fehlt, R.* [i]) N. *P.* [k]) Biughen *R.* [l]) S. Sabine *R.*

concilio hucusque[a)] consueverunt prestare[b)] prestarent, alioquin pecierunt ipsos a iuramentis huiusmodi per eos de manutenendo decreta etc. prestitis relaxari, de quo expresse fuerunt protestati, petentes instrumentum et instrumenta.

Fuit ordinatum et placuit ob reverenciam huiusmodi incorporacionis, quod ista die in generali congregacione non procederetur ad aliquem alium actum etc.

P] Die sabbati XXIII[a] octobris in sacra deputacione pro communibus deputacio pacis retulit deliberasse super avisamento de appellantibus frivole, quod fiat decretum, et placuit huiusmodi avisamentum.

Dominus abbas S. Honorati obtinuit licenciam recedendi a domino Lausanensi presidente, presentibus dominis Jacobo de Attignaco et scolastico Lubicensi etc.

P] Die lune XXV[a] octobris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione fratris Anthonii de Vlphino prioris S. Saluatoris in Ruua ordinis S. Benedicti Viennensis diocesis etc. placuit, quod committatur iudici cause, qui constito de assertis procedat ut petitur.

Deputacio pacis requisivit, quod deputati pro pace Francie conveniant hodie hora iij[a] post meridiem in Augustinensibus, et die crastina hora viij[a] de mane deputati pro decreto causarum conveniant in eodem loco.

Deputacio fidei retulit dedisse deputatos pro pacificacione iuramenti in incorporacione prestari consueti, videlicet episcopum Pharensem, dominum Jordanum Morini, dominum auditorem domini legati et dominum Johannem Celi.

Item quod deputacio pro communibus se velit conformare aliis tribus deputacionibus super provisione danda contra frivole appellantes.

In deputacione pro communibus pro audiencia danda ambassiatoribus serenissimi domini imperatoris et eciam dominis ambassiatoribus sacri concilii noviter venientibus de Boemia etc., videlicet dominis auditori domini legati et prepositis S. Florini et Ratisponensis ecclesiarum, placuit quod reverendissimi domini presidentes die crastina martis xxvj[a] mensis huius habeant indicere congregacionem generalem.

Pro deputacione reformatorii relatum est, ipsam dedisse quatuor electores ad eligendum cum dominis cardinalibus presidentibus et deputatis aliarum deputacionum quinque reformatores de qualibet regione et de omni statu, et sunt deputati reverendissimus et reverendus pater dominus archiepiscopus Turonensis, episcopus Albinganensis, Thomas de Wienna et frater Johannes de Turrecremata.

[a)] huiusmodi *PR.* [b)] prestari *PR.*

Quo ad materiam eligendi reformatores, scrutatis votis dominorum aliquorum[a)], placuit quod differatur.

Dominus Johannes Pringencii archidiaconus in ecclesia Leonensi obtinuit licenciam recedendi tociens quociens sibi videbitur a domino presidente domino Lausanensi.

Adidem magister Johannes de Montemartis pro pecuniis etc. obtinuit licenciam ad partem, timens insidias in via etc.

P] Die mercurii XXVII[a] octobris in sacra deputacione pro communibus placuit, quod in proximo festo Omnium Sanctorum et per octabas eorundem inclusive incorporati et familiares eorundem possint eligere confessorem ydoneum, qui eos absolvat et dispenset in forma in ultimo festo Assumpcionis beatissime Marie per sacrum concilium concessa.

Placuit quod supplicacio Johannis de Orbandis captivati in via etc. comittatur dominis presidentibus, qui provideant de ipsius relaxacione ut petitur etc.

Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim de deputatis dandis ad cedandam controversiam exortam racione iuramentorum etc. placuit, quod dentur deputati, qui tractare habeant hodie et cras concordiam, quodque domini habentes in hac materia scrupulum, in congregacione generali ad plenum audiantur, similiter et respondentes, et si de motivis non possint contentari, dentur deputati. Lubicensis Poznaniensis Rosensis episcopi et abbas de Mulbruno dati fuerunt.

Quo ad secundum avisamentum de frivole appellantibus etc. placuit huiusmodi avisamentum in forma, videlicet quod temere vel frivole seu ante sentenciam diffinitivam appellans, nisi a gravamine vel interloqutoria vim habente diffinitive sentencie, per iudicem appellacionis, si in Romana curia in quindecim, et si extra Romanam curiam in xx florenis de camera pro qualibet sic emissa appellacione puniatur et realiter solvere compellatur.

Quo ad tercium avisamentum super supplicacionibus porrigendis in deputacionibus etc. placuit avisamentum in forma, videlicet quod domini referendarii singularum deputacionum simul conveniant semel in ebdomada die mercurii in uno loco certo et videant supplicaciones huiusmodi et reiciendas reiciant et remittendas ad papam remittant, et illas referant cum avisamento ipsorum super supplicacionibus, quas videbunt debere expediri per sacras deputaciones, sic quod nulle audiantur supplicaciones in deputacionibus, nisi prius vise et deliberate per dominos referendarios, ita quod pauperum supplicaciones anteponantur, et deinde secundum quod eis videbitur expedire et materia supplicacionum exegerit.

[a)] scrut.—aliqu. *wiederholt, P.*

Pro parte deputacionis reformatorii relatum est, ipsam dedisse deputatos unacum dominis cardinalibus et presidentibus pro liberacione Johannis de Orlandis.

Item quod si ambassiatores Romanorum non possint die veneris audiri, quod audiantur die sabbati in congregacione generali.

Domini de deputacione pacis retulerunt, ipsam deliberasse quod domini cardinales et presidentes provideant super controversia cedanda racione iuramentorum et conveniant hodie in Augustinensibus hora tercia post meridiem.

In deputacione pro communibus placuit, quod si ambassiator Romanorum non possit die veneris in congregacione generali audiri, quod die sabbati sequenti fiat congregacio generalis, in qua plene audiatur ad actum huiusmodi etc.

Magister Johannes Pulcripatris requisivit, quod domini de alia obediencia non habeant vocare nacionem Gallicanam reiecta universitate Parisiensi.

Prorogata est licencia decano Cabilonensi usque ad festum Pasche.

Magister Johannes Blondeleti decanus Cathalanensis obtinuit licenciam recedendi a domino episcopo Lausanensi presidente.

PR] Die veneris XXIX[a] octobris M°iiij[C]xxxiiij° in congregacione generali, presidentibus dominis tribus [domini] nostri pape legatis, assistentibus cardinalibus Rothomagensi Arelatensi et Firmano cardinalibus, patriarchis Anthioceno et Aquilegiensi, Lugdunensi Bituricensi Turonensi archiepiscopis, episcopis Pergamensi Papiensi Lausanensi et pluribus aliis etc., fuerunt incorporati medio iuramento magister Nicolaus Hermessent[a] magister in artibus et licenciatus in decretis pro universitate Parisiensi, Rodericus Gundissalui de Gomeldesen prior secularis ecclesie beate Marie de Roa pro Fernando Gundissalui rectore dicte ville de Gomel, Johannes[b] abbas Selzensis.

Lecte fuerunt littere clause domini nostri pape in favorem domini Rodolphi episcopi Traiectensis et abbatis S. Audoeni.[1]

Lecte fuerunt littere domini imperatoris super materia Grecorum et copia littere super hac materia.[2]

Lecta fuit littera magistri Symonis Freron.[3]

Lecte fuerunt littere domini imperatoris super materia ducum Saxonie.

Deinde alie littere concernentes cives Bisuntinos et dominum cardinalem eorum archiepiscopum.[4]

[a]) Hermessel *R.* [b]) Joh. *von Bruneti in Lücke nachgetragen, P.*

[1] *Mansi 30, 853.* [2] *l. c. 859. 861.* [3] *l. c. 865.* [4] *l. c. 858.*

Quibus lectis dominus cardinalis Rothomagensis proposuit, quod a paucis diebus dicti cives in contemptum litis pendentis atrociter interfecerunt tres suos familiares.

Super quo requisivit quod dentur iudices patriarcha Anthiocenus, archiepiscopus Cretensis, Papiensis et Pargamensis episcopi, qui se informent summarie de propositis etc., et si repererint illa esse vera, propter que debeant dari civitas in predam et persone in captivitatem, quod auctoritate sacri concilii huiusmodi processus ad instar processus pape Gregorii xj. fulminent et pronuncient. Quod placuit omnibus et fuit conclusum ita fieri debere.

Nichilominus[a] postmodum placuit, quod hec materia tractetur per deputaciones.

Deinde lecte fuerunt littere regis Portugalie in favorem episcopi Lizbunensis[b] ad cardinalatum etc.

Item littere civitatis Leodiensis.

Item littere ducum Saxonie etc.[1]

Item littere civium Argentinensium, petencium remitti causam suorum civium ad tribunal eorum.

Domini ambassiatores domini imperatoris requisiverunt causas ducum Saxonie et civium Bisuntinorum remitti, facientes de dieta[c] tenenda in festo S. Nicolai[2] Francfordie mencionem.

Concordata[d].

Super materia symonie concordant omnes deputaciones, quod fiat una bona forma decreti et reperiatur unum bonum medium pro concordia, et ad hoc fuerunt deputati pro deputacione reformatorii archiepiscopus Turonensis, episcopus Ebroicensis, magister Dyonisius de universitate Parisiensi et magister Thomas de Wienna; pro communibus archiepiscopus Lugdunensis, episcopus Wessionensis, abbas de Chereto[e] et Henrricus auditor camere; pro pace episcopus Parmensis, prior Chamberiaci[f], Petrus Porres archidiaconus de Canarez[g] et officialis Patauiensis; pro fide episcopus Papiensis, magister Rodolphus de Porta, magister Bernardus ambassiator regis Aragonum et Nicolaus de Cusa[h], qui ab omni alio onere sint exonerati et simul conveniant bis in die feriato et non feriato, usquequo huiusmodi negocium fuerit expeditum. Et eos habeant sollicitare promotores concilii, qui, si opus fuerit, vadant pro absentibus.

[a]) *dieser Absatz fehlt, die nächsten vier oben vor* Quibus lectis *R.* [b]) Lzbuñ *P*, *Lücke R.* [c]) dicta *P.* [d]) *fehlt, R.* [e]) Cerreto *R.* [f]) Camberiaci *R.* [g]) Cauarez *R.* [h]) Coza *P.*

[1] *l. c. 865. 866.* [2] *Dezember 6.*

Super requesta execucionis testamenti bone memorie domini episcopi Cumani etc. concordant omnes deputaciones, quod concedatur et exaudiatur supplicacio in forma ut petitur.

Super requesta dominorum incorporatorum, petencium declarari eos in monitorio artante scriptores et officiales curie ad comparendum in curia sub pena privacionis officii non comprehendi etc., concordant omnes deputaciones quod supplicacio admittatur in forma pro presentibus actu in concilio et absentibus pro negociis sacri concilii et recedentibus habentibus animum redeundi, et si habuerint animum redeundi, duret ad certum terminum.

Super supplicacione porrecta pro parte abbatum monasteriorum de Lenin[a] et de Chorim[b] ordinis Cisterciensis Brandeburgensis[c] diocesis, noviter ad ipsa monasteria electorum, concordant omnes deputaciones quod committatur reverendo patri domino abbati Cisterciensi, qui auctoritate huius sacri concilii electiones, de quibus in supplicacione fit mencio, confirmet supplendo defectus, si qui occasione decretorum huius sacri concilii intervenerint, si alias canonice reperiantur, ut petitur.

Concordant eciam omnes deputaciones, quod domini de sacro concilio et eorum familiares possint in hoc festo Omnium Sanctorum[1] et per octavam eiusdem inclusive eligere confessorem ydoneum, qui eos absolvat eciam in casibus sedi apostolice reservatis, et alias prout in ultimo festo Assumpcionis beate Marie[2] concessum extitit.

Super requesta domini archiepiscopi Auxitani contra comitem Asteriaci concordant omnes deputaciones, quod ex parte sacri concilii fiat monitorium contra ipsum comitem, quatenus infra certum terminum prefigendum desistat ab inceptis et attemptata revocet et reparet; et si non paruerit, citetur per easdem litteras ad comparendum personaliter, declaraturus et allegaturus causas, quare predicta attemptata non teneatur reparare, sub pena excommunicacionis late sentencie, quam ipso facto incurrat, et visurus se declarari incidisse penas; quod si non paruerit, extunc declaretur excommunicatus et contra ipsum procedatur per reverendissimum dominum iudicem fidei tamquam contra suspectum de fide.

Super supplicacione familiarium domini cardinalis Bononiensis, petencium quod absentes a concilio serviciis ipsius domini cardinalis insistentes possint gaudere privilegiis etc., quibus gaudent familiares et continui commensales reverendissimorum dominorum cardinalium in concilio presencium[d]: concordant tres deputaciones quod durante concilio concedatur

[a]) Leym *P*, Lepin *R*. [b]) Corim *R*. [c]) Bambergensis *PR*. [d]) presidencium *R*.

[1] *November 1.* [2] *September 8.*

auctoritate sacri concilii supplicantibus ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, requisita renuit deliberare.

Super supplicacione nobilis Conrardi baronis domini de Winsperg et domicelle Anne comitisse de Hennebergh, petencium cum ipsis dispensari super quarto gradu consanguinitatis etc., concordant tres deputaciones quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, ut cum supplicantibus auctoritate sacri concilii dispenset ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Super materia ecclesie Traiectensis videtur dominis de duodecim, quod quatuor deputaciones concordant in hoc, quod coram duobus aut tribus possint termini observari etc.; de modo autem procedendi non possunt concordare, sed quod legantur deliberata sacrarum deputacionum in hac congregacione, ut si concordent, hoc concludatur.

Ambassiatores dominorum ducum Saxonie requisiverunt causam eorum remitti ad tribunal domini imperatoris, super quo nichil fuit responsum.

Dominus patriarcha Anthiocenus pro dominis, qui habent scrupulum super iuramento prestito per dominos incorporatos, proposuit et concludendo supplicavit, quod domini qui non prestiterunt iuramentum incorporacionis in forma, supplere habeant illud quod est omissum per ipsos etc. Nichilominus super omnibus, quicquid sacrum concilium voluerit ordinare, ordinet etc.

Dominus cardinalis legatus nomine dominorum deputatorum in hac materia respondit ad omnia puncta proposita per dominum patriarcham per legitimas raciones, quibus mediantibus videbatur satisfieri dictis dominis patriarche et aliis etc.

Lectis ut immediate supra concordatis, dominus cardinalis legatus iuxta huiusmodi concordata et deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium ut moris est conclusit.

PR] Die sabbati penultima octobris M°iiij^{C}xxxiiij° in congregacione generali, presidentibus dominis cardinali legato, archiepiscopo Tarentino et Petro episcopo Paduano, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro Rothomagensi Arelatensi, patriarchis et quampluribus dominis episcopis etc.:

Lectis litteris dominorum Romanorum credencialibus, dominus Johannes de Baroncellis eorum ambassiator in ambone existens exposuit credenciam suam et inter cetera aperuit guerras molestaciones et vexaciones, quas pertulerunt Romani, propter quas coacti fuerunt se deffendere et querere pacem. Finaliter supplicavit, ut per sacrum concilium darentur deputati, coram quibus possent exhibere suas instructiones, et qui domini deputati possent eos audire et exaudire etc.

Dominus archiepiscopus Turonensis rogavit eundem proponentem, ut ipse cum omni caritate vellet loqui de sanctissimo domino nostro summo pontifice.

Dominus archiepiscopus Tarentinus respondit ad singula proposita dicti domini proponentis, iustificando sanctissimum dominum nostrum.

PR] Die dominica ultima octobris fuit missa solemnis.

PR] Die lune prima novembris M°iiij^{C}xxxiiij° fuit festum Omnium Sanctorum.

PR] Die martis secunda fuit Commemoracio Fidelium Deffunctorum.

Dominus Johannes de Dik obtinuit licenciam a domino Lausanensi presidente.

P] Die mercurii III^{a} novembris in sacra deputacione pro communibus pro presidente fuit electus dominus abbas de Mulbruno pro isto mense novembris.

Pro dominis de duodecim fuerunt electi domini episcopus Lausanensis, abbas de Placencia et dominus Lambertus continuatus.

Pro custode clavis dominus Gerardus de Columpna, qui prestitit iuramentum.

Pro parte domini imperatoris fuit requisita remissio cause dominorum ducum Saxonie, et specialiter quod dentur deputati domini cardinales et presidentes, qui tractent de materia.

Secretarius domini Aquilegiensis obstante infirmitate sua obtinuit licenciam recedendi.

Pars domini ducis Erici requisivit, quod attento quod in materia ista per congregacionem generalem dati sunt notabiles deputati, quod res maneret in eodem statu.

Dominus prior de Plateria referendarius continuatus est pro isto mense.

Super requesta executorum bone memorie domini cardinalis S. Eustacii etc. placuit avisamentum dominorum de pace in forma cum addicione „eciam si cardinalatus prefulgeat dignitate.“

Super requesta ambassiatorum serenissimi domini imperatoris, concernente remissionem cause dominorum ducum Saxonie etc., placuit maiori parti quod reverendissimi patres domini cardinales et presidentes sacri concilii, vocatis secum dominis commissariis per sacrum concilium in hac causa deputatis, videant de uno bono medio pacis et concordie inter partes, si fieri possit, alioquin videant an sit remittenda vel non.

Super ij° avisamento placuit in forma, videlicet quod domini deputati super materia causarum hodie hora iij^{a} post meridiem conveniant in

Augustinensibus, qui concludant huiusmodi formam decreti et eam mittant ad deputaciones.

Item super iij° avisamento placuit, quod domini deputati super decreto symonie conveniant prout est conclusum.

P] Die iovis IIII[a] novembris in sacra deputacione pro communibus quo ad supplicacionem pauperis sacerdotis de Argentina, diffamati de falsitate etc., placuit maiori parti quod remittatur ad sedem apostolicam.

De supplicacione illorum de diocesi Cabilonensi, qui contraxerunt matrimonium clandestinum etc., adidem remissa est ad sedem apostolicam.

Quo ad supplicacionem ministri Francie ordinis Minorum placuit, quod duo ex dominis iudicibus cause possint observare omnes terminos usque ad sentenciam diffinitivam exclusive.

Quo ad supplicacionem dominorum de capitulo Constanciensi provincie Maguntine placuit, quod dominus archiepiscopus Cretensis alter iudicum cause solus resumat causam et procedat in eadem ut petitur.

Quo ad requestam civis Argentinensis placuit, quod non remittatur, sed fiat iusticia per dominos iudices ut petitur.

Quo ad requestam procuratoris fiscalis, concernentem cives Bisuntinos etc., placuit avisamentum sacre deputacionis reformatorii, ita tamen quod antequam procedatur, quod per sacrum [concilium] mittatur notabilis persona, videlicet dominus episcopus Constanciensis, ad cives Bisuntinos pro reductione eorundem.

Quo ad controversiam inter G[uillermum] de Deserto et Johannem Leodegarii etc., facta relacione per dominum auditorem camere, placuit quod committatur domino archidiacono Metensi iudici cause, qui si sibi constiterit de regalia et consuetudine regalie et quod dictus G[uillermus] non receperit fructus etc. aut dederit causam impediendi eosdem per manum temporalem, procedat summarie et de plano etc. in eadem causa et dictum supplicantem ab impeticione dicti Leodegarii absolvat ut petitur.

Dominus episcopus Londoniensis venit tanquam distribuendus ad deputacionem pro communibus.

PR] Die veneris V[a] novembris M°iiij[C]xxxiiij° in generali congregacione, in qua interfuerunt domini domini presidentes, cardinales Rothomagensis Arelatensis et Firmanus:

More solito fuerunt incorporati magister Radulphus Augur magister in artibus et licenciatus in decretis Parisiensis, magister Symon de Brouilla decanus et canonicus Lingonensis magister in artibus, magister

Johannes Bellaye magister in theologia regens in universitate Auinionensi ordinis Minorum.

Facta collacione brevi per ambassiatores domini regis Polonie etc., et lectis litteris credencialibus ipsius domini regis;

Similiter oblata reverencia sacrosancte universali ecclesie per ambassiatores domini Sigismundi magni ducis Luthffane[a]);

Deinde facta exhortacione de triumphis bone memorie regis Polonie et lectis litteris patentibus et mandato sufficienti: prefati domini ambassiatores nomine regio et ambassiatorio dicti domini ducis magni Luthffanie[a]) etc. sacro concilio fuerunt incorporati, prelati vero in altis sedibus post ambassiatores regis Dacie, in bassis sedibus post ambassiatores regis Anglie.

Deinde dominus cardinalis legatus congratulatus est sancta proposita[b]) dicti domini regis Polonie, laudando eundem dominum regem et eciam regraciando etc., eciam obtulit sacrum concilium ad omnia beneplacita ipsorum regis et ducis.

Prestito iuramento per dominos ambassiatores, fuerunt incorporati.

Lecte fuerunt bulle clause sanctissimi domini nostri pape, concernentes materiam Grecorum, de qua non respondet ad plenum, expectans adventum domini cardinalis S. Crucis[1].

Deinde dominus Tarentinus legit clausulam littere, per quam constat captos esse ambassiatores concilii, qui tractaverunt pacem pro relaxacione domini camerarii et eciam pro pace Romanorum.

Hec materia remissa est ad deputaciones deliberanda.

Concordata[c]).

Super supplicacione procuratoris fiscalis concernente cives Bisuntinos concordant omnes deputaciones, quod attentis enormitatibus in ipsa supplicacione expressis committatur, et si requisiti cives infra tempus breve eis prefigendum ad emendam non veniunt, de quibus fieri debebit reparacio et emenda, constito de assertis et notorietate eorum vel parte que sufficiat, vocatis evocandis, eciam domino cardinali et archiepiscopo, si se partem facere voluerit[d]), procedatur in omnibus ut petitur, reservata potestate iudicibus, quod possint limitare conclusionem, prout de iure fuerit limitanda aut alias eis videbitur faciendum, et fiant littere executoriales cum clausulis opportunis in forma debita. Et ad hoc deputati sunt reverendissimi ac reverendi patres patriarcha Anthiocenus pro deputacione reformatorii, archiepiscopus Cretensis pro deputacione pacis,

[a]) Lithphanie *R.* [b]) regraciatus est facta proposicione *R.* [c]) *fehlt*, *R.* [d]) voluerint *R.*

[1] *Mansi 30, 864.*

episcopus Papiensis pro deputacione fidei et episcopus Vexionensis[a)] pro deputacione de communibus. Quequidem[b)] deputacio de communibus addidit, quod antequam procedatur ad ulteriora in huiusmodi causa, per sacrum concilium mittatur notabilis persona, videlicet episcopus Constanciensis provincie Rothomagensis ad cives Bisuntinos pro reductione eorundem.

Super supplicacione episcopi et capituli ecclesie Augustensis provincie Maguntine, concernente castrum de Zusmegg, concordant omnes deputaciones quod committatur alicui in partibus, qui provideat prout utilitati ecclesie Augustensis videbitur faciendum, et det vicecancellarius iudicem [1].

Super supplicacione Johannis laici et Stephanete[c)] coniugum, petencium dispensari cum ipsis super affinitate spirituali etc., concordant tres deputaciones quod committatur ordinario loci, qui se informet et auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus, prout sibi videbitur. Quarta autem, videlicet pro communibus, remisit supplicacionem ad sedem apostolicam.

Super supplicacione domini Walrami de Moersa in facto ecclesie Traiectensis concordant tres deputaciones, quod procedatur ex officio iuxta tenorem prime citacionis. Notarius autem quarte deputacionis, videlicet de fide, non fecit relacionem deliberacionis ipsius deputacionis, que tamen, ut domini de duodecim ex illa deputacione retulerunt, talis est in effectu, quod hinc ad octo dies utraque pars habeat afferre iura sua in generali congregacione et habeant partes copiam, deinde dentur eis alii octo dies ad dicendum contra puncta huiusmodi et tandem alii octo pro ferenda sentencia et fine imponendo.

Super avisamento contra temere et frivole appellantes sub hac forma: „Cum per avisamentum dominorum de duodecim fuerit missum ad singulas deputaciones, ut deliberarent pro provisione danda contra temere et frivole appellantes, et creditur esse deliberatum in singulis deputacionibus, quod temere vel frivole seu ante sentenciam diffinitivam, nisi a gravamine vel interlocutoria vim habente diffinitive sentencie, [appellans] per iudicem appellacionis, si in Romana curia in quindecim[d)] et si extra Romanam curiam in xx florenis de camera pro qualibet sic emissa appellacione puniretur et realiter solvere compelleretur, quod nondum est execucioni demandatum, propter quod infinite appellaciones frustratorie interponuntur in hoc sacro concilio ad intricandum[e)] pro-

[a)] Vexoniensis *R.* [b)] quiquidem *P.* [c)] Stephonte *R*, Stephête *P.*
[d)] in q'id. *P*, *Lücke R.* [e)] *Lücke, R.*

[1] *Die Bulle des Concils Monumenta Boica 34, 345.*

cessus et ad fugiendum iusticiam, quod cedit in diminucionem honorificencie huius sacri concilii: dignetur igitur hec sancta synodus mandare seu statuere ita debere fieri et servari“ — concordant omnes deputaciones in hoc, quod ipsum avisamentum admittatur in forma ut supra exprimitur.

Super avisamento tangente visitacionem et procuracionem dominorum prelatorum etc. concordant tres deputaciones cum huiusmodi avisamento, videlicet quod possint visitare per procuratores et procuraciones recipere etc. Quarta vero, videlicet de pace, requisita contradixit.

Super supplicacione domini generalis et fratrum de Penitencia beatorum Martirum concordant omnes deputaciones, quod previlegia statuta et consuetudines ipsius ordinis alias observata et observare [solita] per sacrum concilium innoventur et nichil de novo eisdem concedatur.

Super requesta executorum ultime voluntatis bone memorie domini cardinalis S. Eustacii, petencium relaxari et dearrestari certa bona ipsius domini cardinalis dum viveret, existencia in Auinione in manibus Michaelis de Passis arrestata etc., concordant omnes deputaciones quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur, et addatur „quacunque, eciam si cardinalatus prefulgeant dignitate.“

Super requesta reverendi patris domini episcopi Ruthenensis, petentis litteras, si que inveniantur sine deliberacionibus sacrarum deputacionum expedite et in ipsarum expedicione vel saltem execucione ipse dominus episcopus aut eius procurator legitimus vocatus non fuerit, quatenus preiudicium[a] iuris sui et sue ecclesie concernunt nullas et irritas decerni et declarari: concordant tres deputaciones quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione illustrium principum Conrardi Kanthner[b] et Conrardi dicti Awz[c] fratrum germanorum ducum Slesie etc., fundatorum monasterii extra muros Colfluenses[d] Wratislauiensis diocesis pro usu et cohabitacione fratrum Minorum, petencium huiusmodi fratribus licenciam dari huiusmodi monasterium intrandi divinaque ibidem celebrandi et inibi iuxta regulam beati Francisci vivendi etc.: concordant tres deputaciones quod admittatur ipsa supplicacio ut petitur et committatur ordinario loci, sine tamen preiudicio curatorum. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Super[e] supplicacione Tilmanni de Zuchtulen rectoris parrochialis ecclesie S. Quirini Nussiensis Coloniensis diocesis, petentis graciam sibi nuper per reverendissimum dominum cardinalem legatum quo ad dictam

[a]) *fehlt, R.* [b]) Kancher *R.* [c]) Abbz *R.* [d]) Conflañ *(?) P.* [e]) *der Absatz fehlt, R.*

ecclesiam factam, litispendencia contra quendam dominum Marcellum de Noueriis ordinis fratrum Minorum dicte ecclesie occupatorem non obstante, confirmari etc., concordant tres deputaciones quod confirmetur collacio reverendissimi domini cardinalis legati sub bulla huius sacri concilii Basiliensis de data currenti, sine tamen preiudicio tercii, non obstante litispendencia, de qua in ipsa supplicacione fit mencio. Quarta autem, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Lectis superius concordatis, super ipsis[a)] fuit conlusum ut alias, dempta materia visitacionum, que remissa est ad diem martis in generali congregacione, in qua plene audiantur dominus abbas Bonevallis et similiter pars dominorum episcoporum etc.

Lectis concordatis super[a)] supplicacione procuratoris fiscalis concernente cives Bisuntinos et concluso super eadem materia iuxta huiusmodi concordata et deliberata trium deputacionum etc., reverendus pater dominus cardinalis Rothomagensis archiepiscopus Bisuntinus fuit contentus, quod in huiusmodi materia procedatur iuxta deliberacionem sacre deputacionis pro communibus, ita tamen quod prefigatur certus et brevis terminus, infra quem huiusmodi conclusio suum sorciatur effectum et cessent dicti cives a via facti; quod si non sortita fuerit, currat huiusmodi conclusio.

Super materia abbatis de Castiono fuit conclusum ut alias, quod reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis et archiepiscopus Turonensis iungantur cum domino Parmensi et prouideant super confirmacione abbatis, prout eis videbitur; qui huiusmodi onus assumpserunt. Cuiquidem adiunctioni se opposuit vicarius Parmensis pro et nomine abbatis. Et nichilominus si non possint aut voluerint interesse, currat et habeat locum huiusmodi conclusio.

Domini auditor domini legati, prepositus S. Florini, prior Predicatorum Basiliensium et prepositus Ratisponensis per organum dicti domini auditoris de gestis per eos in Ratispona circa materiam Bohemorum et alias suam ad plenum fecerunt relacionem.

Deinde dominus prepositus exhortatus est dominos ad reformacionem.

Instante conventu Predicatorum placuit, quod feratur sentencia excommunicacionis per sacrum concilium contra illos, qui furtive receperunt libros.

Placuit quod dentur deputati ad audiendum compota domini auditoris, et deinde de laboribus assumptis fuit regraciatum.

P] Die sabbati VI[a] novembris in sacra deputacione pro communibus quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim de liberacione

[a)] ipsis—super *fehlt, R.*

dominorum oratorum captivorum etc., si non sint liberati, placuit quod domini cardinales et presidentes et dominus Lugdunensis provideant cum deputatis aliarum deputacionum.

Super secundo avisamento de providendo circa illos capitaneos Italie etc. placuit, quod similiter ipsi domini cardinales et presidentes provideant et scribant eisdem litteras opportunas.

Super iij° avisamento dominorum de duodecim de deputandis, qui eligere debeant reformatores etc., placuit avisamentum in forma, et ad eligendum huiusmodi reformatores fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis, episcopus Londoniensis, abbas de Chereto, decanus Compostellanus et Henrricus auditor camere, qui hodie conveniant hora iij[a] post meridiem in Augustinensibus ad eligendum huiusmodi reformatores et die lune in sacris deputacionibus referant, iuxta avisamentum.

Quo ad ambassiatam mittendam ad dietam Francfordie in proximo festo beati Nicolai [1] etc. et ad eligendum ad hoc fuit nominatus dominus episcopus Vessionensis ambassiator domini regis Dacie et Henrricus Nithardi.

Item placuit quod domini presidentes possint indicere congregacionem generalem ad diem martis proximam vel die lune pro audiencia super visitacionibus.

Quo ad avisamentum dominorum de duodecim super numero et qualitate dominorum cardinalium assumendorum etc., habita copia etc.

Super articulo concernente dominum auditorem domini legati, quod dentur deputati qui audiant eius compota, placuit quod[a)] stetur soli verbo suo, quodque in ipsius favorem scribatur per sacrum concilium sanctissimo domino nostro pape pro ipsius promocione.

Quo ad provisionem domini nostri pape et dominorum cardinalium etc. placuit, quod detur copia.

Quo ad supplicacionem oppidanorum oppidi Darez Wratislauiensis diocesis placuit, quod detur copia parti.

Quo ad requestam decani Cabilonensis, electi in decanum Matisconensem, placuit quod detur dilacio sex mensium ad consenciendum vel dissenciendum huiusmodi electioni.

P] Die dominica VII[a] novembris fuit missa solemnis.

P] Die lune VIII[a] novembris in sacra deputacione pro communibus ad fulminandum processus contentos in prima sessione huius sacri concilii contra invasores et captivantes magistrum S[ymonem] de Theramo

[a)] *folgt getilgt* episcopus *P.*

[1] *December 6.*

et omnes alios venientes ad concilium fuit deputatus dominus episcopus Lubicensis, que materia debeat cras concludi in generali congregacione.

Ad transeundum ad civitatem Bisuntinam ad inducendum cives pro concordia etc. fuerunt deputati reverendus pater dominus episcopus Constanciensis, prior Chamberiaci et eciam cum eisdem decanus Polignaci, nomine concilii transeant ad Bisuntinam[a)], qui facultatem habeant suspendendi interdictum prout eis videbitur, tempore quo ipsi ibidem stabunt pro concordia; et quod hec materia concludatur die crastina in generali congregacione.

PR] Die martis IX[a] novembris millesimo iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali, presidente in ea reverendissimis dominis cardinali legato, Tarentino et Paduano, astantibus[b)] dominis Rothomagensi et Firmano, patriarchis, Lugdunensi Bituricensi Turonensi Rothomagensi et Cretensi archiepiscopis, Aurelianensi Ruthenensi Londoniensi et Aquensi episcopis, comparuerunt et se representaverunt[c)] procuratores domini electi ad ecclesiam Maclouiensem et per organum domini Francisci advocati fuerunt protestati, quod quia domini de capitulo ecclesie Maclouiensis per obitum ultimi eiusdem ecclesie episcopi elegerunt dominum Guillermum abbatem de Belloloco elemosinarium et consiliarium domini ducis Britanie, et dubitantes ne terminus de prosequendis electionibus labi posset, ipsi se representant in hoc sacro concilio ad finem et effectum prosequendi negocium huiusmodi electionis, petentes de huiusmodi protestacione per nos notarios fieri unum et plura instrumenta.

Postmodum lecte fuerunt littere prefati domini ducis Britanie huiusmodi negocium electionis concernentes in favorem prefati electi[1].

Dominus archiepiscopus Turonensis proposuit sub theumate psalmo xxviij[o] „loqutus sum in lingua mea: notum fac[d)] michi, Domine, finem meum.“[2] Dixit[e)] aliqua motiva, quare alias protestatus est, pro eo quia domini ambassiatores dominorum Castelle et Anglie regum plene non prestiterunt iuramenta per prius incorporatos prestari consueta. Respondit ad raciones propositas per dominum cardinalem legatum etc.

Dominus decanus Compostellanus respondit ad proposita domini archiepiscopi Turonensis, dando motiva et raciones iuris, per que non debent astringi ad alia iuramenta quam iuraverunt.

Ad idem respondit episcopus Aquensis, non tanquam ambassiator, sed solum ut episcopus etc., dando raciones.

[a)] nom.—Bis. *in Lücke nachgetragen, P.* [b)] assistentibus *R.* [c)] representarent *P.* [d)] fiat *P.* [e)] dicit *R.*

[1] *Mansi 30, 860.* [2] *Ps. 38, 5.*

Dominus patriarcha Anthiocenus respondit ad dicta et raciones dominorum episcopi Aquensis et decani Compostellani.

Dominus Londoniensis episcopus dixit, quod aliud petere quam quod iuraverunt, frustra est petere, quare supplicavit quod domini de concilio iuramento prestito dignentur esse contenti.

Reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis, propositis causis et racionibus hincinde allegatis, ut cessarent rumores in hac parte, rogavit ut melius procederetur ad ea, propter que concilium est congregatum; hec materia sopiretur.

Hec materia remissa est ad deputaciones per eas deliberanda.

Super controversia inter reverendissimum patrem dominum cardinalem Rothomagensem archiepiscopum Bisuntinum et cives Bisuntinos etc. placuit et fuit conclusum, quod reverendus pater dominus episcopus Constanciensis provincie Rothomagensis, prior Chamberiaci et decanus Polignaci[a)] nomine sacri concilii transeant ad civitatem Bisuntinam pro concordia inter partes, ita quod ipsi domini ambassiatores per tantum tempus, quo vacaverint in prosecucione huiusmodi concordie, possint et debeant suspendere interdictum in civitate et locis, per que contigerit ipsos transire, appositum.

P] Die mercurii X^{a} novembris M^{o}iiij^{C}xxxiiij^{o} in sacra deputacione pro communibus placuit et concessa est supplicacio domini Henrrici Flekel auditoris causarum camere sacri concilii in forma ut petitur.

Relatum est pro parte deputacionis reformatorii, ipsam dedisse deputatos pro concordia inter contendentes de ecclesiis Treuerensi et Traiectensi reverendissimos dominos cardinalem Arelatensem et archiepiscopum Tarentinum presidentem iuxta 2.^{m} avisamentum dominorum de duodecim.

Placuerunt sacre deputacioni pro communibus domini deputati dati per sacram deputacionem de reformatorio, videlicet reverendissimi patres domini cardinalis Arelatensis et archiepiscopus Tarentinus presidens, qui tractare habeant concordiam inter dominos contendentes de ecclesiis Treuerensi et Traiectensi iuxta 2.^{m} avisamentum dominorum de duodecim hodie sacris deputacionibus transmissum.

Quo ad requestam reverendissimi domini Arelatensis placuit maiori parti, quod constito de assertis domini commissarii procedant ut petitur, ita tamen quod dominus Arelatensis procuret dearrestari pecunias arrestatas.

Quo ad supplicacionem dominorum cardinalium placuit et concessa est huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super requesta procuratoris fiscalis, concernente controversiam inter

a) Poligniaci *R.*

reverendissimum dominum cardinalem Rothomagensem archiepiscopum Bisuntinum et cives, placuit huiusmodi supplicacio in forma ut petitur, ita tamen quod pendente tractatu nichil innovetur.

Quo ad numerum dominorum reformatorum etc. placuerunt numerus et persone electorum.

PR] Die veneris XII[a] novembris M°CCCCxxxiiij° in generali congregacione, presidentibus in eadem dominis cardinali S. Angeli, Tarentino et Paduano, assistentibus dominis Arelatensi et Firmano cardinalibus, Johanne Anthioceno et Ludouico Aquilegiensi patriarchis, Amedeo Lugdunensi et H[enrrico] Bituricensi et Cretensi[a)] archiepiscopis:

Medio iuramento prestari solito incorporati fuerunt abbas S. Georgii supra Ligerim Andegauensis diocesis licenciatus in decretis, Glezenetus Terhenna[b)] licenciatus in legibus archidiaconus Cenomanensis[c)], Petrus Pichon cantor et canonicus Maclouiensis, Bertrandus Millon in legibus licenciatus, Humbertus de Birone preceptor S. Anthonii Flandrensis, Guillermus Textoris baccallarius in decretis monachus ecclesie S. Poncii Thomeriarum[d)] prior prioratus conventualis de Cauna Castrensis diocesis.

Concordata[e)].

Super supplicacione reverendi patris domini Odonis de Varris prothonotarii, petentis quod in causis, quas habet contra reverendissimum dominum cardinalem S. Marci et certos alios mercatores, posset summarie etc. procedi, concordant tres deputaciones quod admittatur ipsa supplicacio ut petitur; quarta autem, videlicet de fide, instanter requisita non deliberavit etc.

Super supplicacione eiusdem domini Odonis in causis, quas habet in hoc sacro concilio contra certos detentores castri sui Ciuitatis Lauinie[f)] Albanensis diocesis, petentis etc. quod summarie etc. procedatur, concordant tres deputaciones quod admittatur ipsa supplicacio ut petitur; quarta autem, videlicet de reformatorio, pluries requisita non deliberavit.

Super supplicacione decani Cabilonensis, electi in decanum Matisconensem, petentis sibi prorogari terminum usque ad vj menses ad consenciendum vel dissenciendum huiusmodi electioni: concordant tres deputaciones quod admittatur ipsa supplicacio ut petitur. Quarta autem, videlicet de pace, licet aliqua specificet, non tamen discrepat ab aliis tribus.

Reverendus pater dominus episcopus Vessionensis[g)] ambassiator regis Dacie, propositis et allegatis privilegiis iuribus et imminenciis regnorum regis Dacie, super assignacione locorum sive sedium etc. prote-

[a)] et Cret. *fehlt, R.* [b)] Sletzenetus Thenna *R.* [c)] Senomanensis *R.*
[d)] Pomeriarum *R.* [e)] *fehlt, R.* [f)] Laurine *R.* [g)] Wexoniensis *R.*

status est, quod propter huiusmodi assignacionem locorum nullum preiudicium dicto domino regi nunc vel in futurum generare[tur][a], petendo instrumentum. Huiusmodi protestacionem dare debet in scriptis.

Lectis concordatis superius descriptis, domini presidentes auctoritate sacri concilii concluserunt iuxta concordata et deliberata trium deputacionum.

In materia Gurcensi, instante et requirente electo Gurcensi, placuit et fuit conclusum quod domini iudices et commissarii audiant partes hincinde et iusticiam faciant.

Lecte fuerunt littere civium Bisuntinensium, diffamancium reverendissimum patrem dominum cardinalem Rothomagensem eorum archiepiscopum.

Quibus lectis dominus episcopus Ebroicensis commissarius missus ad examinandum testes in huiusmodi causa retulit ea, que perpetraverunt cives in iniuriam prefati domini cardinalis eorum archiepiscopi.

Magister Johannes nepos magistri Johannis de Vado servitor reverendissimi patris domini cardinalis Rothomagensis a concilio notorie absentis nomine procuratorio eiusdem iniurias illatas per cives in eorum litteris lectis revocavit ad animum, petendo instrumentum.

Item nomine quo supra opposuit se conclusioni generalis congregacionis in illa parte, qua concilium dat facultatem ambassiatoribus missis ad civitatem Bisuntinam pro concordia, quod possint suspendere interdictum, attento quod omnes deputaciones, prout habent ordinaciones concilii, non deliberaverunt, petendo instrumentum etc., requirens sacrum concilium, ut semper eundem dominum cardinalem in sua bona iusticia vellet habere recommissum.

P] Die sabbati XIII[a] novembris in sacra deputacione pro communibus magister Johannes Normani obtinuit licenciam.

Placuit avisamentum dominorum de duodecim, videlicet quod domini deputati eciam in minori numero constituti possint procedere ad incumbencia eis ex iniuncto ipsis officio.

Quo ad requestam germani domini episcopi Ebroicensis super officio camerarie monasterii Crasse Carcassonensis diocesis etc. placuit avisamentum de reformatorio in forma, et pro ista deputacione fuit deputatus commissarius dominus episcopus Bellicensis.

Quo ad materiam electionis ecclesie Maclouiensis fuerunt deputati reverendi patres domini Vessionensis et Pergamensis episcopi, qui cum deputatis aliarum deputacionum procedant ut petitur in supplicacione.

[a]) in futurum preiudicium generare *PR.*

P] Die dominica XIIII[a] novembris fuit missa solemnis.

P] Die lune XV[a] novembris in sacra deputacione pro communibus dominus Aymericus de Harpaione procurator domini episcopi Vabrensis obtinuit licenciam ad tres menses, ita quod loco sui dimittat procuratorem.

Similiter dominus decanus Glasguensis obtinuit licenciam recedendi ad partes.

In causa Wratislauiensi demolicionis dominus Symon de Valle supplicavit, quatenus daretur sibi unus referendarius, qui videret et examinaret supplicacionem per eum alias datam et referat; et quia non est sibi datus referendarius, protestatus est quod nichil fiat in huiusmodi causa, nisi ipso prius vocato.

Missi fuerunt ad deputacionem de fide domini Lausanensis episcopus et Johannes Pulcripatris ad rogandum eos, ut velint se conformare tribus aliis deputacionibus in facto reformacionis generalis, videlicet dare deputatos.

Item similiter placuit quod mittantur alii ad alias deputaciones, quod[a)] deputati ultimo in materia decretorum de symonia et de concubinatu conveniant die crastina de mane hora viij[a] in Augustinensibus.

Item deputati super materia decretorum de exequendis, intrusis et pacificis possessoribus.

In causa Leodiensi placuit quod domini etc. videant et audiant cum deputatis aliarum deputacionum, an causa civium Leodiensium remittenda sit vel non; fuit deputatus dominus Karolus de Teruisio, qui referat[b)] in deputacione.

Ad tractandum concordiam in materia iuramentorum et finem imponendum cum deputatis aliarum sacrarum deputacionum fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis, Londoniensis Vexionensis et Pargamensis episcopi et decanus Compostellanus.

Dominus Franciscus requisivit quod in causa decanatus Baiocensis nichil deliberetur non audita parte.

Super materia decreti de electionibus placuit maiori parti, quod declaretur et aptetur decretum et dentur deputati, qui visis electionibus, si fuerint facte iuxta decreta huius sacri concilii Basiliensis, illas habeant manutenere et in ipsis procedere summarie etc. sola facti veritate inspecta. Et ad hoc sunt deputati Lugdunensis archiepiscopus et episcopus Lubicensis.

Super supplicacione reverendissimi patris domini cardinalis Arelatensis, prioris et conventus monasterii Montis Maioris placuerunt avisamenta dominorum de fide et de pace in forma a tergo scripta, non obstante deliberacione ultimo in deputacione ista facta.

[a)] qui *P.* [b)] referant *P.*

P] Eadem die de sero fuerunt campane pulsate pro restitucione Vrbis et liberacione domini camerarii.

P] Die martis XVI[a] novembris non fuit deputacio.

P] Die mercurii XVII[a] novembris in sacra deputacione pro communibus in causa monasterii Montismaioris et S. Anthonii Viennensis loco absencium iudicum surrogati sunt domini Lubicensis et archiepiscopus Lugdunensis.

In causa officii camerarie monasterii Crasse Carcassonensis diocesis etc. placuit, quod reverendus pater dominus episcopus Bellicensis cum deputatis aliarum deputacionum vocatis vocandis et decretis sacri concilii observatis faciat iusticiam.

Super primo avisamento dominorum de duodecim placuit, quod domini deputati super decretis de symonia, de concubinatu, pacificis possessoribus et intrusis conveniant singulis diebus, donec finis imponatur.

Item quod die crastina fiat missa solemnis iuxta avisamentum etc.

P] Eadem die intravit civitatem Basiliensem dominus cardinalis de Columpna.

P] Die iovis XVIII[a] novembris fuit missa solemnis ad regraciandum Altissimo de restitucione Vrbis in manibus domini nostri pape et de liberacione reverendissimi domini camerarii.

PR] Die veneris XIX[a] novembris M[o]iiij[C]xxxiiij[o] in congregacione generali, presidentibus legatis etc., assistentibus dominis cardinalibus de Cipro, Arelatensi, de Columpna et Firmano:

Ipse reverendissimus dominus cardinalis de Columpna, ratifficando incorporacionem suam per dominum cardinalem S. Petri ad vincula suum procuratorem alias factam, sacro concilio fuit incorporatus.

Similiter episcopi Tiburtinus et Marchicanus[a)], dominus Jacobus Clant, dominus Johannes de Rubo pro ordine S. Johannis Jherosolimitani, Franciscus Rodi, Bartholomeus de Pileo, Angelus de Crapanica[b)], Jacobus de Tibore, Paulus de Ananie.

Lectis litteris credencialibus illustris domini Alberti ducis Austrie, secretarius eiusdem domini huiusmodi credenciam exposuit, inter cetera requirendo, quod in casu quo non fieret concordia inter sacrum concilium et Bohemos, quatenus ipsum concilium velit sibi providere de succursu et subsidio.

Dominus et magister Robertus au Clou[c)] curatus S. Jacobi de

[a)] Marchianus *R.* [b)] Crepanica *R.* [c)] Occlow *R.*

Carnificeriis in sua causa contra priorem sacristam et religiosos S. Martini de Campis, narrato prius processu agitato per dominum patriarcham Anthiocenum, qui ut asseritur nomine domini vicecancellarii, licet fuerit commissarius, signat supplicaciones, protestatus est, quod in casu quo ipse dominus patriarcha signaret aliquas supplicaciones contra eum et in sui preiudicium, quod pro nullis et invalidis habeantur.

Domini oratores Venetorum produxerunt mandatum, petentes per sacrum concilium eisdem dari iudices iuxta modum et formam in quadam cedula per eos oblata contentos.

Dominus Franciscus advocatus domini patriarche ibidem presentis peciit procedi in causa secundum ordinem iuris, scilicet in monitorio, quod procedatur ad declarandum ipsos incidisse in penas contentas in monitorio et ad ferendum sentenciam tanquam super notorio et confesso.

Dominus Johannes Franciscus protestatus est et alia dixit, que debet dare in scriptis, petendo a me et ceteris notariis instrumentum etc.

Dominus cardinalis legatus presidens etc. remisit eos ad deputaciones etc.

Lecto monitorio contra dominos Venetos, dominus Franciscus de Bossis reproduxit huiusmodi monitorium et tria instrumenta, execucionem huiusmodi monitorii concernencia, et unum aliud de lectura et audiencia contradictarum.

Lecte fuerunt littere domini ducis Britanie in favorem electi Maclouiensis[1]. Item lecte fuerunt littere in favorem electi Albiensis[2]. Item supplicacio domini Michaelis[a)] clerici cerimoniarum.

Placuit quod domini abbas de Mulbruno, auditor domini legati et prepositus S. Florini vadant ad Magunciam pro concordia tractanda inter clerum et cives.

Deinde vadant ad Francfordiam in dieta per electores sacri Romani imperii celebranda etc.

Facta relacione de compotis domini auditoris domini cardinalis legati per dominum episcopum Vessionensem[b)], placuit quod de huiusmodi compotis dominus cardinalis legatus nomine concilii faciat et det quittanciam absolutoriam.

Concordata[c)].

Super supplicacione reverendissimi domini cardinalis Arelatensis in facto monasterii Montismaioris, petentis moneri per iudices iam datos in causa dominum abbatem S. Anthonii sub certis penis, quatenus si de

[a)] M. *P.* [b)] Wexoniensem *R.* [c)] *fehlt, R.*

[1] *Mansi 30, 862.* [2] *l. c. 851.*

contentis in supplicacione summaria informacione ipsis constiterit, infra brevem terminum ei prefigendum dicto reverendissimo cardinali administratori, priori et conventui de liquidato satisfaciat, alioquin etc.: concordant omnes deputaciones quod committatur dominis commissariis deputatis, qui constito de assertis in ipsa supplicacione moneant et procedant ut petitur. Illa autem de reformatorio addidit, quod dominus cardinalis vel monasterium Montismaioris faciant dearrestari dictas pecunias, si ad eorum instanciam et non alterius principaliter factum sit huiusmodi arrestum.

Super supplicacione domini Henrrici auditoris camere, petentis ut ipse stando[a] in hoc concilio et ipso durante possit gaudere privilegiis, quibus gaudent auditores presentes in curia Romana etc.: concordant omnes deputaciones quod ipsa supplicacio admittatur in forma ut petitur.

Super supplicacione domini procuratoris fiscalis, petentis in causa Bisuntina per ipsum intentata, ut coram uno ex iudicibus et commissariis in ipsa causa datis et inter eos eligendo possint servari termini usque sentenciam diffinitivam exclusive cum potestate citandi per edictum, qui fuerint evocandi, cum ad eos tutus non pateat accessus: concordant omnes deputaciones quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Illa tamen de communibus addidit, quod nichil innovetur pendente tractatu.

Super supplicacione reverendissimorum dominorum cardinalium in hoc sacro concilio presencium vel in ipsius negociis aut de licencia absencium, petencium quod iuxta alias conclusa per hoc sacrum concilium de iuribus et emolumentis capellorum[b] possint per se aut alium[c] per iuris remedia petere recipere et exigere emolumenta[c] quomodolibet eis debita racione ordinacionis et declaracionis ipsius sacri concilii etc.: concordant omnes deputaciones, quod auctoritate sacri concilii concedatur, ut in ipsa supplicacione petitur.

Super supplicacione[d] Johannis Walt civis Argentinensis in causa matrimoniali concordant tres deputaciones, quod ipsa causa remaneat in hoc sacro concilio et non remittatur et fiat iusticia per iudices iam datos ut petitur; quarta autem, videlicet de reformatorio, pluries requisita non deliberavit.

In causa ecclesie Maclouiensis concordant omnes quatuor deputaciones, quod reverendi patres domini Aurelianensis et Placentinus episcopi pro deputacione fidei, Vexionensis[e] et Pargamensis pro deputacione de communibus, episcopus Parmensis pro deputacione pacis, dominus Rodolphus Rodeshem[f] pro deputacione reformatorii se summarie simpliciter et de plano de contentis in supplicacione informent et in generali

[a]) stante *PR.* [b]) cappellaniarum *R.* [c]) al.—emol. *fehlt, R.* [d]) *der Absatz fehlt, R.* [e]) Wexoniensis *R.* [f]) Rudersheim *R.*

congregacione informacionem habitam referant, quodque coram uno aut duobus ex eisdem possint servari termini usque sentenciam diffinitivam exclusive. Quod autem inhibeatur ut petitur, concordant tres deputaciones, adiecto tamen expresse per illam de reformatorio, si ipsis dominis commissariis de iure visum fuerit inhibendum.

Super supplicacione Petri Compaing et Johannete filie quondam Johannis Compaing civium Aurelianensium, petencium super iiij° consanguinitatis gradu cum ipsis dispensari, ut ipso non obstante matrimonialiter copulari etc.: concordant tres deputaciones quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Desiderii Barardi, petentis ipsum relaxari a iuramento nuper vi et metu incarceracionis prestito per eum etc., concordant tres deputaciones quod committatur reverendo patri domino episcopo Petragoricensi, qui de contentis in supplicacione summarie se informet, et constito de assertis relaxet iuramentum, restituat et alias procedat ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, deliberavit quod ex parte sacri concilii scriberetur domino duci Burgundie, quatenus ob reverenciam sacri concilii tantum faceret erga Johannem de Vi capitaneum, ut liberaret supplicantem et eius fideiussorem, quod si dictus Johannes de Vi non fecerit, reservetur supplicanti actio erga ipsum Johannem racione huiusmodi fideiussionis et liberacionis eiusdem, sic tamen quod ipse supplicans . .[a] huiusmodi fideiussionis quo ad ipsum fideiussorem non relaxetur.

Lectis concordatis dominus cardinalis legatus conclusit iuxta concordata et deliberata trium deputacionum.

P] Die sabbati XX[a] novembris in sacra deputacione pro communibus dominus Hermannus de Reklinhusen canonicus Padeburnensis[b] obtinuit licenciam recedendi a domino presidente deputacionis.

Instante procuratore fiscali placuit, quod concedatur et concessa est facultas dominis deputatis ad fulminandum processus contra invadentes captivantes arrestantes detinentes etc. venientes ad hoc sacrum concilium Basiliense et[c] ab eo recedentes, ut coram altero ex predictis deputatis valeat procedi ad observacionem terminorum et aliorum agendorum expedicionem usque ad sentenciam exclusive perinde, ac si per omnes et coram omnibus extitisset processum; constitucionibus apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

[a]) *ergänze* racione *?* [b]) *folgt* dominus Padeburnensis *P.* [c]) ut *P.*

Quia sacre deputaciones perdunt multum temporis in audiendo et expediendo supplicaciones, et negocia publica, propter que sacrum concilium est congregatum, negliguntur et partes tarde expediuntur, visum est sacre deputacioni pro communibus, quod quatuor dominis precognitoribus adiungatur unus de qualibet deputacione, qui unacum domino vicecancellario, si vacare potuerit, conveniant saltem una die in ebdomada, de qua eis videbitur, et auctoritate sacri concilii audiant partes et expediant omnes supplicaciones fori contenciosi, salvis decretis sacri concilii, excepta causa domini patriarche Aquilegiensis. Et pro ista deputacione fuit deputatus dominus decanus Compostellanus. Ita tamen quod si dominus vicecancellarius non possit aut nolit interesse, possint inter se eligere unum presidentem, quodque si non omnes possint convenire, maior pars eorum possit easdem supplicaciones expedire. Et quod de cetero non intromittantur advocati nec procuratores in deputacionibus. Ita eciam quod huiusmodi facultas non duret nisi solum per iij menses.

Super supplicacione domini episcopi Parmensis placuit, quod de novo concedatur per sacrum concilium id, quod domino supplicanti per dominos duos summos pontifices in supplicacione descriptos concessum est.

Nota quia dominus episcopus Londoniensis dixit votum suum ante dominum archiepiscopum Lugdunensem, dominus Lugdunensis fuit protestatus etc. Adidem decanus Compostellanus. Dominus Londoniensis dixit, quod ipse decanus non poterit docere nec per doctores nec alias, quod rex Castelle debeat precedere regem Anglie etc.

P] Eadem die dominus Aymericus de Harpaione procurator domini episcopi Vabrensis substituit dominum Bernardum Boyssonis licenciatum in legibus etc. Actum in domo mee habitacionis, presentibus Gossel et Robino servitore.

P] Die dominica XXI[a] novembris fuit missa solemnis.

P] Die lune XXII[a] novembris in sacra deputacione pro communibus dominus Franciscus de Bossis advocatus domini patriarche peciit, non admitti in deputacionibus causas pretensorum gravaminum, que pretendunt[a)] ambassiatores illustris dominii Venetorum, et quod non dentur eis iudices in huiusmodi causis, nisi prius auditis in generali congregacione.

In causa Lausanensi loco domini episcopi Foroiuliensis commissa est domino cardinali Firmano.

[a)] prtendunt *P.*

Quo ad supplicacionem prelatorum et canonicorum collegiatarum ecclesiarum Traiectensium placuit, quod committatur domino patriarche Anthioceno et domino decano Compostellano, qui examinent huiusmodi supplicacionem, an sit admittenda vel non, et si sit admittenda, admittant, sinautem reiciant.

Super supplicacione reverendissimi patris domini patriarche Aquilegiensis placuit, quod dentur deputati qui tractent de concordia, si fieri possit, et nichilominus audiant et referant in congregacione generali de die veneris ad octo dies; et pro ista deputacione fuerunt deputati dominus episcopus Lubicensis et decanus Compostellanus.

In materia episcopatus S. Poncii Thomeriarum placuit, quod inhibeatur via facti partibus hincinde et aliis quorum interest etc.

Placuit quod scribatur per sacrum concilium domino comiti Palatino Reni pro custodia religiosorum monasterii de Selzen [a] iuxta supplicacionem domini vicarii Cluniacensis.

In causa electionis S. Poncii Thomeriarum placuit avisamentum dominorum de pace.

Super supplicacione domini Jacobi Gerlini, petentis graciam si neutri et surrogacionis expediri sub bulla sacri concilii etc., placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de reformatorio et de fide, et quod littere expediantur ut petitur, constito de supplicacione signata per sanctissimum dominum nostrum papam vel eius mandato etc.

Ad se informandum de modo expedicionis bulle per symoniam expedite etc. cum deputatis aliarum deputacionum fuit deputatus dominus Jacobus de Attigniaco.

P] Die mercurii XXIIII[a] novembris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione domini decani Rothnacensis placuit, quod committatur loco domini episcopi Niuernensis et commissa est domino cardinali legato, qui procedat ut petitur.

Super supplicacione concernente ecclesiam Mindensem placuit, quod committatur domino episcopo Bellicensi, qui cum deputatis aliarum deputacionum se informet de contentis et procedat ut pe[ti]tur in supplicacione.

In causa civis Argentinensis placuit, quod loco domini archidiaconi Leonensis surrogetur et surrogatus est dominus abbas de Chereto, qui cum deputatis aliarum deputacionum procedat ut petitur.

Super supplicacione prioris et conventus monasterii Valliscolarium Leodiensis diocesis etc. placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui si sibi constiterit quod sit novus census, auctoritate

[a]) Selzen *P.*

sacri concilii tollat eundem censum et exorbitancias, eciam vita comite domini moderni episcopi Leodiensis, ut petitur.

Super supplicacione domini abbatis ordinis Premonstratensis de regno Castelle, petentis conservatoriam etc., placuit et concessa est supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Johannis episcopi Lingonensis placuit, quod committatur reverendo patri domino episcopo Lubicensi, qui cum deputatis aliarum deputacionum procedat ut petitur.

Super supplicacione magistri Roberti au Clou placuerunt avisamenta.

In materia appellacionis fidei placuit avisamentum sacre deputacionis fidei in forma.

Quo ad formas de concubinatu et de causis, lectis huiusmodi formis placuit, quod committatur reverendissimis patribus dominis cardinali legato, archiepiscopo Tarentino, Lugdunensi necnon dominis decano Compostellano et Henrrico auditori camere, qui revideant huiusmodi formas et habeant facultatem addendi mutandi et diminuendi, prout eis videbitur, et eciam concludendi super eisdem, ita tamen quod quilibet volens dare super hoc aliquod motivum, dare poterit, et quod decretum de causis fiat cum clausula irritanti.

Super requesta religiosorum S. Johannis Jherosolimitani placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de reformatorio et de pace, ita tamen quod huiusmodi concessio sacri concilii non excedat vim seu vigorem privilegiorum per summos pontifices ordini concessorum.

PR] Die veneris XXVI[a] novembris M°iiij°xxxiiij° in congregacione generali, presidentibus domini nostri pape interessentibus, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro, Arelatensi, de Colompna et Firmano:

More solito incorporati fuerunt Fredericus Lincgrand[a)] scolasticus ecclesie S. Jacobi Bambergensis, Philippus Bourgoing[b)] canonicus ecclesiarum Cathalaunensis[c)] et Niuernensis[d)] magister in artibus et baccallarius in decretis, Judocus Conet decanus ecclesie collegiate S. Germani in Monte Hanonie, Hugo Sauseris prepositus Venciensis[e)], Emanuel Ouade[f)] canonicus et vestiarius ecclesie cathedralis Nemausensis, Bernardus de Stena baccallarius in decretis canonicus ecclesie[g)] cathedralis Nemausensis[h)] et rector de Salis Albiensis diocesis.

Concordata[i)].

[a)] Lungrandi *R.* [b)] Bourgong *R.* [c)] ecclesie cathedralis *R.* [d)] et nuñ ecclesiarum *P*, et Niv. *fehlt, R.* [e)] Venciensis *R.* [f)] *so (?) von Bruneti korr. und mit* B *beglaubigt aus* Duade *P*, Ouade *R.* [g)] *fehlt, P.* [h)] *mit anderer Tinte (von Bruneti?) korr. in* Nemorcensis *(?) P.* [i)] *fehlt, R.*

Super supplicacione domini Gerardi olim Appamiarum, nunc S. Poncii Thomeriarum provisi, petentis inhiberi via facti etc., concordant tres deputaciones quod sub bulla sacri concilii utrique parti et aliis de quibus videbitur inhibeatur via facti ut petitur. Quarta autem, videlicet de pace, bina vice requisita non deliberavit.

Super supplicacione in causa ecclesie Lingonensis concordant omnes deputaciones, quod remanente reverendo patre domino episcopo Forosinfroniensi[a], cui alias per tres deputaciones causa ipsa commissa fuit, committatur reverendissimo et reverendis patribus dominis cardinali Arelatensi pro deputacione fidei, Lubicensi pro deputacione de communibus et Parmensi episcopis pro deputacione pacis, sic quod coram uno servari possint termini cum potestate eciam citandi per edictum, si et quatenus ipsis expedire videbitur.

Super supplicacione magistri Roberti au Clou[b], petentis signari supplicaciones tam pro parte sua quam pro parte adversa per reverendissimum dominum cardinalem legatum et interdici domino patriarche Anthioceno ne signet etc., concordant tres deputaciones quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui signet ut petitur. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione reverendissimi domini cardinalis Arelatensis in facto monasterii Montismaioris et S. Anthonii concordant omnes deputaciones, quod loco dominorum abbatis S. Honorati et Petri Corserii deputatorum in eadem causa absencium deputentur et surrogentur reverendissimus pater dominus archiepiscopus Lugdunensis et reverendus pater dominus episcopus Lubicensis[c].

Super[d] supplicacione pro parte domini Thome Chate electi Mindensis concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimis patribus dominis cardinali de Cipro pro deputacione pacis, Ebroicensi pro deputacione reformatorii, Bellicensi pro deputacione de communibus et Aquensi episcopis, qui se de contentis in ipsa supplicacione informent; tres concordant quod informacione habita referant ut petitur; quarta autem, videlicet de pace, dicit quod informacione summaria habita iusticiam faciant.

Super supplicacione reverendi patris domini episcopi Lausanensis in causa sue ecclesie Lausanensis concordant omnes deputaciones, quod loco reverendi patris domini episcopi Foroiuliensis absentis surrogetur reverendissimus pater dominus cardinalis Firmanus, et quod unus aut duo ad alia ad hoc neccessaria, servatis dumtaxat terminis in curia

[a]) Foroiuliensí *R.* [b]) Occlow *R.* [c]) R. p. domini Lugdunensis et Lubicensis episcopus *P.* [d]) *der Absatz fehlt, R.*

Romana in causis summariis servari solitis, usque ad relacionem exclusive procedere possit sive possint.

In causa S. Poncii Thomeriarum concordant tres deputaciones, quod valeant termini observati, non obstante conclusione in generali congregacione non facta, dum tamen alias sint rite et legitime observati, quodque loco reverendi patris domini episcopi Vticensis surrogetur reverendus pater dominus abbas Virziliacensis. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Stephani N.[a] presbiteri curati parrochialis ecclesie de Gnuliaco Bellicensis diocesis, petentis causam irregularitatis committi domino episcopo Bellicensi etc., concordant omnes deputaciones quod reverendus pater dominus episcopus Bellicensis etc. possit auctoritate sacri concilii committere suo vicario seu officiali, quod dispenset cum supplicante ut petitur. Addit tamen illa de fide „sine preiudicio iuris quesiti.“

In[b] causa domini Ottonis olim episcopi Constanciensis et capituli ipsius ecclesie Constanciensis concordant omnes deputaciones, quod reverendus pater dominus archiepiscopus Cretensis solus in causa procedat resumat etc., ut petitur in eadem etc.

P] Die sabbati XXVII[a] novembris in sacra deputacione pro communibus in causa Mindensi placuit, quod unus ex iudicibus teneat terminos et procedat usque ad sentenciam diffinitivam inclusive.

In materia monasterii Selzensis placuit, quod dominus cardinalis legatus videat et procedat ut petitur; placuit tamen, quod audita supplicacione nobilium, quod suspendatur signatura quousque fuerit cognitum de causa appellacionis.

Super supplicacione consulum oppidi de Odachaug Vratislauiensis diocesis commissa fuit domino officiali Monasteriensi, qui supplicacionem videat examinet et referat.

Super materia decreti de electionibus placuit, quod deputati ad declarandum huiusmodi decretum referant in deputacione.

Super avisamentis domini cardinalis legati, primo quo ad responsionem dandam nobilibus in materia monasterii Selzensis, placuit quod ipse dominus cardinalis legatus necnon domini episcopus Rozensis, auditor camere et Guillermus de Constancia videant de responso eisdem nobilibus dando et primum se informent de modo in processu tento.

Item placuit quod causa appellacionis in huiusmodi materia committatur, cui vel quibus dominus vicecancellarius duxerit committendum, quodque scribatur ambassiatoribus sacri concilii in dieta Francfordie, ut

[a]) *fehlt, R.* [b]) *der Absatz fehlt, R.*

exhortentur dominos principes in dicta dieta congregatos, ut eosdem nobiles exhortentur, quod non scribant amplius sacro concilio similes litteras, et mittatur eisdem ambassiatoribus copia littere heri in congregacione generali lecte.

Quo ad ij^{m} avisamentum de dilacione danda illis de Alamania, qui non solvunt semidecimam etc., placuit quod committatur et commissa fuit reverendissimo domino cardinali legato, qui proroget absolvat et provideat, prout sibi videbitur.

De quittancia vero danda domino legato placuit, quod detur huiusmodi quittancia.

P] Die dominica XXVIII^{a} novembris fuit missa solemnis.

P] Die lune XXIX^{a} novembris in sacra deputacione pro communibus nobiles consanguinei abbatis et monachorum monasterii Selzensis incarceratorum obtulerunt supplicacionem, quod incarcerati huiusmodi adducantur sub bona caucione iuxta signaturam reformatorii, alias protestati sunt, prout in requesta etc., petentes instrumentum.

In causa ecclesie Maclouiensis placuit, quod domini commissarii in hac causa etc. habeant facultatem citandi in concilio et extra.

Quo ad supplicacionem nobilium amicorum abbatis et monachorum monasterii Selzensis incarceratorum etc. placuit, quod domini pridie deputati videant, si sint adducendi ad concilium, et si sic, provideant de sufficienti caucione.

Quo ad requestam domini vicarii Maguntini placuit, quod committatur reverendo patri domino episcopo Vexionensi et Henrrico auditori, qui videant et referant.

P] Die mercurii prima mensis decembris M^{o}iiij^{C}xxxiiij^{o} in deputacione pro communibus placuit, quod unus iudicum deputatorum in causis datis contra captivantes detinentes et arrestantes venientes ad concilium et recedentes ab eodem ceteris absentibus possit tenere terminos usque ad sentenciam exclusive etc.

Pro presidente fuit electus dominus Johannes doctor de Anglia.

Pro dominis de duodecim fuerunt electi domini episcopus Vexionensis, abbas de Chereto continuatus et dominus Guillermus doctor de Anglia.

Pro referendario fuit nominatus dominus Jacobus de Attigniaco.

Pro clavigero fuit continuatus dominus Gerardus de Columpna.

Ad eligendum iudices fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis, abbas de Verona et Henrricus Nithardi.

Pro precognitore fuit electus dominus Lubicensis episcopus.

Quo ad requestam domini vicarii Maguntini, concernentem remissionem cause prophane domicellorum de Fribourch etc., audita relacione per dominos episcopum Vexionensem et Henrricum auditorem ad hoc deputatos et scrutatis votis, placuit maiori parti quod huiusmodi causa, que mere prophana est, ad forum suum remittatur.

Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim de supplicacionibus audiendis etc. placuit deliberacio alias super huiusmodi supplicacionibus ultimo capta; de aliis graciam concernentibus placet avisamentum, dempta causa irritantis [a].

Quo ad ij^{m}, quod naciones congregentur et scribant provinciis, quod mittant notabiles doctores ad sacrum concilium etc., placuit huiusmodi avisamentum in forma.

Quo ad iij^{m} avisamentum, quod non interrumpantur vota quodque nulle materie proponantur prima non expedita etc., placuit eciam avisamentum.

P] Die iovis II^{a} decembris M^{o}iiij^{C}xxxiiij^{o} in sacra deputacione pro communibus quo ad requestam fratris Andrigeti Donati ordinis fratrum Heremitarum S. Augustini, petentis intrare ordinem beati Benedicti etc., placuit et concessa est supplicacio in forma ut petitur.

Quo ad requestam fratris Detleui ordinis nunc S. Benedicti et ante per xxx annos ordinis Minorum, petentis in dicto ordine S. Benedicti remanere etc., placuit quod committatur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui provideat et dispenset ut petitur.

Quo ad causam ecclesie Traiectensis placuit, quod loco domini abbatis S. Theof[r]idi surrogetur dominus abbas Virziliacensis.

Placuit supplicacio familiarium bone memorie domini cardinalis S. Eustacii in forma, ut petitur in supplicacione.

Super supplicacione domini cardinalis Rothomagensis placuit avisamentum sacre deputacionis fidei in forma in supplicacione appositum.

Super supplicacione dominorum ducum Slesie placuit, quod committatur in partibus domino episcopo Cracouiensi, qui procedat ut petitur in supplicacione.

Quo ad requestam germani domini episcopi Ebroicensis super officio camerarie etc. placuit, quod reverendus pater dominus episcopus Bellicensis cum deputatis aliarum deputacionum vocata parte procedat et iusticiam faciat.

Quo ad requestam oblatam pro parte domini Johannis possessoris ecclesie Lausanensis scrutatis votis dominorum placuit, quod domini com-

[a]) irritañ *P.*

missarii in huiusmodi causa deputati procedant in eadem causa iuxta commissionem per sacrum concilium eis factam.

Quo ad requestam Johannis de Alpach armigeri et Anne de Torn mulieris, petencium dispensari super matrimonio iam contracto, non obstante cognacione spirituali etc., placuit quod committatur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur.

Super requesta nobilis Johannis Casonis Anglici domicelli, petentis super votis dispensari etc., placuit quod committatur in partibus alicui probo viro, qui dispenset ut petitur.

PR] Die veneris III[a] decembris M°iiij[C]xxxiiij° in congregacione generali, presidentibus dominis legato cardinali, Tarentino et episcopo Paduano, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro Arelatensi et Firmano, duobus patriarchis etc.:

Fuerunt incorporti Martinus Queseel magister in artibus et baccallarius in theologia canonicus Niuernensis [a], prior monasterii de Passeleto ordinis S. Benedicti Glasguensis diocesis, magister Dauid Petit [b] baccallarius in decretis canonicus Nochensis, dominus Johannes Retre [c] prebendatus ecclesie Daer [d] et est [e] dignitas.

Lecte fuerunt littere sanctissimi domini nostri pape super consensu per eundem dominum nostrum papam in materia Grecorum prestito etc.[1]

Item lecte fuerunt littere domini cardinalis de Vrsinis super materia Grecorum[2].

Item lecte fuerunt littere credenciales dominorum cardinalium S. Crucis et S. Petri legatorum concilii.

Quibus lectis magister Symon Freron legatus concilii sub theumate „Solvite et aducite michi“ etc.[3] de gestis per eum nomine concilii apud sanctissimum dominum nostrum papam ad longum suam fecit relacionem.

Concordata [f].

Super avisamento dudum per dominos de duodecim sacris deputacionibus transmisso, materiam decreti de electionibus concernente etc., concordant tres deputaciones in hoc, quod de qualibet deputacione dentur deputati, qui videant de huiusmodi provisione danda et referant in deputacionibus. Et ad hoc nominati fuerunt reverendissimi ac reverendi patres domini cardinalis Firmanus et abbas Virziliacensis pro deputacione pacis, archiepiscopus Lugdunensis et episcopus Lubicensis pro deputacione

[a]) Nuduensis *R.* [b]) *fehlt, R.* [c]) Reter *R.* [d]) *Lücke, R.* [e]) Daer et est *korr. aus* Daerreñ *P.* [f]) *am Rande P, fehlt R.*

[1] *Mansi 30, 874. Rainald 1434 § 17.* [2] *Mansi 30, 876.* [3] *Matth. 21, 2.*

de communibus, episcopus Papiensis, Cisterciensis et Boneuallis abbates et magister Jordanus Morini pro deputacione fidei. Quarta autem deputacio, videlicet illa de reformatorio, requisita remisit ad dominos pro generali reformacione nuper deputatos.

Super requesta nuper per procuratorem fiscalem super fulminandis processibus contra impedientes et captivantes venientes ad hoc sacrum concilium etc. per sacras deputaciones porrecta et in generali congregacione conclusa concordant omnes deputaciones, quod coram uno ex dominis deputatis valeat procedi ad observacionem terminorum et aliorum agendorum expedicionem usque sentenciam exclusive, non obstantibus quibuscunque.

Super supplicacione pro parte reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis archiepiscopi Bisuntini, petentis aliquibus prelatis sacri concilii committi, ut de veritate et falsitate[a] contentorum in certa littera nuper pro parte rectorum et civium civitatis Bisuntine transmissa et in generali congregacione lecta se informent etc., concordant omnes deputaciones quod committatur dominis nuper in causa per procuratorem fiscalem proposita [deputatis] et eorum cuilibet, qui ut petitur procedant ac se informent et referant, ita tamen quod supersedeatur in ista causa, quousque sciatur de intencione domini episcopi Constanciensis et aliorum apud cives Bisuntinos ex parte sacri concilii missorum, et eciam de voluntate reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis archiepiscopi Bisuntini, ne forte impediatur tractatus pacis.

Super supplicacione pro parte magistri et conventus Rodi hospitalis S. Johannis Jherosolimitani, petencium privilegia de conferendis beneficiis ipsis concessa etc. confirmari, concordant tres deputaciones in hoc, quod beneficia ordinis conferantur tantum per magistrum et conventum, secundum quod eis concessum est per summos pontifices, et quod illa talis concessio auctoritate sacri concilii confirmetur. Quarta autem, videlicet de fide, idem concessit habita reformacione ipsius ordinis.

Super[b] supplicacione Johannis Walt civis Argentinensis concordant omnes deputaciones, quod loco domini archidiaconi Agnensis absentis surrogetur reverendus pater dominus abbas de Chereto, qui cum deputatis aliarum deputacionum procedat ut petitur.

Super requesta pro parte [abbatis] ordinis Premonstratensis in dominio regis Castelle constituti, petentis iudices conservatores perpetuos etc., concordant tres deputaciones quod admittatur ipsa supplicacio ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, concessit huiusmodi iudices conservatores ad decennium.

[a]) et fals. *fehlt, R.* [b]) *der Absatz fehlt, R.*

Super supplicacione prelatorum et canonicorum collegiatarum ecclesiarum Traiectensium et eisdem adherencium, petencium certas litteras exhorbitantes contra ipsos impetratas examinari etc., concordant tres deputaciones quod reverendissimus dominus patriarcha Anthiocenus, abbas Virziliacensis, decanus Compostellanus, magister Henrricus Rascop et dominus Franciscus de Lacruce huiusmodi supplicacionem videant et examinent, et si sit admittenda, admittant, sinautem reiciant. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Super[a)] supplicacione Johannis de Alpach armigeri et Anne de Torn coniugum Maguntine diocesis, petencium super cognacione spirituali cum ipsis dispensari etc., concordant tres deputaciones quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus dispenset, prout sibi videbitur. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Super supplicacione decani ecclesie Rothnacensis[b)] Cameracensis diocesis concordant omnes deputaciones, quod in facto reformacionis sue ecclesie loco domini episcopi Niuernensis a loco huius sacri concilii absentis committatur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui procedat ut petitur.

In causa ecclesie Maclouiensis concordant tres deputaciones, quod domini commissarii in ipsa causa iam dati habeant facultatem citandi in concilio et extra. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Conclusum[c)] fuit super illo concordato die veneris X[a] decembris eiusdem mensis, licet sit hic insertum.

Super supplicacione concernente reformacionem certorum monasteriorum canonicorum regularium ordinis S. Augustini provincie Coloniensis concordant omnes deputaciones, quod reverendissimi ac reverendi patres dominus cardinalis legatus pro communibus, patriarcha Anthiocenus pro reformatorio, episcopus Papiensis, Cisterciensis et Bonevallis abbates pro deputacione fidei, episcopus Lectorensis et abbas Virziliacensis pro deputacione pacis de contentis in eadem se informent et auctoritate sacri concilii statuant ordinent et procedant ut petitur.

Super materia ecclesie Lausanensis concordant omnes deputaciones, quod duo aut unus ex commissariis alias datis, quicunque sint, ad quoscunque actus iuxta seriem et tenorem prime commissionis sive citacionis in hac causa facte procedant ut petitur, non obstante commissione in hac causa ultimo signata et conclusa.

[a)] *der Absatz fehlt, R.* [b)] Rothomagensis *R.* [c)] Concl.—insertum *nur P, am Rande.*

Lectis concordatis dominorum de duodecim, domini presidentes concluserunt super eisdem, dempta causa Maclouiensi.

Item concluserunt super semidecima etc., quod reverendissimus pater dominus cardinalis legatus habeat facultatem procedendi absolvendi et dispensandi quo ad illos de Almania.

Item quod habeat quittanciam a concilio etc.

P] Die sabbati IIII[a] decembris in deputacione pro communibus super requesta magistri Johannis Mauloue etc. placuit, quod constitucio, de qua fit mencio in requesta, per testes probetur et probata admittatur, ut petitur in supplicacione.

Super requesta abbatisse et sororum secularium SS. Fabiani et Feli[cis] Argentinensis diocesis placuit, quod committatur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui confirmet ut petitur.

Quo ad requestam domini episcopi Tiburtini placuit avisamentum sacre deputacionis fidei, videlicet quod concedatur supplicacio in forma iuris, ita tamen quod non comprehendatur sanctissimus dominus noster papa et servetur honor ipsius. Placuit eciam quod super hoc in favorem ipsius domini Tiburtini scribatur domino nostro etc.

Lectis formis per dominos deputatos avisatis super decreto contra concubinarios et de non evitando ligatos a iure etc., scrutatis singulorum votis dominorum, placuerunt huiusmodi forme.

P] Die dominica V[a] decembris fuit missa solemnis.

P] Die martis VII[a] decembris hora iij[a] post meridiem in sacra deputacione pro communibus quo ad requestam abbatisse et monialium S. Trinitatis de Cadomo provincie Rothomagensis, petencium conservatoriam, placuit quod detur conservatoria ad decennium.

Quo ad requestam Gerardi Steueni et Gertrudis eius uxoris oppidanorum oppidi Gransei, petencium dispensari super matrimonio contracto etc., placuit quod committatur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui auctoritate concilii dispenset cum supplicantibus, prout sibi videbitur.

Lectis formis decretorum de festis colendis et de interdictis etc., placuit quod die crastina hora iij[a] post meridiem habeatur copia.

P] Die mercurii VIII[a] die Concepcionis non fuit deputacio.

P] Die iovis IX[a] decembris in sacra deputacione pro communibus quo ad formam decreti de festis colendis etc. placuit maiori parti forma huiusmodi decreti, ita tamen quod tollatur illa clausula in fine, ubi dicitur „eciam sub pretextu cuiuscunque representacionis aut devocionis“ etc.,

quodque festum Resurrectionis et eciam Pentheconstes habeat duos dies sequentes. Eciam addantur festa S. Mathie apostoli[1], S. Nicolai confessoris[2] et unum festum S. Crucis[3] et dies Veneris Sancta.

PR] Die veneris X^{a} decembris M^{o}iiij^{C}xxxiiij^{o} in congregacione generali, presidentibus dominis legatis, cardinalibus de Cipro Arelatensi et Firmano assistentibus:

More solito incorporati fuerunt domini Johannes de Hungaria pro episcopo Quinqueecclesiensi, dominus Nicolaus Gehe licenciatus in legibus adiunctus ambassiatoribus domini Karoli Francorum regis, dominus Raymundus Taloni[a)] decretorum doctor prepositus ecclesie Folquaquerii, dominus Ludouicus de Marchionibus de Romeniano legum doctor archidiaconus Taurinensis domini nostri pape[b)], dominus Johannes Oliue cantor ecclesie Abrincensis magister in artibus, dominus Judocus Quadraw ordinis Theutonicorum, dominus Johannes Fenant canonicus Baiocensis et archidiaconus Rigensis, magister Laurencius le Berruier[c)] decanus Baiocensis, frater Oliuerius de Sales baccallarius in decretis prior prioratus S. Spiritus Baiocensis diocesis ordinis S. Augustini, Yuo Anahubo canonicus ecclesie collegiate S. Felicis de Cata.^{ne}, dominus Angelus de Perusio utriusque iuris doctor.

Lecte fuerunt littere nonnullorum canonicorum ecclesie Albiensis in preiudicium electi[4].

Item littere [archi]episcopi Aquensis in favorem prepositi Folquaquerii.

Item littere obediencium domino Walramo[5].

Post cuius lecturam obedientes huiusmodi per organum cuiusdam canonici regularis narravit pericula et dampna, que passi sunt racione domini Rodolphi, et eciam gesta per dominum episcopum Ambianensem tunc episcopum Matisconensem.

Dominus archiepiscopus Tarentinus, quia proponens tetigerat honorem domini nostri, excusavit ipsum dominum nostrum.

Item fuit assignata dies ad primam congregacionem ad respondendum propositis magistri Stephani[d)] etc.

Concordata[e)].

Super materia appellacionis fratris Petri Wichman sacre theologie professoris ordinis Predicatorum, per dioceses Wladislauiensem Culmensem Pomezaniensem Warmiensem[f)] heretice pravitatis inquisitorem[g)], in materia fidei contra fratrem Andream Phaffendorf ordinis beate Marie

[a)] Talloni *R.* [b)] *fehlt ein Wort PR, vielleicht* subdiaconus *oder* acolitus. [c)] Verriuer *R.* [d)] Ste *P.* [e)] *fehlt, R.* [f)] Wormaciensem *R.* [g)] *Lücke, R.*

[1] *Februar 24.* [2] *Dezember 6.* [3] *Mai 3, September 14.* [4] *Mansi 30, 877.* [5] *l. c. 866.*

Theutonicorum, concordant omnes deputaciones quod committatur dominis episcopo Dignensi, magistro Radulpho de Porta et domino inquisitori Maguntino, qui summarie procedant et iusticiam faciant, quodque coram altero ipsorum possent servari termini.

Super supplicacione reverendi patris domini Oddonis de Varris sancte sedis apostolice prothonotarii, petentis gaudere privilegiis incorporatorum ab eo tempore, quo istud sacrum concilium fuit inchoatum, perinde ac si ab inicio ipsius sacri concilii fuisset incorporatus, concordant omnes deputaciones quod ipse dominus Oddo prothonotarius gaudeat privilegiis iuribus et libertatibus suppositorum sacri concilii perinde, ac si in principio concilii eidem concilio incorporatus extitisset, sine tamen preiudicio tercii.

Similiter super supplicacione eiusdem domini Oddonis, petentis quod fructus commoda honores et emolumenta, que de [officiis] prothonotariatus et scriptorie penitenciarie percipere consuevit et perciperet ac percipere posset, ac si actualiter in curia Romana dicta officia excerceret, hic in loco sacri concilii percipere posset etc.: concordant omnes deputaciones quod concedatur et concessa est supplicacio huiusmodi in forma ut petitur.

Super supplicacione magistri Johannis Mauloue licenciati in legibus, christianissimi regis Francorum in suo parlamento consiliarii, super canonicatu et prebenda ecclesie beatissimi Martini Turonensis etc., petentis certam regulam cancellarie de litteris expediendis infra certum terminum etc. posse probari per testes, concordant omnes deputaciones, quod huiusmodi constitucio seu regula cancellarie, de qua in ipsa supplicacione fit mencio, per testes probetur et probata admittatur, ut in supplicacione ipsa continetur.

Super requesta reverendi patris domini episcopi Parmensis, petentis litteras super certis signaturis per felicis recordacionis dominum Martinum papam quintum et dominum Eugenium papam modernum in forma cum clausulis opportunis sub bulla sacri concilii expediri etc., concordant omnes deputaciones quod expediatur supplicacio huiusmodi ut petitur et eciam de novo per sacrum concilium concedatur id, quod est concessum per predictos summos pontifices, si sit opus.

Super[a] supplicacione pro parte fratris Benedicti de Luponibus monachi monasterii S. Marie de Aquafrigida ordinis Cisterciensis Cumane diocesis, petentis secum dispensari, et quod tempore guerrarum cuidam languenti apostheuma[b] aperuit, morte postmodum subsecuta, non obstante ad sacros ordines promoveri possit et in eisdem ministrare etc.: concordant tres deputaciones quod committatur suo superiori, qui absolvat dis-

[a]) *der Absatz fehlt, R.* [b]) a apostheuma *P, lies* apostema.

penset et concedat ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super requesta prioris et conventus beate Marie in Insula civitatis Leodiensis ordinis Valiscolarium sub regula beati Augustini degencium, petencium certa onera per episcopum Leodiensem ipsis imposita tolli etc., concordant tres deputaciones quod huiusmodi supplicacio admittatur in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, commisit reverendissimo domino cardinali legato, qui si sibi constiterit quod sit novus census, auctoritate sacri concilii tollat ipsum censum, eciam vita comite [a] domini moderni episcopi Leodiensis.

Super supplicacione reverendi patris domini episcopi Tiburtini, petentis certas causas iniuriarum sibi latarum etc. committi alicui ex reverendissimis dominis cardinalibus in hoc loco sacri concilii presentibus, concordant omnes deputaciones cum signatura reverendissimi domini patriarche Anthioceni vices gerentis reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis vicecancellarii et dominorum precognitorum sub hac forma: audiat reverendissimus pater dominus cardinalis de Cipro, et constito summarie de assertis, moneat ut petitur sub censuris ecclesiasticis, citet et declaret, si et prout de iure.

Super [b] supplicacione magistri Guillermi Gerardi, petentis absolucionis beneficium sibi impartiri ac restitui etc., concordant tres deputaciones quod iudex cause constito de assertis supplicantem restituat et absolvat, commissione de qua in supplicacione fit mencio et aliis quibuscunque non obstantibus, prestito tamen per ipsum supplicantem caucione et reservacione expensas in fine litis refundendi. Quarta autem, videlicet de communibus, quatuor vicibus et ultra requisita non deliberavit.

Super supplicacione Johannis Brassart archipresbiteri parrochialis ecclesie beate Marie ad fontes Leodiensis diocesis familiaris et capellani in capella serenissimi domini imperatoris huic sacro concilio incorporati, petentis gaudere eisdem privilegiis stando cum ipso serenissimo domino imperatore et sibi serviendo, ac si presencialiter in hoc loco sacri concilii resideret etc.: concordant tres deputaciones quod supplicans gaudeat omnibus et singulis prerogativis et indultis, quibus gaudent incorporati, ut petitur. Quarta autem, videlicet de pace, pluries requisita non deliberavit.

Super requesta porrecta pro parte Renkonis Fabaleisma et Banketialdi coniugum parcium Frisie Traiectensis diocesis, petencium cum ipsis super impedimento cognacionis spiritualis dispensare etc., concordant tres deputaciones quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset, prout sibi

[a] *Lücke, R.* [b] *dieser und die beiden folgenden Absätze fehlen, R.*

videbitur. Quarta autem, videlicet pro communibus, requisita non deliberavit.

In facto ecclesie Mindensis concordant omnes deputaciones, quod unus ex commissariis iam datis in ipsa causa possit servare terminos usque ad sentenciam diffinitivam exclusive, pro qua ferenda ipsi quatuor commissarii iam dati relacionem suam faciant in generali congregacione.

Lectis huiusmodi concordatis dominorum de duodecim, domini presidentes per organum reverendissimi domini cardinalis legati iuxta huiusmodi concordata et deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium concluserunt [a].

Dominus Franciscus requisivit, dominum patriarcham Aquilegiensem in sua iusticia expediri et declarari Venetos incidisse in penas contentas in monitorio [b].

Dominus Symon de Valle requisivit iudices in causa dari, qui habeant audire partes et iusticiam ministrare. Hoc iddem requisivit dominus Symon de Theramo.

P] Die sabbati XI[a] decembris in sacra deputacione pro communibus placuit supplicacio domini cardinalis de Columpna in forma ut petitur.

Placuit quod domini deputati ad videndum et aptandum formas decretorum expediendorum etc. habeant facultatem cum deputatis aliarum deputacionum super ipsis concludendi.

Quo ad capitula avisata per dominos deputatos in facto pecuniarum reperiendarum in materia Grecorum etc. placuit, quod ipsi domini deputati habeant facultatem prosequendi et practicandi huiusmodi capitula per eos avisata et alia, que eis circa hoc videbuntur opportuna et racionabilia, ita tamen quod antequam componant cum quodam principe super semidecima, consulatur nacio.

Super requesta domini thesaurarii camere concilii, concernente provisionem faciendam cantoribus et clericis cerimoniarum et aliis, de quibus mencio habetur in requesta etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad materiam patriarchatus Aquilegiensis placuit, quod domini Veneti ad plenum audiantur in congregacione generali, et nichilominus medio tempore per sacrum concilium requirantur et inducantur partes, quod velint contentari, quod patrimonium huiusmodi patriarchatus ponatur in manibus sacri concilii, quo facto videbit sacrum concilium de provisione fienda.

[a]) concluserunt *fehlt, P.* [b]) matrimonio *P.*

P] Die dominica XII[a] decembris fuit missa solemnis.

P] Die mercurii XV[a] decembris in sacra deputacione pro communibus super requesta magistri Johannis Roderici de Belmonte in decretis baccallarii familiaris bone memorie domini cardinalis S. Eustacii etc. placuit huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Placuit supplicacio domini Symonis de Brolio archidiaconi Bituricensis, videlicet quod si constiterit de originali supplicacione, de qua fit mencio in supplicacione, per sanctissimum dominum papam M[artinum] quintum vel eius mandato [signata], expediantur littere sub bulla sacri concilii super hoc opportune etc.

Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim, concernens generalem etc., placuit quod domini deputati super huiusmodi generali reformacione exhortentur et sollicitentur, ut avisata per eos habeant sacris deputacionibus ministrare; et ad hoc faciendum fuerunt per aliquos deputati domini abbas Clareuallis, magister Thomas Francisci et magister Hugo alter promotorum.

Quo ad ij[m] avisamentum super facto pacis Francie placuit avisamentum, videlicet quod domini deputati simul conveniant et inter eos concordata referant.

Quo ad iij[m] avisamentum de prerogativis per dominum nostrum papam concessis in preiudicium incorporatorum etc. placuit quod dentur deputati, qui videant de modo providendi in favorem incorporatorum; et ad hoc per aliquos fuerunt deputati domini Johannes Pulcripatris et Henrricus Nithardi.

Quo ad quartum avisamentum de incorporatis per non incorporatos trahendis etc. placuit, quod decretum sacri concilii super hoc editum observetur et dentur deputati, qui huiusmodi decretum habeant manutenere.

P] Die iovis XVI[a] decembris in sacra deputacione pro communibus super materia patriarchatus Aquilegiensis placuit deliberacio sacre deputacionis fidei. Et casu quo darentur deputati, fuerunt nominati reverendissimus pater dominus archiepiscopus Lugdunensis et dominus decanus Compostellanus.

Pro reformacione capituli ecclesie Cabilonensis placuit, quod dominus decanus capelle Diuionensis iungatur cum domino decano dicte ecclesie Cabilonensis, qui ambo simul auctoritate sacri concilii habeant reformare huiusmodi capitulum et supposita eiusdem.

Super supplicacione Petri Mathei familiaris reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis placuit oppinio sacre deputacionis reformatorii, quod prorogetur terminus quod non teneatur promoveri usque ad Pascha.

Quo ad causam civium Leodiensium placuit, quod domini deputati videant, an causa huiusmodi sit remittenda vel non, et si sit remittenda, remittant[a] ad iudicem non suspectum.

Placuit supplicacio rectoris plebani et capellanorum ecclesie parrochialis S. Martini Basiliensis in forma ut petitur, videlicet quod concessio eis facta per reverendissimum dominum cardinalem legatum auctoritate sue legacionis per sacrum concilium confirmetur.

Placuit quod domini de sacro concilio et eorum familiares possint sibi eligere confessorem ydoneum in instanti festo Nativitatis et per octavam eiusdem inclusive.

Ad audiendum requestam fratrum ordinis S. Johannis Jherosolimitani fuit deputatus dominus decanus Compostellanus.

Super requesta nobilis Astorgii de Petra nobilis etc. placuit quod committatur domino episcopo Aurelianensi, qui iusticiam faciat.

Super requesta domini episcopi Sambiensis placuit, quod committatur alicui prelato in partibus, qui provideat ut petitur in supplicacione.

PR] Die veneris XVII[a] decembris M°iiij^{C}xxxiiij° in congregacione generali, assistentibus dominis cardinalibus legato Rothomagensi Arelatensi Firmano, dominis Tarentino et Paduano:

More solito fuerunt incorporati magister Thomas Rode pro Johanne episcopo Verdensi, abbas S. Prudencii pro episcopo Galugurritano[b], Patricius[c] Frasez canonicus ecclesie Rosensis in Scocia, nobilis dominus Aymericus Bailloti licenciatus in decretis prior prioratus Caluimontis Mirapicensis diocesis[d] ordinis canonicorum regularium, Gregorius decanus ecclesie Omnium Sanctorum civitatis Pragensis et canonicus ecclesie cathedralis Pragensis, Petrus Bousandi[e] baccallarius in decretis.

Lectis litteris dominorum episcoporum provincie Narbonensis in favorem domini episcopi Appamiarum translati ad ecclesiam S. Poncii Thomeriarum[1], de huiusmodi intestato et lectura litterarum magister Robertus de Fardella assertus procurator peciit huiusmodi litteram redigi apud acta processus etc., petendo instrumentum, presentibus Thoma Rode, H[ugone][f] promotore et Dieulefist.

Dominus episcopus Londoniensis incepit aliqua proponere, verbis suis utendo, pro domino suo rege Anglie et Francie, et specialiter petendo audienciam dari in congregacione generali dominis episcopis Baiocensi et Lexouiensi[g] ambassiatoribus pro regno suo Francie; dominis ambassiatoribus domini regis Francie Karoli se opponentibus, quia nominabat

[a]) *korr. aus* remittatur *P.* [b]) Galuguntano *R.* [c]) Patrinus *PR.* [d]) *für* Mir. dio. *Lücke, R.* [e]) Bonfardi *R.* [f]) Henrico *R.* [g]) Lexionensi *R.*

[1] *Mansi 30, 880.*

dominum suum regem Francie etc. Propter strepitum et tumultum nullus hincinde potuit audiri. Dominus Londoniensis episcopus dedit certam cedulam, petens eam instanter legi etc. De huiusmodi requesta peciit instrumentum, presentibus dominis episcopis Albinganensi et Bellicensi, Johanne Pulcripatris, Dyonisio Sambreuays[a], Henrrico Flekel et Henrrico Nythard.

Lectis litteris credencialibus cleri regni Bohemie obedientis ecclesie etc., quidam doctor ex eis legendo narravit eam bonam fidem et eciam mala, que heretici Bohemi usque nunc egerunt et agunt.

Concordata[b].

Super supplicacione rectoris et capellanorum beati Martini Basiliensis, petencium certum privilegium de almuciis ferendis et stolis tenendis etc. per reverendissimum dominum cardinalem legatum auctoritate sue legacionis ipsis concessum auctoritate sacri concilii confirmari etc., concordant tres deputaciones quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Super requesta familiarium bone memorie domini cardinalis S. Eustacii, petencium ut in manibus legatorum sedis apostolice vel locorum ordinariorum sua beneficia simpliciter vel ex causa permutacionis resignare possent etc., concordant omnes deputaciones quod admittatur et concedatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione abbatis et conventus monasterii beati Martini in Wiblinghen[c] ordinis S. Benedicti Constanciensis diocesis, petencium certa sua privilegia innovari etc., concordant tres deputaciones quod huiusmodi privilegia innoventur ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Super[d] supplicacione Petri Mathei rectoris parrochialis ecclesie de Bliez Bisuntine diocesis, petentis sibi terminum infra quem ad ordines promoveatur prorogari etc., concordant omnes deputaciones quod prorogetur terminus de quo petitur usque ad festum Pasche inclusive.

Super[d] supplicacione Gerardi Steuen laici et Gertrudis eius uxoris oppidanorum opidi Granzoy Hawelbergensis diocesis, petencium super cognacione spirituali cum ipsis dispensari etc., concordant tres deputaciones quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset, prout sibi videbitur. Quarta autem, videlicet de pace, pluries requisita non deliberavit.

Super supplicacione reverendissimi patris domini cardinalis de Columpna, petentis se et fratres suos cum eorum castris et bonis sub pro-

[a]) Sabrenays *R.* [b]) *am Rande P, fehlt R.* [c]) Wyblighen *R.* [d]) *der Absatz fehlt, R.*

tectione huius sacri concilii recipi litterasque scribi et pro eorundem tuicione per sacrum concilium nuncium mitti etc., concordant omnes deputaciones quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super[a] requesta oblata per dominum vicarium Maguntinum, concernente remissionem cause prophane certorum nobilium de Friburch, concordant tres deputaciones quod huiusmodi causa, que mere prophana est, ad suum forum remittatur, addito per illam de pace „sine preiudicio ecclesie Angustensis.“ Quarta autem, videlicet de reformatorio, multis vicibus requisita non deliberavit.

In causa ecclesie Traiectensis concordant omnes deputaciones, quod loco reverendi patris domini abbatis S. Theofredi[b] commissarii a loco huius sacri concilii absentis surrogetur reverendus pater dominus abbas Virziliacensis.

Super supplicacione domini Jacobi Gerlini, petentis graciam si neutri iuxta signaturam sanctissimi domini nostri pape moderni sub bulla concilii expediri etc., concordant tres deputaciones quod huiusmodi littere expediantur, constito de supplicacione signata per sanctissimum dominum nostrum vel de eius mandato, et committatur domino Henrrico Rascop, ut expediatur iuxta stillum cancellarie. Addidit tamen etc. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit. Addidit tamen illa de fide „sine preiudicio iuris camere apostolice.“

Super supplicacione magistri civium, scabinorum consulum et proconsulum ac tocius civitatis Leodiensis, petencium certas causas prophanas et criminales ad partes remitti etc., concordant omnes deputaciones quod reverendissimus ac venerabiles domini patriarcha Anthiocenus pro deputacione reformatorii, scolasticus Andegauensis pro deputacione fidei, prothonotarius de Yspania pro deputacione pacis, dominus Karolus de Triuisio[c] videant et examinent supplicacionem huiusmodi, si sit remittenda, remittant, si vero retinenda, retineant. Illa de communibus addit „ad iudicem non suspectum.“ De pace dicit quod referant in deputacione, postmodum tamen requisita, ut se cum aliis conformaret, non deliberavit.

Super requesta pro parte domini olim episcopi Trecorensis[d] ad ecclesiam Maclouiensem translati, petentis committi et mandari iudicibus in causa ecclesie Maclouiensis iam datis, ut inhibicionem nullatenus in ipsa causa decernant, nisi constito de iure electi, sue partis adverse etc.: concordant tres deputaciones quod domini commissarii non procedant ad inhibicionem, nisi cum cause summaria cognicione. Quarta autem, videlicet pro communibus, requisita non deliberavit.

Dominus Petrus de Mera se opposuit conclusioni in materia Traiectensi.

[a]) *der Absatz fehlt, R.* [b]) Theofridi *R.* [c]) Teruisio *R.* [d]) Treuerensis *R.*

Lectis concordatis domini concluserunt ut alias.

Lecta fuit littera credencialis domini ducis Sabaudie. Qua lecta dominus Nicodus Festi obtulit aliam litteram, concernentem ad plenum suam credenciam.

Deinde instante domino L[udouico][a)] episcopo Lausanensi fuit lecta ordinacio facta per dominos compromissarios in huiusmodi causa.

In materia reperiendarum pecuniarum in facto Grecorum domini similiter, prout deputaciones concordant etc., concluserunt.

P] Die sabbati XVIII[a] decembris in sacra deputacione pro communibus placuit, quod domini de sacro concilio et eorum familiares a vigilia inclusive instantis festi Nativitatis Domini nostri usque ad Epiphaniam Domini inclusive possint eligere confessores, qui audiant absolvant et dispensent in forma alias concessa.

In causa Wratislauiensi dominus Symon de Valle supplicavit, quod audiretur relacio referendarii, et protestatus fuit quod per eum non stat, quominus huiusmodi relacio fiat.

Super requesta domini archiepiscopi Turonensis placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus, vocatis secum illis de quibus sibi videbitur, procedat ut petitur.

Quo ad responsionem dandam litteris illustrissimi domini ducis Sabaudie etc. placuit, quod per sacrum concilium scribantur littere honeste dicto domino duci, respondendo singulis punctis contentis in litteris, recommendendo ostendendo excusando personam domini episcopi Lausanensis.

Super materia patriarchatus Aquilegiensis placuit, quod domini Veneti plene audiantur in generali congregacione. Et si dentur deputati, placerent prius nominati, quibus prefigatur terminus xv dierum, infra quem habeant audire partes hincinde et referant in deputacione et deinde in generali congregacione.

Quo ad requestam cleri civitatis et diocesis Herbipolensium placuit, quod fiat decretum generale contra usurarios, antequam concedatur huiusmodi supplicacio.

P] Die dominica XIX[a] fuit missa solemnis more solito.

P] Die lune XX[a] decembris in sacra deputacione pro communibus placuit, quod gracia concessa dominis de sacro concilio et eorum familiaribus, quod possint eligere confessores etc., die crastina post missam

[a)] Ludouico de Palude *R.*

concludatur, et incipiat huiusmodi gracia a die beati Thome[1] inclusive usque ad Epiphaniam Domini inclusive.

Quo ad supplicacionem abbatisse secularis, petentis litteras expediri sub bulla sacri concilii super gracia si neutri etc., placuit quod committatur reverendissimo domino archiepiscopo Tarentino, qui constito de originali supplicacione et vocata parte expediat, prout sibi videbitur.

Quo ad requestam comitis Ormonie, petentis reliquias etc., placuit quod admittatur supplicacio, ita tamen quod dantes huiusmodi reliquias habeant potestatem eas dandi, et non procedant ex raptu.

Quo ad formas decretorum expediendorum etc., lectis huiusmodi formis scrutatisque singulariter votis dominorum, placuit maiori parti forma et materia, ita tamen quod domini deputati revideant et addant et diminuant, prout eis videbitur. Dixerunt multi quod secundum decretum de non evitando ligatos a iure etc. reparetur iuxta oppinionem domini Lugdunensis. Item aliqui sunt oppinionis, quod in decreto de concubinatu, ubi dicitur „omnibus prelatis et iurisdictionem habentibus,“ quodque infligatur pena prelatis etc. Aliqui vero eciam sunt oppinionis, quod in decreto de interdictis non ponendis pro pecuniario debito, quod ponatur clausula „dum tamen huiusmodi pecuniarium debitum non proveniat ex decimis debitis.“ Eciam quod dixerunt aliqui, quod decretum de causis expediatur unacum aliis decretis.

P] Die martis die beati Thome apostoli mensis decembris XXI[a] magister Petrus Clerici secretarius illustrissimi domini ducis Britanie obtinuit licenciam recedendi a domino presidente sacre deputacionis pro communibus. Actum ante maius portale ecclesie maioris Basiliensis, presentibus ambassiatore regis Polonie et eius servitoribus.

P] Die mercurii XXII[a] decembris in sacra deputacione pro communibus quo ad requestam dominorum de capitulo ecclesie Mediolanensis placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad requestam Conrardi Psunt laici et Anne Stabel mulieris, petencium dispensari super impedimento cognacionis spiritualis etc., placuit quod committatur reverendissimo patri domino legato, qui cum supplicantibus auctoritate concilii dispenset, prout sibi videbitur, ita tamen quod bulla plumbata expediatur per dominum Lugdunensem et alios deputatos in materia Grecorum.

Ad procedendum contra publicos concubinarios et contra abusus iudicum procuratorum et notariorum cum deputatis aliarum deputacionum

[1] *Dezember 21.*

fuerunt deputati domini Lausanensis, Henrricus auditor, et pro promotore fuit nominatus dominus Hugo promotor.

Lecta forma decreti de causis, scrutatis singulariter votis dominorum, placuit maiori parti quod detur copia habere volentibus et postea deliberetur; placuit finaliter quod domini deputati ad componendum formas decretorum expediendorum cum additamentis conveniant hora ij[a] cum domino legato in eius domo, qui revideant addant et diminuant, et si possit concordare super decreto de causis, concordent; nichilominus expediantur decreta iam conclusa cum additamentis.

P] Die iovis XXIII[a] decembris in sacra deputacione pro communibus super requesta domini archiepiscopi Coloniensis, petentis relevari a solucione semidecime etc., placuit quod remittatur et remissa est ad inclitam nacionem Germanicam.

Quo ad requestam provisorum hospitalis Argentinensis refutata est.

Quo ad requestam Johannis Philippi Deloy et Katerine Jo[hannis] Leodiensis diocesis placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate concilii dispenset cum supplicantibus, prout sibi videbitur.

Dominus Bellicensis et sacrista Lugdunensis fuerunt deputati ad accedendum ad dominos Yspanos pro provisione cantorum.

Quo ad requestam Petri Compain et Johannete, petencium dispensari in iiij[o] gradu etc., placuit quod committatur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui auctoritate concilii dispenset cum supplicantibus, prout sibi videbitur.

Quo ad requestam magistri Egidii Ogerii litterarum apostolicarum abreviatoris, petentis permutari sua beneficia non obstantibus reservacionibus etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta ut petitur.

Quo ad requestam domini Walrami postulati Traiectensis, petentis revocari bullam expeditam lite pendente et sine deliberacione deputacionum et conclusione generalis congregacionis etc., placuit quod committatur dominis patriarche Anthioceno, abbati Virziliacensi, decano Compostellano, H[enrrico] Rascop et F[rancisco] de la Cruce, qui si sibi constiterit de assertis, revocent huiusmodi bullam et attemptata [vigore] eiusdem.

Quo ad bullam symoniace expeditam placuit et data est facultas dominis deputatis in materia pecuniarum reperiendarum in facto Grecorum, quod possint absolvere dominum episcopum Pargamensem et dominum Henrricum auditorem et alios etc. a iuramentis per eos prestitis, et moneantur ut symoniacos revelent; similiter habeant facultatem ipsi domini deputati exigendi ab ambobus symoniacis, videlicet a quolibet ipsorum iij[c] florenos, cum potestate citandi in concilio etc.

Quo ad requestam domini episcopi Attrebatensis, petentis facere reconciliari ecclesias et cimiteria pollutas et polluta per sacerdotem ydoneum cum aqua gregoriana etc., placuit huiusmodi requesta ut petitur in forma, usque ad annum post finem concilii.

Similis gracia concessa est omnibus et singulis dominis prelatis presentibus in concilio necnon domino episcopo Tullensi.

Quo ad requestam dominorum decani et capituli S. M[artini] Turonensis, petencium comitti causam appellacionis etc., placuit quod committatur et commissa est domino episcopo Constanciensi, qui cum deputatis aliarum deputacionum audiat et iusticiam faciat.

Quo ad requestam domini Francisci de Bossis advocati, conquerentis de quodam qui revelavit votum suum etc., placuit quod committatur iudicibus deputatis contra symoniacos et concubinarios publicos, qui constito de expositis iusticiam faciant.

Pro iudicibus placuerunt electi, videlicet domini Galeacius de Mantua et Jacobus de Attigniaco, per dominos deputatos ut supra electi.

PR] Die[a] veneris XXIIII[a] decembris M°iiij°xxxiiij° vigilia Nativitatis Domini fuit congregacio generalis, presidentibus domino cardinali legato et presidentibus domini nostri papa, assistente domino Arelatensi etc.

More solito fuerunt incorporati magister Guillermus Bonaudi[b] pro ordine S. Johannis Jherosolimitani et nomine proprio, Egidius Clarent[c] magister in artibus Parisiensis et canonicus Cameracensis, Franco Keuddeken[d] prepositus S. Petri Thoraltensis Tornacensis diocesis, abbas S. Andree Auinionensis, prior Montis Falconis, dominus Maternus Fencheychener[e] magister in artibus licenciatus in decretis, Johannes Crowel archidiaconus Pomeranus[f] in ecclesia Ladislauiensi.

Concordata[g].

Concordant quatuor sacre deputaciones, quod domini de sacro concilio et eorum familiares a festo beati Thome apostoli inclusive usque ad Epiphaniam Domini[h] possint eligere confessores ydoneos, qui ipsos et eorum quemlibet absolvant ab omnibus peccatis sibi confessis, eciam in casibus sancte sedi apostolice reservatis, cum potestate dispensandi a quibuscunque irregularitatibus, excepta sentencia excommunicacionis lata ab homine super homicidio voluntario, incendio seu demolicione voluntaria ecclesiarum, symonia in ordine vel beneficio scienter commissa.

Super[i] supplicacione domini Johannis Roderici de Belmonte cano-

[a]) *Überschrift rot* Congregacio generalis *R.* [b]) Bonardi *R.* [c]) Claret *R.* [d]) Parisiensis et canonicus Franckedensis *R.* [e]) Senchener *R.* [f]) Pomentinus *R.* [g]) *rot, R.* [h]) usque—Dom. *fehlt, R.* [i]) *der Absatz fehlt, R.*

nici Conchensis familiaris bone memorie domini cardinalis S. Eustacii, petentis gaudere privilegiis incorporatorum huic sacro concilio, ac si tempore prefati domini cardinalis fuisset incorporatus, cum tunc negociis eiusdem domini cardinalis occupatus extitit etc., concordant omnes deputaciones quod huiusmodi supplicacio admittatur in forma ut petitur.

Super[a] supplicacione domini Symonis de Brolio licenciati in legibus huic sacro concilio incorporati, petentis litteras iuxta signaturam sanctissimi domini nostri sub bulla huius sacri concilii expediri etc., concordant tres deputaciones quod littere opportune sub bulla sacri concilii super his expediantur, addito per illam de fide, quod per hoc supplicanti nullum novum ius acquiratur et quod hoc fiat sine preiudicio iuris quesiti. Quarta autem, videlicet de reformatorio, pluries requisita non deliberavit.

Super supplicacione reverendi patris domini Oddonis de Varris sedis apostolice prothonotarii, petentis super pensione archidiaconatus de Ardenna in ecclesia Leodiensi contra Ruthgerum de Diic[b] archidiaconum etc. haberi recommissum, concordant omnes deputaciones quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui se informet de contentis in supplicacionibus parcium hincinde et iusticiam faciat.

Super[a] supplicacione Conrardi Pfrunt et Anne de Stadel coniugum Bambergensis diocesis, petencium cum ipsis super cognacione spirituali dispensari, concordant omnes deputaciones quod committatur domino cardinali legato, qui auctoritate concilii cum supplicantibus dispenset, prout sibi videbitur, adiecto per illas de fide et de communibus, quod bulla plumbata expediatur per dominum archiepiscopum Lugdunensem et alios dominos in materia Grecorum deputatos.

Super supplicacione porrecta pro parte episcopi Wladislauiensis contra opidum de Danskg super demolicione episcopalis domus concordant tres deputaciones, quod committatur reverendo patri domino episcopo Aurelianensi, qui constito de assertis in ipsa supplicacione processus casset, reintrudat et sentencias exequatur in forma ut petitur, propter absenciam domini episcopi Gadicensis. Quarta autem, videlicet de communibus, pluries requisita non deliberavit.

Super requesta nobilis viri domini Astorgii[c] de Petra domini baroniarum de Petra et de Tresti, petentis certam sentenciam et exinde secuta suum debere sortiri effectum, non obstante quod lata fuerit per dominum Johannem Hugonis locumtenentem domini rectoris comitatus Venecini[d] tunc excommunicatum, concordant tres deputaciones quod committatur reverendo patri domino episcopo Auraicensi[e], qui constito

[a]) *der Absatz fehlt, R.* [b]) Duc *R.* [c]) Astergii *R.* [d]) communitatis Venet. *R.* [e]) Amatensi *R.*

de assertis procedat ut petitur. Quarta autem eidem reverendo patri committit, subiungens quod iusticiam faciat.

Super supplicacione domine Azeline[a] de Spegelbergh[b] electe in abbatissam secularis ecclesie Herisiensis Padeburnensis[c] diocesis, petentis graciam si neutri iuxta signaturam sanctissimi domini nostri sub bulla huius sacri concilii expediri etc., concordant tres deputaciones quod committatur reverendissimo patri domino archiepiscopo Tarentino, qui huiusmodi graciam si neutri expediat auctoritate huius sacri concilii, prout sibi videbitur expedienda. Quarta, videlicet de pace, supplicacionem huiusmodi refutavit.

Super[d] supplicacione pro parte domini episcopi Sambiensis adversus quosdam presbiteros de fraternitate pauperum sacerdotum seu capellanorum civitatis et diocesis Sambiensium, petentis alicui prelato illarum parcium committi et mandari, ut excessus corrigat et excedentes pugniat, si qui in hiis de huiusmodi fraternitate reperiantur etc., concordant expresse tres deputaciones, quod committatur alicui prelato in partibus, qui provideat ut petitur in eadem. Quarta non multum discrepat ab eisdem.

Super supplicacione domini Fernandi abbatis monasterii S. Leonardi de Alua Salamantine diocesis[e] ordinis Premonstratensis, petentis per illos pro quibus huic sacro concilio est incorporatus de expensis congruis sibi provideri etc., concordant tres deputaciones quod concedatur supplicanti prout petitur in eadem. Quarta autem, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super supplicacione ducum Slesie, petencium interdictum in suis terris relaxari . . . que[f] suspendi ad tempus et omnes causas tam in Romana curia quam alibi pendentes advocari et alicui prelato in partibus committi etc., concordant tres deputaciones, quod constito de inopia supplicancium, vocatis partibus fiat iusticia per dominum episcopum Cracouiensem et relaxetur interdictum, si positum est contra constitucionem Bonifacii pape. Quarta, de reformatorio, requisita non deliberavit.

Lectis superius concordatis, domini presidentes auctoritate concilii iuxta huiusmodi concordata et deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium concluserunt solum super facultate concessa dominis de sacro concilio, quod possint eligere confessores etc.

Lectis concordatis in materia Wratislauiensi demolicionis oppidi etc., dum advocati parcium hincinde proponerent, fuit factus rumor tam per ambassiatores Prutenorum quam ambassiatores regis Polonie, adeo quod ambassiatores ipsius domini regis dixerunt, quod Pruteni erant confederati

[a]) Azekini *P.* [b]) Spegelberch *R.* [c]) Paderburnensis *R.* [d]) *der Absatz fehlt, R.* [e]) deAlua Salamen̄ *R.* [f]) *so P*, quod *R, ergänze* penasque ?

cum scismaticis, et vice versa magister Johannes doctor ambassiator Prutenorum dixit, quod rex eorum et ipsi erant confederati cum hereticis, prout constabat sacro concilio per litteras domini Romanorum tunc regis, nunc vero imperatoris.[1] De quibus ambassiatores prefati domini regis pecierunt a nobis instrumentum etc. Quibus ambassiatoribus reverendissimus pater dominus cardinalis legatus et presidens imposuit auctoritate concilii silencium, dans in mandatis domino auditori camere, quod habita summaria informacione de huiusmodi verbis iniuriosis puniret delinquentes etc.

PR] Ab hac die veneris vigilia Nativitatis non fuerunt deputaciones nec generales congregaciones, obstantibus feriis.

PR] Die sabbati XXV[a] decembris M°iiij°xxxiiij°, que fuit dies Nativitatis Domini nostri [a)], celebravit maiorem missam reverendissimus dominus cardinalis de Cipro, in qua missa episcopus Sudensis barbatus pronunciavit evangelium „In principio erat verbum“ etc.[2] in greco, deinde magister Symon Freron pronunciavit in latino, ut moris est, et fuerunt presentes ambassiatores seculares domini imperatoris Grecorum [b)].

R] Die dominica sequenti fuit dies S. Stephani.

R] Die lune S. Johannis evangeliste [c)].

[1435.]

In [d)] nomine domini amen. Anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quinto indictione xiij[a], die vero sabbati prima mensis ianuarii pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Eugenii divina providencia pape quarti anno quarto, feriis obstantibus nativitatis Domini nostri non fuit congregacio generalis nequed epu-

[a)] nostri Jhesu Christi *R.* [b)] *das* G *nach unten zum Monogramm* A. Maioris *ausgezogen, P.* [c)] *folgt rot* Hic mutatur annus et indictio. Et quia propter magnitudinem libri in uno volumine non potest bene comprehendi, ideo divisus est liber iste, et hec de prima parte *R.*

[d)] *Hier beginnt der zweite Teil von P (ms. lat. 15624 fol. 1[a]), für dieses ganze Jahr und den Anfang des folgenden die einzige Vorlage.*

[1] *Mansi 30, 194.* [2] *Joh. 1, 1.*

tacio, neque eciam ab illa die usque ad diem sabbati VIII^am^ dicti mensis ianuarii, qua die fuit tenta deputacio pro communibus more solito, in qua deputacione pro presidente fuit electus dominus episcopus Pargamensis et in eius absencia dominus Galeacius.

Similiter pro xij episcopus Bellicensis, abbas de Chereto continuatus et dominus Guillermus de Constancia.

Pro custode clavis bulle fuit electus dominus prior de Plateria ordinis canonicorum regularium etc.

Pro referendario fuit electus dominus officialis Monasteriensis.

Placuit et data est facultas reverendissimo domino cardinali legato providendi de registratore bullarum.

Supplicacio domini Nicolai Balduini curati de Haurech, petentis absolvi quia non solvit semidecimam, et super irregularitate dispensari etc., commissa est reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset ut petitur.

Lectis litteris domini imperatoris super materia Bohemorum et avisamentis dominorum deputatorum in eadem materia, placuerunt huiusmodi avisamenta in forma prout iacent.

Die dominica IX^a^ ianuarii fuit missa solemnis.

Die lune X^a^ ianuarii in sacra deputacione pro communibus quo ad requestam Sifridi de Feygen canonici Spirensis etc. placuit avisamentum sacre deputacionis fidei, videlicet quod committatur domino preposito Barduicensi vel alteri, si forte pars adversa ex iustis causis eundem prepositum suspectum haberet, qui si sibi constiterit de assertis in supplicacione, procedat ut petitur et iusticiam faciat.

Quo ad secundum avisamentum dominorum de xij, concernens numerum dominorum reformatorum etc., scrutatis singulariter votis dominorum placuit, quod prefati domini reformatores remaneant et per sacras deputaciones exhortentur, quod aliquas materias super huiusmodi reformacione deputacionibus habeant ministrare, quodque saltem quater in ebdomada ad minus habeant simul super hoc convenire.

Super supplicacione Johannis de Molesen[a)] et eius uxoris, petencium dispensari super iiij^to^ gradu, placuit quod committatur domino archiepiscopo Auxitano, qui dispenset cum supplicantibus ut petitur.

Super supplicacione Georgii le Merchaul et Ydete Bathonii, petencium dispensari super iiij^to^ gradu, commissa est reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset ut petitur.

[a)] Molesn̄ *P.*

Ad sollicitandum dominos reformatores fuit deputatus pro ista deputacione dominus episcopus Lausanensis.

Die mercurii XII[a] ianuarii in deputacione pro communibus super primo avisamento dominorum de xij, concernente advocacionem causarum electionum etc., scrutatis singulariter votis dominorum placuit maiori parti, quod eligantur quatuor notabiles prelati, videlicet unus de qualibet deputacione, qui eas certis diebus horis et loco determinatis audiant huiusmodi causas in futurum committendas, ita quod duo ex ipsis servare possint terminos usque relacionem exclusive, et in ipsis summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, terminis neccessariis tantummodo servatis usque ad diffinitivam sentenciam exclusive procedant, exceptis tamen causis electionum, que sunt in puncto relacionem faciendi in generali congregacione et aliis commissis pendentibus, nisi partes essent super hoc concordes. Et fuit iniunctum domino promotori, quod solicitaret deputatos ad reaptandum decretum de electionibus etc.

Super secundo avisamento de causis pauperum committendis etc. placuit avisamentum in forma, videlicet quod committatur domino cardinali legato, ut ipse eligat aliquos bonos iudices peritos Deum timentes et qui gratis audiant procedant et fine debito terminent seu quilibet eorum audiat procedat et fine debito terminet causas pauperum sive pauperis summarie et de plano etc., cavillacionibus et frivolis excepcionibus et appellacionibus penitus remotis, et qui eciam in scripturis neccessariis sic et taliter provideant et provideat, ut dicti pauperes sive pauper possint et possit ad suam iusticiam consequendam attingere in brevi tempore, maxime ubi posset constare de iusticia pauperis.

Super requesta prepositi et capituli ecclesie S. Stephani alias Omnium Sanctorum in Wyenna Patauiensis diocesis, petencium conservatoriam perpetuam etc., placuit quod detur conservatoria huiusmodi ad decennium tantum.

Super requesta fratris Petri Wichman inquisitoris etc. placuit, quod loco domini Henrrici inquisitoris Maguntini surrogetur et surrogatus est magister Johannes Celi de universitate Wiennensi iuxta avisamentum fidei.

Die iovis XIII[a] ianuarii in sacra deputacione pro communibus super supplicacione Johannis Prudeffor et Agnetis Leucleim, pentencium dispensari super matrimonio iam contracto, placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum pacis et reformatorii, et expediatur bulla per deputatos in materia Grecorum.

Super supplicacione Hermanni de Mulrid et Margarete de Schonbach, pentencium dispensari super ij° affinitatis gradu etc., placuerunt

avisamenta sacrarum deputacionum pacis et reformatorii, et expediatur bulla ut supra.

Super supplicacione Petri Harchus et Margarete Guthfen.[a], petencium dispensari super quarto consanguinitatis gradu etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate concilii dispenset prout sibi videbitur, et expediatur bulla ut supra.

Super supplicacione Nicolai Martini presbiteri Baiocensis diocesis, petentis absolvi et super irregularitate dispensari etc., placuit avisamentum sacre deputacionis fidei.

Super supplicacione cuiusdam mulieris Andegauensis diocesis, petentis causam remitti etc., placuit quod causa remittatur et committatur officiali Turonensi, et inhibeatur iudici cause, et alias ut petitur.

Super supplicacione prioris et capituli ecclesie collegiate beate Marie de Roa Oxomensis diocesis, petencium differri capas de panno nigro a primis vesperis Omnium Sanctorum usque ad vesperas Resurrectionis etc., placuit huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super requesta dominorum de capitulo S. Martini Turonensis, petencium causam appellacionis committi, placuit quod loco domini Constanciensis alias iudicis dati surrogetur et surrogatus est dominus Bellicensis, et quod unus iudicum possit observare terminos et procedere in causa usque ad sentenciam diffinitivam exclusive ut petitur.

Super requesta abbatisse monasterii monialium extra muros Warmacienses ordinis Cisterciensium etc. placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de pace et de fide in forma.

Super requesta Petri de Lineto et Robine Lexouensis diocesis, petencium dispensari super matrimonio iam contracto etc., placuit avisamentum sacre deputacionis fidei in forma.

Super requesta Gerardi Pottken et Margarete mulieris Coloniensis diocesis, petencium eciam super matrimonio iam contracto dispensari, placuit quod committatur domino legato, qui auctoritate huius sacri concilii cum supplicantibus [dispenset] ut petitur, quodque finalis expedicio bulle super hoc conficiende pertineat ad dominos deputatos in materia Grecorum.

Super requesta comitis de Salinis, concernente monasterium Altesilue Cisterciensis ordinis Tullensis diocesis, placuit quod committatur domino Johanni de Hungaria, qui vocatis partibus se informet de contentis in suppliçacione et referat in deputacione.

Super requesta Conrardi Rorich et[b] Husso Schenken Spirensis diocesis, petencium dispensari in matrimonio iam contracto, placuit avisa-

[a]) Guthfen̄ *P.* [b]) in *P.*

mentum sacre deputacionis fidei in forma, et bulla plumbata mittatur ad dominos deputatos in materia Grecorum.

Super supplicacione curati SS. Innocentum etc. placuit, quod si capitulum habuerit possessionem pacificam huiusmodi unionis, reiciatur supplicacio, si vero non habuerit pacificam possessionem, procedat iudex cause ut petitur.

Super supplicacione civium Bambergensium, petencium committi causam appellacionis, commissa est domino Gerardo de Columpna, qui vocatis partibus se informet et referat.

Super requesta promoti ad ecclesiam Albiensem, petentis remissionem etc., placuit quod fiat iusticia.

Super requesta fratris G[uillermi] Morelli, concernente precentoriam Nemausensem etc., placuit quod committatur domino referendario, qui vocatis partibus se informet et referat.

Die veneris XIIII[a] ianuarii M°iiij°xxxv° in congregacione generali, presidentibus dominis cardinali legato, archiepiscopo Tarentino et episcopo Paduano, assistentibus Rothomagensi et Firmano, more solito fuerunt incorporati magistri Theodericus Frudrell de Lyuonia canonicus Reualiensis, Henrricus Boldemberch canonicus Butzoyensis pro episcopo Reualiensi, domini Jacobus Gramisz, Nicolaus de Bartice, Monetus Boysserd, magister Johannes Lauantaige prepositus Insulensis et tanquam ambassiator domini ducis Burgundie.

Dominus decanus Compostellanus retulit nomine domini militis principalis ambassiatoris domini regis Castelle aliqua nova iocundissima etc., videlicet inter cetera, quod xj[a] novembris ultimo preteriti per capitaneos regis Castelle quedam civitas in regno Gernate cum castro et locis circumvicinis per Yspanos christianos capta est et multi Arabes sive infideles illa die sine numero prostrati sunt gladio.

Placuit et fuit conclusum, quod domini Constanciensis episcopus, auditor domini legati, decani Turonensis et Cameracensis, Thilmannus prepositus S. Florini et dominus Thomas de Wienna vadant ad dietam Wienne celebrandam pro reductione Bohemorum, quibus data est facultas tractandi et alia faciendi iuxta compactata in Pragha, salva fide etc. [1]

Dominus Henricus canonicus Thuricensis fuit deputatus pro liberacione Johannis de Horlande.

Dominus Nicolaus prepositus Cracouiensis ambassiator serenissimi domini regis Polonie narravit, qualiter bone memorie dominus rex Polonie per Bohemos fuerat requisitus, ut regnum Bohemie vellet assumere, qui

[1] *Die Urkunde der Vollmacht M. C. 1, 623.*

tanquam fidelis catholicus hoc recusavit; supplicavit pro honore regis et debito iusticie, quod tali crimini non velint adhibere fidem, quodque puniatur ille, qui huiusmodi crimen intulit.

Dominus archiepiscopus Lugdunensis nomine domini regis Karoli hoc idem supplicavit, quod sacrum concilium assurgat contra proferentem verba iniuriosa.

Concordata.

Ista[a)] die non fuit conclusum super ipsis concordatis, sed die martis xviij[a] dicti mensis conclusa fuerunt.

Super supplicacione pro parte reverendi patris domini Hugonis episcopi Attrebatensis, petentis ut ecclesias polutas et cimiteria sue diocesis per sacerdotem ydoneum reconciliari facere possit etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma et quod duret usque annum integrum post finem concilii, ut addidit deputacio de communibus. Illa autem de pace adiecit, quod non recipiat procuraciones integras, sed dumtaxat pro victu.

Super supplicacione domine abbatisse monasterii in Kirsgoten extra muros Wormacienses ordinis Cisterciensium, petentis Frederico episcopo Wormaciensi ordinario loci committi, ut vocatis omnibus creditoribus illius monasterii et compulsis ad exhibendum litteras etc. casse[t] et annullet omnia debita sine superiorum illius monasterii auctoritate illicite et minus iuste contracta: concordant omnes deputaciones, quod committatur ordinario loci, ut petitur.

Super supplicacione Syfridi de Venigen canonici Spirensis incorporati, petentis sibi dari iudicem, qui declaret Johannem Durmennis[b)] incidisse penas contra violatores sequestris, presertim constitucionem Clementis pape quinti que incipit „Ad compescendum“[1] incidisse etc.: concordant tres deputaciones, quod committatur ipsa supplicacio domino preposito Barduicensi vel alteri, si forte pars adversa ex iustis causis eundem prepositum suspectum haberet, qui [si] sibi de assertis in ipsa supplicacione constiterit, procedat ut petitur et iusticiam faciat. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Egidii Johannis Philippi de Loy et Katherine sue uxoris Leodiensis diocesis, petencium cum ipsis super cognacione spirituali dispensari etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum ipsis supplicantibus dispenset, prout sibi videbitur. Addit tamen illa de fide, quod bulla super hoc confecta et plumbata mittatur ad reverendissimum dominum archi-

[a)] *Dieser Absatz am Rande P.* [b)] *undeutlich P.*

[1] *Clement. lib. II tit. 6.*

episcopum Lugdunensem et ceteros dominos deputatos in materia Grecorum, ad quos finalis huius pertineat expedicio.

Super requesta fratris Petri Wichman inquisitoris in materia fidei contra fratrem Andream Phaffendorf concordant tres deputaciones, quod loco domini inquisitoris Maguntini a loco huius sacri concilii absentis surrogetur magister Johannes Celi. Quarta autem, videlicet de pace, bis requisita non deliberavit.

Super requesta pro parte domini Jacobi comitis Ormonie, petentis facultatem concedi, ut reliquias a sibi dare volentibus recipere possit[a] etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio, dummodo tamen dantes huiusmodi reliquias alias habeant potestatem eas dandi nec procedant ex raptu, ut addidit illa de communibus.

Super supplicacione archipresbiteri, archidiaconi maioris, primicerii et canonicorum metropolitane ecclesie Mediolanensis, petencium ipsis mutandi habitum facultatem concedi, videlicet quod tempore estivo portare possint almuceas cum supperpliciis, tempore vero hiemali cappas etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Johannis Morilesimin[b] et eius sponse Condorine Dantraes nobilium, petencium cum ipsis super quarto consanguinitatis gradu dispensari etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo patri domino archiepiscopo Auxitano, qui cum supplicantibus auctoritate huius sacri concilii dispenset ut petitur, adiecto per illam de fide, quod finalis expedicio bulle super hoc conficiende pertineat ad dominos deputatos in materia Grecorum.

In materia patriarchatus Aquilegiensis concordant omnes deputaciones, quod domini deputati audiant causas, propter quas domini Veneti non teneantur parere monitorio, quibus auditis referant in generali congregacione. Illa de communibus prefixit terminum xv dierum, quodque tunc fiat iusticia per sacrum concilium. Et ad hoc deputati fuerunt pro deputacione reformatorii reverendissimus pater archiepiscopus Turonensis et episcopus Conchensis, pro deputacione pacis reverendissimus dominus cardinalis de Cipro et archidiaconus de Hispania, pro deputacione de communibus archiepiscopus Lugdunensis et decanus Compostellanus, pro deputacione fidei Aquensis et Placentinus episcopi.

Die sabbati XV[a] ianuarii in sacra deputacione pro communibus placuit, quod fiat die martis proxima generalis congregacio, in qua concludantur iam concordata.

[a]) possint *P.* [b]) *etwa* Morilesmn̄ *P.*

Quo ad decreta expedienda placuit, quod nullo modo in generali congregacione concludantur, nisi prius per sacras deputaciones sint expedita, et si fieret mencio quod huiusmodi decreta deberent concludi, placuit quod promotor nomine sacre deputacionis se opponat.

Quo ad primum avisamentum dominorum de duodecim, concernens multitudinem iudicum etc., placuit quod per sacrum concilium advocentur omnes cause pendentes coram iudicibus extraordinariis, demptis causis in quibus est iam conclusum, et requiratur reverendissimus dominus cardinalis vicecancellarius, ut deinceps non velit committere causas extra rotam nisi urgente neccessitate.

Quo ad secundum avisamentum de abusibus iudicum et notariorum placuit, quod domini alias super hoc iudices provideant et per eos vocentur omnes notarii, qui coram ipsis habeant iurare de observando ordinaciones sacri concilii etc., et si non velint iurare, suspendantur, et si peterent, publice puniantur.

Elemosinarius monasterii Maiorismonasterii obtinuit licenciam recedendi.

Die dominica XVI[a] ianuarii fuit missa solemnis.

Die martis XVIII[a] ianuarii M°CCCC°xxxv° in generali congregacione, presidentibus etc., assistentibus dominis cardinalibus[a)] de Cipro, de Columpna et Firmano et quampluribus prelatis, lecte fuerunt littere domini marchionis Misnensis.

Dominus Henrricus prepositus Thuricensis protestatus est prout in cedula, presentibus dominis Jordano Morini et decano Turonensi et H[ugone] promotore.

Precognitores Lubicensis, prothonotarius Ispanie, Placentinus et Gurcensis episcopi.

Iudices Petragoricensis, Rodolphus Rodzen, scolasticus Andegauensis, Hugo de Spira, Galeacius de Mantua, Jacobus[b)] Datigni, auditores Cipri et Arelatensis.

Et iuraverunt dicti domini precognitores et iudices et solitum[c)] prestiterunt iuramentum, et quod non participabunt in lucro cum notariis suis.

Domini presidentes super concordatis tam lectis in vigilia Nativitatis quam hodie in generali congregacione ut moris est concluserunt. Et sunt dicta concordata hodie lecta inserta die veneris xiiij[a] folio precedenti, licet illa die non fuerit conclusum super eisdem.

[a)] cardinali *P.* [b)] A. *P.* [c)] iuramentum *P.*

Quia sunt multi, qui retardantur ad solvendum mediam decimam, alii ad levandum eandem, alii qui impediunt et iniuriantur circa eamdem semidecimam, alii qui receperunt ipsam et non curant ipsam tradere iuxta formam commissionis etc., placuit et fuit conclusum, quod committatur domino legato et ceteris deputatis super huiusmodi materia Bohemorum, ut tales possint monere compellere cohercere sub censuris ecclesiasticis et formidabilibus penis etc.

Dominus prior Deaurate nomine domini comitis Arminiaci exposuit suam credenciam in materia abbacie Bonecumbe etc. iuxta tenorem litterarum credencialium lectarum in ultima generali congregacione.

Quaquidem credencia exposita dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii iniunxit iudicibus cause, quod partibus ministrent iusticiam brevem et celerem etc.

De huiusmodi credencia abbas Bonecumbe peciit instrumentum etc., presentibus dominis Jordano Morini, decano Turonensi, Thoma Rode et H[ugone] promotore.

Dominus Stephanus de Nouaria advocatus domini Rodolphi episcopi Traiectensis proposuit respondendo ad proposita pro parte domini postulati et cleri obedientis eidem etc.

Die mercurii XIX[a] ianuarii in sacra deputacione pro communibus magister Symon de Valle nomine ambassiatorio domini generalis Prutenorum requisivit dari audienciam, et quod non procedatur in causa, nisi prius ipsis auditis, et super hoc obtulit requestam.

Ad pacificandum controversiam, que dubitatur oriri inter ambassiatores serenissimi domini regis Polonie et magistrum generalem ordinis beate Marie Theutonicorum propter verba hincinde in generali congregacione proposita, et providendum ne deinceps ad verba iniuriosa in generali congregacione et deputacionibus prorumpatur, fuerunt deputati reverendi patres domini Lubicensis et Bellicensis episcopi, qui cum domino cardinali legato et deputatis aliarum deputacionum super hac materia procedere debeant et pacificare.

Quo ad materiam kalendarii etc. placuit, quod avisamenta data per aliquos astrologos in concilio mittantur ad universitates et alios peritos in arte, et habeantur eorum avisamenta, antequam concludatur in materia.

Lecta forma indulgenciarum in materia Grecorum placuit maiori parti, quod domini deputati revideant et reaptent, vocatis secum duobus vel tribus.

Quo ad supplicacionem reverendissimi domini archiepiscopi Turonensis, petentis committi causam principalem cum causa appellacionis etc.,

placuit avisamentum sacre deputacionis de reformatorio in forma, et pro deputacione ista fuit deputatus ut alias dominus episcopus Bellicensis.

Die iovis XX[a] ianuarii in sacra deputacione pro communibus, lectis formis decretorum etc. expediendorum, videlicet de concubinatu, de excommunicatis non evitandis, de interdictis non ponendis, de causis et de pacificis possessoribus, scrutatis singulariter votis dominorum, placuerunt huiusmodi decreta in forma per dominos deputatos avisata, et quod die crastina in generali congregacione legantur et die sabbati proxima in sessione publica expediantur.

Quo ad litteras indulgenciarum in materia Grecorum etc. placuit, quod cum dominis deputatis, qui formam huiusmodi litterarum composuerunt, addantur aliqui notabiles viri, qui revideant et concludant, ita quod expediantur unacum predictis decretis. Et ad hoc fuerunt deputati dominus episcopus Pargamensis et Vexionensis episcopus, eciam magister Nicolaus Gehe, Johannes Pulcripatris et provincialis Paduanus, et alii qui voluerunt interesse.

Quo ad requestam domini Johannis Paisant canonici Meldensis placuit, quod committatur decano illius ecclesie, qui si sibi constiterit de assertis in requesta, auctoritate sacri concilii absolvat et dispenset ut petitur.

Quo ad requestam domini prioris de Plateria placuit avisamentum sacre deputacionis fidei in forma.

Magister Johannes Pulcripatris nomine universitatis Parisiensis, dum scrutabantur vota super decreto de causis etc., protestatus fuit quod huiusmodi decretum non preiudicaret privilegiis universitatis Parisiensis. Quibus dictis dominus cardinalis legatus dixit, quod per hoc sacrum concilium non intendit preiudicare privilegiis universitatis. Huic protestacioni adhesit magister Thomas Francisci, de quibus etc., presentibus patriarcha Aquilegiensi, archiepiscopo Lugdunensi, domino auditore camere, Symone Freron et Guidone de Vercellis.

Quo ad requestam nobilis Claudii de Chambri domicelli et Anseline[a)] Aluncini[b)], petencium dispensari super iiij[to] gradu etc., placuit quod committatur domino cardinali legato, qui dispensacionem[c)] faciat ut petitur.

Ad videndum cum deputatis aliarum deputacionum de audiencia danda vel non dominis Lexouiensi et Baiocensi ambassiatoribus etc., fuerunt deputati domini patriarcha Aquilegiensis, Vexionensis et Pargamensis episcopi.

[a)] Anselmi *oder* Anselini *P.* [b)] *oder* Almicini *P.* [c)] dispeñ *P.*

Die veneris XXI[a] mensis ianuarii M°CCCC°xxxv° fuit congregacio generalis, in qua fuerunt domini cardinales legatus, de Cipro, Arelatensis, de Columpna et Firmanus, domini eciam Tarentinus et Paduanus presidentes.

Dominus auditor domini legati de gestis per eum et collegas suos pro parte concilii circa pacem cleri et civitatis Maguntinorum reformatam et in dieta Francfordie suam ad longum fecit relacionem.

Exhortatus est concilium ad reformacionem, laudando sessionem die crastina celebrandam.

Dominus cardinalis legatus nomine concilii regraciatus est eidem domino auditori de laboribus assumptis.

Lecte fuerunt littere domini nostri pape misse dominis suis presidentibus pro succursu fratrum ordinis S. Johannis Jherosolimitani.

Dominus Stephanus de Nouaria nomine eiusdem ordinis requisivit dari litteras super huiusmodi materia per sacrum concilium.

Lecte fuerunt littere domini imperatoris de novis Bohemorum et Turcorum etc.

Domini promotores per organum magistri Hugonis requisiverunt sacrum concilium, ut dignaretur precipere dominis commissariis in causa Lausanensi, ut suam relacionem facerent de processu.

Dominus episcopus Bellicensis nomine domini ducis Sabaudie requisivit, non ita debere fieri, sed mature procederetur eo modo, quo procedi consuetum est in causis beneficialibus.

Concordata.

Concordant omnes deputaciones, quod die veneris xxj[a] ianuarii in generali congregacione concludantur decreta in deputacionibus nuperrime lecta, per deputatos singularum deputacionum potestatem ad hoc habentes prius concepta et conclusa, sic tamen quod in illo de causis exprimantur cause incorporatorum et incorporandorum, eciam ille que in hoc sacro concilio sunt inchoate, ut addiderunt alique deputaciones, que hic cognoscantur et terminentur, et quod die sabbati fiat sessio, in qua publicentur huiusmodi decreta.

Concordant similiter omnes deputaciones, quod reverendissimi domini presidentes, vocato et admisso reverendissimo domino vicecancellario, habeant providere de registratore bullarum, que emanant ab hoc sacro concilio.

Super supplicacione cuiusdam mulieris, petentis quandam causam pecuniariam ad instanciam cuiusdam Johannis Luyllier contra ipsam mulierem et certos alios hic commissam remitti ad partes etc., concordant omnes deputaciones, quod remittatur officiali Turonensi, qui auditis par-

tibus iusticiam faciat, et hic inhibeatur auctoritate sacri concilii iudici, cui causa est commissa, ne procedat in eadem, prout petitur.

Super supplicacione prioris capituli singulorumque canonicorum et personarum secularis et collegiate ecclesie beate Marie de Roa Auxomensis diocesis, petencium ipsis licenciam concedi, ut a primis vesperis Omnium Sanctorum inclusive usque ad primas vesperas Resurrectionis Domini exclusive cappas de panno nigro cum foderaturis super superpelliciis deferre seu portare possint etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Meyngini Georgii le Merchal et Ydete Theobaldi Tullensis diocesis, petencium cum ipsis super impedimento consanguinitatis in quarto gradu dispensari etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur; adiecto per illam de fide, quod finalis expedicio bulle super hoc conficiende pertineat ad dominos deputatos in materia Grecorrm.

Super supplicacione ducum Slesie concordant quatuor deputaciones, quod cause committantur in partibus domino episcopo Cracouiensi, qui procedat et suspendat ut petitur in eadem, prout sibi secundum Deum et consciencium suam videbitur fore faciendum de iure pietate aut equitate, et iusticiam faciat, sic tamen quod interdictum ante omnia relaxetur, si est positum contra constitucionem „Provide“ Bonifacii pape[1]; in quo saltem tres deputaciones expresse conveniunt. Quarta autem, videlicet de reformatorio, huiusmodi interdictum suspendit ad quinquennium.

Super supplicacione pro parte decani thesaurarii canonicorum et capituli ecclesie beatissimi Martini Turonensis porrecta, petencium causam appellacionis a quibusdam gravaminibus et processibus monitorialibus per reverendissimos dominos presidentes huius sacri concilii ad instanciam reverendissimi domini archiepiscopi Turonensis aliquibus iudicibus committi etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendo ac venerabilibus dominis episcopo Bellicensi, preposito Barduicensi et archidiacono Metensi, et quod unus ipsorum possit servare terminos usque ad sentenciam diffinitivam exclusive. Quarta autem, videlicet de reformatorio, similiter dedit iudicem reverendum patrem dominum episcopum Forosinfroniensem, eciam cum illa clausula „quod si non omnes“; voluit tamen, quod eciam isti iudices summarie simpliciter et de plano de utraque causa simul, principali scilecet et appellacionis cognoscerent et procederent usque ad sentenciam diffinitivam exclusive.

Super supplicacione Gerardi Potteken et Margarete coniugum Coloniensis diocesis, petencium cum ipsis super cognacione spirituali dispen-

[1] *Extravag. Commun. lib. V. tit. 10 c. 2.*

sare etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato etc., qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur; adiecto per illas de fide et de communibus, quod expedicio bulle super hoc conficiende pertineat ad dominos in materia Grecorum. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione G. et M. coniugum de baronum et militari prosapia, petencium cum ipsis super cognacione spirituali dispensari etc., concordant tres deputaciones, quod committatur ordinario loci, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur. Quarta autem, videlicet pro communibus, remisit eam ad sedem apostolicam.

Super supplicacione domini Mathei Fornierii monachi ordinis S. Benedicti, concernente camerariam monasterii Crasse dicti ordinis Carcassonensis diocesis etc., domini xij non potuerunt bene deliberaciones deputacionum concordare, sed ordinarunt quod legerentur in generali congregacione.

Super supplicacione familiarium reverendissimorum dominorum cardinalium S. Crucis et S. Petri ad Vincula, petencium ut serviciis eorundem insistendo gaudere possint privilegiis incorporatorum ac si hic presentes essent, quodque cause mote et movende tam pro ipsis quam contra ipsos suspendantur usque decem menses etc.: concordant omnes deputaciones in prima parte, videlicet quod gaudeant privilegiis incorporatorum ac si hic presencialiter essent.

Lectis concordatis super materia decretorum expediendorum et lectis formis eorundem decretorum, dominus episcopus Ebroicensis peciit, quod cause incorporatorum et incorporandorum remaneant in concilio saltem quo ad decretum de pacificis possessoribus.

Unus ambassiatorum domini regis Castelle peciit nomine suo et suorum collegarum, quatenus in decreto concubinariorum addatur clausula „salvis remanentibus institutis et legibus regalibus“; alias protestatus est de non consenciendo.

Magister Johannes Pulcripatris super decreto de causis protestatus fuit nomine universitatis Parisiensis, quod non intendit consentire expedicioni huiusmodi decreti de causis in ea forma, in qua est, sed differantur et remittatur ad deputaciones.

Magister Johannes Leodegarii super decreto de causis, respondendo protestacioni facte per magistrum Johannem Pulcripatris, requisivit quod super decreto de concubinariis concilium mature deliberaret, antequam concluderetur, quia ipse volebat allegare aliqua, propter que non debebat in illa forma concepta transire. Finaliter dixit quod volebat ostendere, quod in illa forma etc. erat contra ius divinum naturale et humanum.

Super quo magister N[icolaus] Amici requisivit, quod cum ipse Leodegarii dixisset aliqua contra fidem, quod concilium vellet super hoc deliberare, nam obtulit se facere partem.

Super decretis ut prefertur lectis reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii conclusit, dempto decreto de causis, ita tamen quod ista die iterum decreta revidebuntur et reaptabuntur, scilicet decretum de concubinariis iuxta requestam ambassiatoris regis Castelle, similiter et decretum de pacificis possessoribus.

Die[a)] sabbati XXII[da] ianuarii millesimo CCCC°xxxv° in maiori ecclesia Basiliensi fuit celebrata huius sacri concilii sessio xx[a]. Et celebrata missa de S. Spiritu per reverendissimum dominum archiepiscopum Tarentinum alterum presidencium sacri concilii dictisque[b)] suffragiis et aliis fieri et dici consuetis ac dicto evangelio secundum Lucam[1] „Dixit Jhesus discipulis suis: sint lumbi vestri precincti et lucerne ardentes in manibus suis“ etc., et decantato hympno „Veni creator Spiritus“, dominus episcopus Lectorensis ascendit ambonem et de mandato sacri concilii pronunciavit decreta, videlicet de concubinatu, de excommunicatis certo modo non vitandis, de interdictis non leviter ponendis et contra frivole appellantes.[2] Quibus pronunciatis et exhortacione facta per eundem ad dominos prelatos, quod mitterent specialiter decretum de concubinariis exequi in suis diocesibus etc., promotores sacri concilii pecierunt de huiusmodi pronunciacione etc. instrumentum etc., presentibus ambassiatore domini imperatoris, marescallo domini regis Castelle et Legionis, decano Compostellano et Roberto au Clou etc.

Dominica XXIII[a] ianuarii fuit missa solemnis more solito.

Die lune XXIIII[ta] ianuarii in sacra deputacione pro communibus super supplicacione Benedicti prepositi ecclesie beate Marie Albe Regalis, petentis duas sentencias pro ipso latas, quarum ultima nulla provocacione[c)] suspensa in rem transivit iudicatam, per sacrum concilium confirmari etc., placuit et admissa fuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione Johannis Brudekurt canonici ecclesie beate Marie in Campis extra muros Maguntinos etc. placuit, quod committatur iudici cause, qui constito de assertis procedat ut petitur.

Placuit quod non obstante deliberacione alias capta, quod supplicacio canonici ecclesie Meldensis committatur domino cardinali legato,

[a)] *am Rande* xx[a] sessio *P.* [b)] disctisque *P.* [c)] promocione *P.*

[1] *Luc. 12, 35.* [2] *Mansi 29, 101. M. C. 2, 773.*

attento quod alie deputaciones similiter sibi commiserunt quodque supplicans est presens in concilio.

Quo ad requestam Traiectensium placuit, quod quelibet parcium litigancium eligat unum ex deputatis iam dictis, qui examinarent bullas que dicuntur expedite contra decreta sacri concilii et provideant.

Quo ad primum avisatum dominorum de duodecim, concernens expedicionem decretorum de pacificis possessoribus, de causis et de reformacione decreti electionum etc., placuit quod domini super hoc deputati iterum simul conveniant et huiusmodi decreta revideant et reaptent, quodque decreta de intrusis et de symonia, si sit possibile, unacum predictis decretis expediantur.

Quo ad secundum avisamentum placuit huiusmodi avisamentum in forma, videlicet quod domini reformatores exhortentur, et quod iam avisata per eos super reformacione generali habeant sacris deputacionibus ad deliberandum ministrare.

Die martis XXV^{a} ianuarii fuit missa solemnis celebrata per dominum episcopum Londoniensem ob reverenciam Conversionis S. Pauli in ecclesia maiori, in qua more solito fuit sermo.

Die mercurii XXVI^{a} ianuarii in sacra deputacione pro communibus

quo ad requestam domini Odonis prothonotarii placuit, quod auctoritate sacri concilii reverendissimus dominus cardinalis legatus scribat illis de Columpna dominis de Penestina in favorem ipsius domini prothonotarii racione sui castri etc.

Quo ad requestam rusticorum diocesis Zagrabiensis placuit, quod ea que facta sunt per reverendissimum patrem dominum cardinalem legatum in remittendo causam et tradicione bulle, suum sorcia[n]tur effectum.

Quo ad avisamentum reverendissimi patris domini cardinalis legati de causis prophanis remittendis etc. placuit, quod omnes cause mere prophane generaliter ad suum forum remittantur, exceptis illis que propter deffectum iusticie essent in concilio tractande.

Quo ad secundum avisamentum de registratore etc. placuit, quod reverendissimus pater dominus cardinalis legatus et domini presidentes vocato domino vicecancellario provideant de registratore, prout eis videbitur, et si alii domini cardinales voluerint interesse, intersint.

Quo ad tercium de publicis concubinariis etc. placuit, quod domini super huiusmodi materia alias deputati exequantur decretum de concubinariis.

Quo ad primum avisamentum dominorum de xij de decretis expediendis etc. placuit, quod domini deputati ad componendum decreta

habeant deliberare et expedire unacum decretis de pacificis possessoribus et de causis decretum de intrusis.

Super ij^{do} avisamento de decreto de feriis etc. placuit, quod decretum alias super hoc avisatum et deliberatum in deputacione iterum revideatur et mature deliberetur.

Super iij^{o} de visitatoribus mittendis etc. placuit avisamentum, quod mittantur notabiles visitatores et dentur deputati, qui bonas instructiones habeant componere.

Quod ad iiij^{tum} avisamentum de canonicis in sacris non constitutis non habentibus vocem in capitulo etc. placuit, quod domini deputati super correctione decreti de electionibus habeant circa huiusmodi materiam providere.

Super facto ecclesie Lausanensis placuit, quod die veneris proxima in generali congregacione fiat relacio per dominos commissarios, non obstante commissione quacunque in contrarium oblata.

Quo ad materiam Traiectensem placuit, quod duo ex dominis deputatis etc.

Die iovis XXVII^{a} ianuarii in sacra deputacione pro communibus placuit, quod supplicaciones concernentes dispensacionem super matrimoniis comittantur reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset cum supplicantibus prout sibi videbitur, et expediantur bulle per dominos deputatos in materia Grecorum, videlicet supplicacio Dominici de Vitremonte laici et Johanne Claittait Tullensis diocesis super quarto affinitatis gradu.

Item supplicacio Egidii de Hecvelde et Marie Faluere super publice honestatis iusticia.

Item alia concernens quendam Ispanum Oxomensis diocesis.

Super avisamento dominorum vicecancellarii et precognitorum placuit, quod ipse reverendissimus dominus vicecancellarius et precognitores expediant supplicaciones sive commissiones pro deffensione et manutencione decretorum huius sacri concilii, facientes quibus petuntur cause incorporatorum advocari et littere contra decreta huiusmodi expedite revocari etc. cum litteris opportunis.

Super requesta domini Arelatensis concernente abbatem S. Anthonii Wiennensis diocesis, placuit quod omnes commissiones concernentes dominum Arelatensem predictum et abbatem racione monasterii Montismaioris per deputaciones et non per vicecancellarium expediantur.

Quo ad requestam domini electi Lingonensis placuit, quod causa que pendet in curia Romana advocetur ad concilium, committatur ac procedatur in eadem ut petitur.

Quo ad requestam precentoris Nemausensis etc. placuit, quod primo pareat iudicato, antequam procedatur in petitorio.

Super requesta Desiderii Barardi, petentis officium cursoris, placuit et concessa est huiusmodi requesta ut petitur.

Super requesta Hermanni prepositi ad Gradus Maguntinos placuit requesta huiusmodi in forma ut petitur.

Super requesta domini abbatis Bone Vallis placuit, quod fiat iusticia etc.

Doctor domini ducis Saxonie marchionis Misnensis ambassiator distributus ad sacram deputacionem pro communibus protestatus est, quod licet habeat locum tanquam privata persona, per hoc tamen non fiat preiudicium ambassiate ipsius domini ducis etc., presentibus domino Pargamensi episcopo et Francisco de Bossis advocato etc.

Die veneris XXVIII[a] mensis ianuarii M°iiij[C]xxxv° in congregacione generali, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis de Cipro Columpna et Firmano.

Lecte fuerunt littere certorum nobilium scribencium in favorem certorum monachorum monasterii Selsensis incarceratorum etc., et quedam copia bulle sacri concilii directa domino Ludouico comiti Palatino et duci Bauarie. Quibus lectis quidam nobiles per organum unius eos associantis pecierunt responsum super eisdem litteris etc.

Concordata.

Supplicacio domini Stephani de Roischa et xix rusticorum Sagabriensis diocesis remissa fuit ad deputaciones.

Super supplicacione pro parte Walteri et Wilhelmi Datiins et eorum consanguineorum etc., petencium causam inter ipsos et consules civitatis Leodiensis ad iudicem non suspectum remitti, si ad partes remittatur, concordant tres deputaciones, quod si causam remitti contingat, remittatur ad iudicem nòn suspectum. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini Johannis Paysant canonici ecclesie Meldensis, petentis cum ipso super irregularitate dispensari etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate huius sacri concilii cum supplicante dispenset ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, commisit suo ordinario.

Super supplicacione reverendi patris domini episcopi Lausanensis, petentis in causa ipsius ecclesie Lausanensis per commissarios fieri relacionem in generali congregacione, concordant omnes deputaciones, quod die veneris proxima in generali congregacione fiat relacio per dominos

commissarios, non obstante quacunque commissione in contrarium oblata. Illa autem de pace addidit, quod antequam sentencia feratur, audiatur dominus dux Sabaudie et quicunque sua interesse credentes in huiusmodi causa.

Super supplicacione domini Nicolai Croseti prioris beate Marie de Plateria Lugdunensis ordinis S. Augustini, huic sacro concilio incorporati, petentis tempus ad tenendum prioratum S. Jacobi de Melgorio Magalonensis diocesis eiusdem ordinis pro tempore huius sacri concilii prorogari etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Quo ad supplicacionem fratris Mathei Fornierii ordinis S. Benedicti super cameraria, que est officium claustrale in monasterio Crasse eiusdem ordinis Carcassonensis diocesis per monachum solitum gubernari, concordant tres deputaciones, quod vocatis vocandis et servatis decretis huius concilii idem religiosus ad dictum officium camerarie, constito de iure suo, in eo statu in quo erat vigore collacionis provisionis et execucionis sibi facte per felicis recordacionis dominum Martinum papam quintum, per reverendissimum ac reverendos patres dominos archiepiscopum Turonensem, Aquensem et Bellicensem episcopos ad hoc per sacras deputaciones deputatos restituatur.

Super supplicacione pro parte domini Johannis Gobilonis electi Lingonensis, petentis causam contra ipsum in Romana curia intentatam[a] advocari et hic committi etc., concordant tres deputaciones, quod causa huiusmodi advocetur et eisdem iudicibus, coram quibus super eadem ecclesia lis pendet in hoc sacro concilio, committatur, qui procedant ut petitur; adiecto tamen per unam ex illis, videlicet de reformatorio, constito prius de assertis, scilicet de incorporacione ipsius supplicantis et litispendencia in hoc sacro concilio. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Conrardi Rorich et Huso Schenken Spirensis diocesis, petencium cum ipsis super impedimento consanguinitatis in tercio et quarto gradibus dispensari etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate huius sacri concilii cum supplicantibus dispenset, prout sibi videbitur, sic tamen quod bulla plumbata mittatur ad reverendissimum dominum archiepiscopum Lugdunensem et ceteros deputatos in materia Grecorum, ad quos finalis ipsius bulle expedicio pertineat. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini Stephani Colleau rectoris parrochialis ecclesie SS. Innocencium Parisius, huic sacro concilio incorporati, pe-

[a]) intentatem *P.*

tentis unionem ipsius ecclesie SS. Innocencium ad ecclesiam S. Oportune Parisius dissolvi etc., concordant omnes deputaciones, quod si capitulum ipsius ecclesie S. Oportune non habuerit pacificam possessionem huiusmodi unionis, dominus archidiaconus Metensis iudex cause procedat ut petitur.

Super supplicacione Desiderii Barardi clerici Tullensis diocesis, petentis consorcio cursorum aggregari etc., concordant tres deputaciones, quod ipse supplicans ad officium cursorum admittatur ut petitur.

Super supplicacione Egidii de Heetvede et Marie de Buere coniugum Tornacensis diocesis, petencium cum ipsis super impedimento publice honestatis iusticie cum ipsis dispensari etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate huius sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur; adiecto per illam de communibus, quod littere desuper conficiende expediantur per deputatos in materia Grecorum. Quarta autem, videlicet de fide, pluries requisita non deliberavit.

Lectis concordatis dominorum duodecim, domini concluserunt, dempta causa xix rusticorum Zagrabiensis diosesis.

Domini commissarii in causa ecclesie Lausanensis de gestis processus suam fecerunt relacionem.

Item placuit et fuit conclusum, quod remitteretur causa unius vassalli marchionis Brandeburgensis ad suum forum etc.

Desiderius Barardi fuit admissus ad officium cursoris, pro quo fideliter exercendo prestitit iuramentum.

Die sabbati XXIX[a] ianuarii in sacra deputacione pro communibus super requesta concernente complementum relacionis in causa ecclesie Lausanensis scrutatis votis placuit et concessa est huiusmodi requesta in omnibus et per omnia ut petitur.

Quo ad requestam illustrissimi domini comitis Palatini, concernentem monasterium Selzense, placuit quod domini cardinalis legatus et alias deputati provideant de responsione facienda et referant in deputacione etc.

Quo ad requestam dominorum prelatorum alias in principio concilii vocatorum executorum et demum absolutorum, petencium [quod] processus et acta quarumcunque causarum medio tempore coram ipsis suis vicariis et officialibus agitati suum robur sorciantur, perinde ac si sentencie excommunicacionis suspensionis vel censure in rerum natura non fuissent etc., placuit et admissa est huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Quo ad requestam domini abbatis Bone Vallis Cisterciensis ordinis placuit et admissa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad requestam domini electi S. Poncii Thomeriarum iterum positam in medium ad deliberandum placuit maiori parti, quod dentur commissarii, qui procedant in causa usque ad sentenciam diffinitivam exclusive et referant in generali congregacione, ut petitur. Et pro ista sacra deputacione fuit deputatus dominus episcopus Lubicensis.

Quo ad requestam Stephani presbiteri et xix rusticorum etc. placuit ut alias, quodque in prima congregacione concludatur.

Quo ad primum avisamentum dominorum de xij de exhortandis deputatis super decretis de causis, de pacificis possessoribus et de intrusis, similiter de reformacionibus, ut sua avisamenta producant in medium aut se exonerent officio suo etc., placuit avisamentum in forma.

Super secundo, quod iudices extraordinarii habeant iurare etc., placuit ut alias, quod omnes cause coram ipsis advocentur et committantur iudicibus ordinariis etc.

Supor iij° quod deinceps in prima et secunda instanciis non committantur cause iudicibus extraordinariis, placuit ut immediate supra.

Super iiij^to^ quod pro qualibet deputacione eligatur unus prelatus, qui simul significent domino vicecancellario, quod vocet omnes notarios, iudices extraordinarios et ordinarios et eos compellat iurare ordinaciones sacri concilii de moderacione salariorum etc., placuit in forma avisamentum, et ad hoc fuit deputatus dominus episcopus Lausanensis.

Super v° quod supplicaciones non porrigantur in deputacionibus, nisi diebus iovis et martis, non placuit de die martis, sed solum de die iovis, ut est consuetum etc.

Quo ad vj^um^ avisamentum, quod deputetur pro qualibet deputacione unus excellens iurista mixtus in scienciis theologie decretorum et legum, qui cum reverendissimo domino legato extravagantes, decreta generalium conciliorum et regulas cancellarie neccessarias reducant in unum volumen secundum servatum ab antiquis patribus auctoritate huius sacri concilii: placuit avisamentum in forma, et pro ista deputacione fuit deputatus dominus Pergamensis.

Die dominica penultima ianuarii fuit missa solemnis in ecclesia maiori more solito.

Die lune ultima ianuarii in sacra deputacione pro communibus super supplicacione Judoci Comet decani ecclesie S. Germani de Montibus in Hanonia, petentis dari unum iudicem, qui cum aliis iudicibus aliarum deputacionum debeant revocare et annullare facta contra decreta sacri concilii, et aliis similibus supplicacionibus etc., placuit quod dominus Lausanensis episcopus unacum aliis iudicibus per sacras deputaciones

deputandis habeat observare et observari facere decreta sacri concilii cum potestate quascunque litteras sive bullas contra ipsa decreta expeditas cassandi et revocandi.

Super supplicacione abbatis de Mellico placuit, quod committatur domino cardinali legato in forma sacre deputacionis reformatorii.

Quo ad conservatoriam placuit ad septennium.

Quo ad primum avisamentum dominorum de xij^{cim}, quod debeat fieri decretum contra multitudinem indiscrete vovencium, unde sequuntur multa mala et inexcogitabilia ac multe apostasie, videlicet statuendo quod nullus[a] utriusque sexus possit de cetero solemnizare[b] nisi in maiori et magis matura etate per sacras deputaciones limitanda etc., placuit avisamentum et quod huiusmodi etas limitetur ad xviij annos etc. Item quod mullus clericus deinceps promoveatur ad sacerdocium nisi attingat xx^{um} annum etc.

Super secundo, quod dentur solicitatores, qui habeant sollicitare notarios, ut deliberata sacrarum deputacionum habeant reportare dominis de xij^{cim} etc., placuit avisamentum, et pro solicitatore fuit deputatus dominus Hugo promotor.

Super iij^{o} de manualibus et cothidianis distribucionibus, que debentur canonicis et viris ecclesiasticis in horis continue existentibus et non aliis, quod ordinetur per sacrum concilium, quod predicti canonici et viri ecclesiastici chorum intrantes in principio horarum et ad statim recedentes, per navim et claustra ecclesiarum vagantes ad aliaque negocia sua intendentes et recedentes, deinceps huiusmodi viri ecclesiastici non reputentur presentes quo ad distribuciones percipiendas, sed dumtaxat eis, qui horis singulis continue intersunt, huiusmodi distribuciones adiudicentur, non obstante quocunque statuto au[t] consuetudine cuiuscunque ecclesie etc., placuit avisamentum in forma.

Die martis prima februarii M^{o} iiij^{C}xxxv^{o} in generali congregacione presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus cardinalibus de Cipro, Arelatensi, de Columpna et Firmano etc.

Auditis advocatis hincinde in causa ecclesie Lausanensis et petito per dominum cardinalem legatum gradatim, si amplius aliquid dicere velint, et responso per eosdem advocatos, quod pro nunc nichil aliud dicere volebant:

Lectis concordatis dominorum de xij in eadem causa Lausanensi et concluso super eisdem, domini commissarii in eadem causa Lausanensi iuxta huiusmodi concordata suam de gestis in processu agitato coram

[a]) nullius *P.* [b]) solēnē *P.*

ipsis ad plenum compleverunt relacionem, quam de mandato eorundem dominorum commissariorum ego Bruneti in scriptis legi.

Quaquidem relacione completa et audito[a] ad plenum domino[b] episcopo Bellicensi nomine domini ducis Sabaudie et responso ad proposita eiusdem per dominum Lubicensem nomine serenissimi domini imperatoris:

Dominus Richardus tanquam procurator domini ducis Sabaudie et domini Johannis de Prangino possessoris a gravaminibus sibi, ut asserebat, illatis provocavit et appellavit ad illum vel illos, ad quem vel ad quos de iure poterat et debebat appellare, petens instrumentum a nobis notariis etc.

Deinde lecte fuerunt littere apostolice domini nostri pape, per quas certis de causis animum suum moventibus dominum L[udouicum] episcopum Lausanensem, licet absentem et invitum, transtulit ad ecclesiam Auinionensem.

Nota quod fuerunt ignes de carbonibus in ecclesia.

Eadem die fuerunt vespere solemnes ob reverenciam Purificacionis beatissime Marie virginis.

Die mercurii II^{da} februarii die Purificacionis M^{o}iiij^{c}xxxv^{o} fuit missa solemnis celebrata per dominum episcopum Londoniensem etc. et fecit sermonem ambassiator regis Aragonum et fuerunt domini cum cereis.

Die iovis III^{a} februarii in sacra deputacione pro communibus.

Super supplicacione Georgii Wissz et Agnete Basiliensis diocesis, petencium dispensari super iiij^{to} gradu, placuit quod committatur domino cardinali legato, qui dispenset auctoritate sacri concilii cum supplicantibus, prout sibi videbitur, ita tamen quod littere expediantur per deputatos in materia Grecorum etc.

Pro presidente fuit deputatus dominus decanus Compostellanus.

Pro xij fuerunt deputati dominus episcopus Bellicensis continuatus, abbas de Verona et ambassiator serenissimi domini regis Polonie.

Pro custode clavis fuit deputatus dominus Symon Freron.

Pro referendario dominus Guillermus doctor Anglicus.

Quo ad supplicacionem domini Maguntini placuit supplicacio in forma ut petitur.

Quo ad supplicacionem Bailliui Wandi et nobilis Katherine de Menthone, petencium dispensari super iij^{o} gradu affinitatis, placuit quod committatur domino cardinali legato, qui dispenset auctoritate sacri con-

[a]) audit. *P.* [b]) dominis *P.*

cilii ut petitur, et expediantur littere per dominos deputatos in materia Grecorum.

Quo ad supplicacionem Johannis Mercerii abreviatoris, petentis permutari beneficia etc., placuit avisamentum sacre deputacionis fidei.

Super supplicacione domini decani S. Germani de Montibus placuit ut alias, quod dominus Lausanensis cum aliis deputatis provideat etc.

Quo ad supplicacionem Walteri et Willermi Dantins[a] et eorum consanguineorum placuit in forma ut petitur.

Quo ad supplicacionem fratris P. Wyl . . .[b] inquisitoris placuit avisamentum sacre deputacionis fidei.

Super supplicacione domini translati ad ecclesiam S. Poncii Thomeriarum deputacio requisita non deliberavit.

Die veneris IIII[ta] februarii M°CCCC°xxxv° in generali congregacione, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi, de Columpna et Firmano.

More solito incorporati fuerunt abbas monasterii S. Johannis de Svidua ordinis S. Benedicti Aquensis diocesis, frater Johannes de Ferreriis prior de Alsone Nemausensis[c] diocesis ordinis canonicorum regularium, Rigaldus Rock prior secularis ecclesie beate Marie Sangane Ruthenensis diocesis, dominus Odo prothonotarius pro archiepiscopo Beneuentano, produxit mandatum.

Concordata.

Super causa appellacionis ecclesie S. Poncii Thomerariarum.

Super supplicacione fratris Petri Wichman inquisitoris.

Super supplicacione archiepiscopi Maguntini, petentis tempus a canonibus statutum de consecrandis episcopis sibi prorogari usque ad et per totum mensem iullii inclusive etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini N. Martini presbiteri Baiocensis diocesis.

Super supplicacione reverendi patris abbatis Bonevallis.

Super supplicacione domini Johannis de Blenay militis etc.

Super [supplicacione] domini Judoci Cornet decani Montensis.

Super supplicacione domini Benedicti prepositi ecclesie beate Marie Albiregalis.

Super supplicacione Dominici Albrieti. Super supplicacione domini Hermanni Rost.

Super supplicacione Johannis Bredecourt. Super supplicacione abbatis Mellicensis.

[a]) Dantiñs *P.* [b]) *lies* Petri Wychman. [c]) Nemās. *P.*

Concordatis lectis domini presidentes nomine sacri concilii iuxta deliberata trium deputacionum etc. concluserunt.

Frater Johannes de Turrecremata nomine deputacionis reformatorii conquestus est de magistro H[ugone] promotore, imponens sibi quod retulerat tres deputaciones deliberasse super deputandis dandis pro observacione decretorum.

Magister Stephanus de Nouaria advocatus domini Johannis de Prangino narravit promocionem factam de ecclesia Lausanensi eidem domino Johanni etc.

Dominus Symon de Valle notabiliter respondit ad proposita ipsius domini Stephani de Nouaria.

In causa ecclesie Lausanensis, auditis advocatis parcium hincinde, reverendissimus dominus cardinalis legatus ad memoriam dominis de concilio reducens iuramentum per ipsos prestitum de non revelando etc., presertim ea que ibi dicerentur;

Tandem instante promotore exhortatus est dominos commissarios in causa huiusmodi, ut dicere velint, quid eis videbitur in hac causa.

Deinde domini commissarii ad mandatum sacri concilii simul convenientes iuxta sedem, qua dominus cardinalis Firmanus sedere consuevit, et deliberacione inter se habita, dixerunt per organum ipsius domini cardinalis Firmani, submittentes dicta sua correctioni sacri concilii, ea que sibi videntur in hac materia.

Primo dixerunt, quod visis litteris promocionis domini Ludouici, ex quibus nulla difficultas est apud eos; secundo visis litteris sue consecracionis sibi impense per reverendissimum dominum cardinalem Arelatensem, de quibus eciam apud eos legitime[a)] constat; tercio visa electione, quam pretendebat de se factam dominus Johannes de Prangino; quarto visis litteris incorporacionis ipsius domini Ludouici huic sacro concilio; v° visis litteris translacionis ipsius domini Ludouici de ecclesia Lausanensi ad ecclesiam Auinionensem, in qua multa continentur generalia, propter que sanctissimus dominus noster asserit se translacionem fecisse; sexto visis decretis concilii Constanciensis de episcopis[b)] non transferendis; vij° viso decreto „Ambiciosorum“[1]; viij° visa extensione facta de decreto „Ambiciosorum“, in qua continetur, qualiter omnes conventus et capitula incurrunt penas contentas in capitulo „Ambiciosorum“, si recipiant etc.; et primo visa alia clausula in xj[a] sessione, que incipit „Declarat“[2] etc., per quam concilium irritat et cassat omnes translaciones, quomodocunque fierent etc.; x° viso decreto „Ut sacri“[3], in quo dicitur, quod ea que

[a)] lege' *P.* [b)] ipsis *P.*

[1] *Dekret der 8. Session. Mansi 29, 43. M. C. 2, 290.* [2] *Mansi 29, 53. M. C. 2, 353.* [3] *Dekret der 13. Session. Mansi 29, 70. M. C. 2, 447.*

facta sunt contra incorporatos, habeantur pro infectis; xj° visis litteris adhesionis sanctissimi domini nostri pape, quibus revocat quecunque facta contra supposita sacri concilii[1]; nec est pretermittendum de duobus, que tamen requiruntur in decreto „Ut sacri“ etc.; xij° visis litteris approbacionis adhesionis sanctissimi domini nostri pape, quam sacrum concilium approbat;

Visis eciam multis aliis, et presertim de exequcione, quia constat quod vigore decretorum non potuit citari moneri evocari etc. extra concilium, eciam quia per adhesionem omnia revocantur:

Videtur et visum fuit prefatis dominis commissariis et videtur adhuc de presenti, quod ius in dicta ecclesia Lausanensi dicto domino Ludouico compeciit et competit.

De hiis omnibus per dominos commissarios prolatis et dictis magister Hugo promotor nomine promotorio peciit a nobis notariis instrumentum etc.

Deinde reverendissimus dominus cardinalis legatus, postquam promotor requisiverat dominos commissarios, ut vellent cogitare de sentencia componenda quodque die martis proxima ob hanc causam fieret generalis congregacio, exhortatus est dominos de concilio, ut super hoc in sacris deputacionibus vellent deliberare.

Die sabbati V[a] februarii in sacra deputacione pro communibus super avisamento dominorum de xij, incipiente: „Cum retroactis temporibus sepius disceptatum fuerit de mala expedicione litterarum sub bulla huius sacri concilii, quod utique absque clavium custodia fieri non potest, dignentur sacre deputaciones in hoc de cetero animadvertere et avisare taliter, quod pro custodibus deputentur persone graves et obtinentes beneficia, a quibus racio vilicacionis peti possit, quodque eciam amplius litteris expediendis fides non adhibeatur, nisi per omnes claves habentes subscribantur manibus eorum propriis ac dies expedicionis, prout in Romana curia consuetum est fieri, et quod non expediantur partibus usque quo fuerint registrate etc.“: placuit huiusmodi avisamentum in forma, ita tamen quod infra octo menses a die publicacionis huiusmodi ordinacionis in valvis ecclesie maioris faciende omnes bulle hactenus expedite graciam in se continentes ad registrandum reportentur, alioquin lapso dicto termino pro nullis habeantur.

Placuit quod reverendissimus pater dominus cardinalis legatus auctoritate sacri concilii scribat litteras domino archiepiscopo Ebredunensi in favorem domini Aydemari alterius promotorum sacri concilii.

Dominus Stephanus de Nouaria advocatus partis adverse, assistentibus sibi domino Richardo, G[uillermo] de Breda et quodam notario, requisivit

[1] *Inseriert im Decret der 16. Session. Mansi 29, 78. M. C. 2, 565.*

dominos de sacra deputacione pro communibus, ut in hac causa ecclesie Lausanensis darentur novi deputati notabiles viri et periti in iure, qui viderent et examinarent huiusmodi processum et cognoscerent de meritis cause etc. Cui fuit responsum per dominum presidentem dominum decanum Compostellanum [a)], quod sacra deputacio vellet deliberare.

Quo ad requestam concernentem ecclesiam Lausanensem etc., scrutatis votis dominorum placuit avisamentum reverendorum dominorum commissariorum in causa huiusmodi heri in generali congregacione per ipsos relatum, quod feratur sentencia pro domino Ludouico de Palude ius in dicta ecclesia habente, quam sentenciam habeant ipsi domini commissarii ordinare et componere; quodque ad actum huiusmodi dumtaxat per dominos presidentes sacri concilii ad diem martis proximam generalis congregacio indicatur; et alias ut in eadem requesta petitur.

Die lune VII[a] februarii in sacra deputacione pro communibus ambassiatores illustrissimi domini ducis Sabaudie, communitatum de Berna et de Friburgo per organum domini Stephani de Nouaria requisiverunt, quod indicatur generalis congregacio, in qua plene audiantur in materia ecclesie Lausanensis.

In dicta materia ecclesie Lausanensis quo ad audienciam petitam per dominos ambassiatores illustrissimi domini ducis Sabaudie etc. placuit, quod die crastina martis fiant deputaciones, et die mercurii quo ad actum huiusmodi solum per dominos presidentes indicatur generalis congregacio, in qua ipsi ambassiatores plene audiantur etc.

Die martis VIII[a] februarii in sacra deputacione pro communibus reverendissimus dominus Tarentinus alter presidencium sanctissimi domini nostri pape exhortatus est dominos, quod in materia indulgenciarum cum maturitate et caritate vellent procedere et differre huiusmodi negocium, quosque dominus Paduanus eius collega super hiis que facta sunt in concilio Senensi etc.

Eadem die post meridiem in sacra deputacione pro communibus accesserunt ad deputacionem reverendissimi domini domini Tarentinus et episcopus Paduanus presidentes etc., et postquam exhibuerat dominus Paduanus suas instructiones sibi datas per felicis recordacionis dominum M[artinum] papam in concilio Senensi etc., exhortatus est pro honore concilii sacram deputacionem, ut vellent hanc materiam remittere ad dominum nostrum papam etc. De quibus etc., presentibus patriarcha Aquilegiensi, archiepiscopis Lugdunensi et Cretensi, Bellicensi et Lau-

a) dm̄ de . Compo . *P.*

sanensi episcopis, abbatibus de Chereto et de Verona, Johanne Pulcripatris et Thoma Francisci.

Die lune VII[a] et die martis VIII[a] februarii in sacra deputacione pro communibus super materia indulgenciarum in materia Grecorum etc. scrutatis singulariter votis dominorum sunt xxxviij vota cum avisamento sacre deputacionis fidei, quod bulla huiusmodi indulgenciarum per sacrum concilium exnunc expediatur, et nichilominus post expedicionem mittatur ex parte sacri concilii ad sanctissimum dominum nostrum papam ad ipsum exhortandum, ut prebeat consensum et scribat regibus principibus et nacionibus exhortando, quod in hac materia tam pia et sancta sint favorabiles, quodque suspendat omnes alias similes indulgencias ista durante. Sunt sex vota, quod expediatur eciam non requisito consensu domini nostri. Sunt xiiij vota, quod primo requiratur consensus eiusdem domini nostri, et iiij[or] vota quod expediantur, ita tamen quod huiusmodi indulgencie habeant cursum per universales naciones.

Quibus votis publicatis dominus presidens dicte sacre deputacionis pro communibus super eadem materia conclusit a maiori parte, videlicet iuxta avisamentum dicte sacre deputacionis fidei.

Nota quod dominus Johannes doctor de Hungaria in dicendo votum[a)] suum super materia indulgenciarum in facto Grecorum etc. addidit, quod in casu quo non fieret reductio, pecunie que levarentur in Alamania converterentur ad pios usus ad dictamen inclite nacionis Germanice, quodque revocentur omnes protestaciones, si que clandestine facte sunt occasione huiusmodi indulgenciarum.

Die mercurii IX[a] februarii M[o]iiij[C]xxxv[o] in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato et aliis etc., assistentibus dominis cardinali de Cipro, Arelatensi, de Columpna et Firmano etc.

Lectis litteris baronis in Winsperg sacri Romani imperii camerarii hereditarii etc. et explicata[b)] credencia per dominum Stephanum de Nouaria advocatum, placuit et fuit conclusum, quod dentur littere opportune in favorem abbatis et monasterii Dobrikut ordinis Cisterciensis Misnensis diocesis contra molestatores et inferentes dampna ipsi monasterio.

Lectis litteris credencialibus illustrissimi domini ducis Sabaudie, presentatis per magistrum Nycodum Festi, concernentibus ecclesiam Lausanensem, quam credenciam remisit exponendam domino Stephano de Nouaria advocato etc., qui dominus Stephanus advocatus, repetitis prius hiis que alias in et super huiusmodi causa proposuerat, dixit, quod dominus noster reverendum patrem dominum Ludouicum de Palude ad

[a)] votuum *P.* [b)] expedita *P.*

ecclesiam Auinionensem transtulit, et cetera alias dicta tam de concordia tractata alias quam aliter. Et inter cetera retulit duo, videlicet translacionem illam alias tractatam de persona ipsius domini Ludouici episcopi ad ecclesiam Tarentasiensem, quequidem translacio sequta non fuit effectum, eo quod ipse dominus episcopus debitum suum non fecit in prosequendo, prout debebat.

Deinde dixit de surrogacione prosequta per ipsum dominum Ludouicum de persona reverendissimi domini cardinalis Firmani in locum domini Foroiuliensis per deputaciones et deinde in generali congregacione conclusa.

Item dixit de copia registri denegata et de illa commissione surrepticie obtenta, eo quod nulla fuit facta mencio de huiusmodi denegacione copiarum.

Item dixit de non admissione excepcionum contra commissionem petita.

Item dixit se petivisse in deputacionibus, quatenus via iuris in causa huiusmodi procederetur iuxta et secundum quod articulus in concordia cum domino duce habita cantabat, quod sibi denegatum est, vel saltim non exauditum.

Postmodum dixit illa gravamina venisse ad noticiam ipsius domini ducis et aliorum etc., et ideo misisse oratores etc. Quare peciit, quod reiectis omnibus in processu agitatis, cum solus unicus terminus substancialis tentus sit, iudices sibi dari et deputari, qui de huiusmodi causa cognoscant via iuris et iusticiam faciant. Et hocidem petebant oratores Friburgensium et Bernensium. Alias protestatus fuit de providendo sibi de remedio opportuno, prout melius poterunt.

Ex adverso dominus episcopus Lubicensis orator serenissimi domini imperatoris et eius nomine peciit, prout alias, ipsum dominum Ludouicum in iusticia haberi[a)] recommissum, et nichilominus excusavit ipsum dominum Ludouicum episcopum, quod illa que protulit in hac materia nunquam dixit ad requestam vel instigacionem[b)] ipsius, sed solum pro parte ipsius domini imperatoris et de eius mandato.

Deinde domini oratores laici Bernensium et Friburgensium proposuerunt in vulgari theutonico.

Postmodum heraldus dicti domini ducis Sabaudie, indutus armis eiusdem domini ducis, presentavit[c)] litteras suas, in quibus erat interclusa quedam cedula sive copia littere, quam ipse dominus dux tunc transmisit domino Ludouico episcopo[1], per quam apparebat, qualiter ipse dominus

[a)] habere *P.* [b)] investigacionem *P.* [c)] presentarunt *P.*

[1] *Mansi 30, 899. 900.*

dux erat informatus, quod ad suggestionem ipsius domini Ludouici episcopi dominus Lubicensis episcopus et promotores sacri concilii falso asserentes multa protulerunt in generalibus congregacionibus contra ipsum et eius dominium etc., prout in cedula continetur.

Quibus dictis dominus episcopus Lubicensis, iterum prefatum dominum Ludouicum excusando, peciit copiam ipsius cedule sibi dari et protestatus fuit de respondendo illi ex parte ipsius domini imperatoris tempore et loco.

Postmodum dominus Ludouicus de Palude episcopus Lausanensis antedictus se excusando dixit, se nunquam in vita sua aliquid dixisse publice vel occulte, quod ipsum dominum ducem illustrissimum irritare deberet, quodque eciam nunquam illa que in dicta cedula continentur quandocunque dixit, invocando in testimonium et requirendo omnes dominos de sacro concilio, quodque de hoc vellent perhibere testimonium etc.

Similiter dixerunt et petiverunt domini promotores, excusando se in premissis.

Quibus auditis reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine suo et dominorum presidencium sanctissimi domini nostri pape et deinde dominus cardinalis Firmanus uniformiter excusarunt tam prefatum dominum Ludouicum quam promotores predictos, volentes, ut diceba[n]t, testimonium veritati perhibere, et dixerunt unus post alium, quod nunquam ab ipsis vel eorum altero audiverunt directe vel indirecte, publice vel in secreto illa que in dictis litteris continentur nec aliud quod cedere posset aut deberet ad irritacionem ipsius domini ducis sive in materia temporalitatis sive alias.

Tandem magister Thomas Rode procurator ipsius domini Johannis de Prangino episcopi explicavit verbis latinis proposita per dominos oratores Bernensium et Friburgensium, et in effectu, quod petunt in causa huiusmodi via iuris et non quod t . . .[a] procedi, et casu quo aliter fieret, addiderunt quod timebant, ne evenirent aut evenire possent impedimenta huic sacro concilio, quod Deus avertat.

Dominus decanus de Salceya supplicavit dominis de sacro concilio, ut vellent intendere circa pacem regni Francie etc., petens instrumentum etc.

Postremo dominus Symon de Valle in contrarium advocatus replicavit, refellendo prout poterat proposita pro parte adversa, petens ulterius iusticiam fieri et ecclesiam Lausanensem illi cui pertinet adiudicari.

Postmodum partibus auditis hincinde reverendissimus dominus cardinalis legatus presidens dixit sacram congregacionem generalem multum

[a]) *so P.*

dolere, quod illustrissimus dominus dux Sabaudie per sinistras informaciones irritatus existat.

Finaliter dixit ipse dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii, prout mos erat ipsius sacri concilii etc., quod super petitis hincinde sacre deputaciones deliberarent. De quibus etc. domini episcopi Lubicensis et Lausanensis, similiter et promotores pecierunt instrumentum etc.

Die iovis X[a] februarii in sacra deputacione pro communibus domini ambassiatores serenissimi domini regis Castelle et Legionis accesserunt ad deputacionem, offerentes requestam, super qua requisiverunt quod domini vellent deliberare.

Et dum super ipsa aliqui deliberarent, quidam doctor Anglicus requisivit sacram deputacionem, quod super ipsa deliberacione vellent supersedere.

Reverendus pater dominus episcopus Londoniensis proposuit, quod super huiusmodi controversia sedium per sacrum concilium facta erat notabilis ordinacio, quare exhortatus est dominos, quod pro honore concilii illam ordinacionem vellent observare et manutenere; alias serenissimus dominus rex Anglie non bene contentaretur.

Super materia Lausanensi pro parte illustrissimi domini ducis Sabaudie et oratorum Bernensium et Friburgensium fuit oblata requesta, super qua domini vellent deliberare.

Dominus Symon de Valle advocatus domini L[udouici] episcopi Lausanensis requisivit, quod in iure suo domini dignarentur ipsum habere recommissum.

Hoc idem requisivit dominus L[udouicus] episcopus, et quod pro excusacione sua scriberentur littere favorabiles duci Sabaudie.

Tandem, quia fuit relatum sacre deputacioni, quod sacra deputacio fidei deliberaverat, placuit avisamentum eiusdem deputacionis fidei, quod per sacrum concilium scribantur littere domino duci Sabaudie, excusando dictum dominum Ludouicum episcopum super sinistris informacionibus contra ipsum dominum Ludouicum eidem domino duci factis; et committatur dominis legato et Firmano cardinalibus, qui quascunque litteras eciam sub bulla sacri concilii scribant et proprium nuncium eidem domino duci mittant ad excusacionem ipsius domini episcopi, ita tamen quod procurator partis adverse videat huiusmodi litteras, antequam totaliter expediantur, si voluerit.

Die veneris XI[a] februarii M[o]iiij[C]xxxv[o] in generali congregacione, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi, de Columpna et Firmano et quampluribus aliis dominis.

More solito fuerunt incorporati frater Johannes Mauricii prior de Mostrolio Andegauensis diocesis, Oliuerius Huieti curatus Montis S. Johannis Andegauensis diocesis, frater Oliuerius de Sales prior S. Spiritus Briocensis diocesis pro domino electo Maclouiensi, Johannes Dieulefist pro capitulo Lexouiensi.

Dominus Tarentinus narravit, quod in ultima congregacione fuerat lecta clausula quedam sumpta de litteris domini ducis Mediolani, missa hic suis oratoribus, concernens pacem Ytalie. Inter cetera dixit, quod reverendissimi domini cardinales legati concilii notabiliter vacabant circa huiusmodi pacem etc.

Dominus episcopus Lubicensis pro et nomine serenissimi domini imperatoris proposuit, qualiter alias ipse et sui college nomine imperatoris fecerant in generali congregacione multas requestas, super quibus nullum adhuc habuerant responsum. Exhortatus est dominos, quod super hoc vellent mature deliberare et votivum responsum dare.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus exhortatus est dominos, quod super huiusmodi requestis vellent deputaciones deliberare.

Fuerunt lecte littere credenciales communitatum oppidorum comitatuum Hollandie Zelandie et Wifrisie etc., concernentes controversiam inter contendentes de ecclesia Traiectensi.

Quibus lectis fuit lecta credencia huiusmodi litterarum per me Bruneti notarium etc. Et quia honor domini Rodolphi tangebatur, dominus Petrus de Mera procurator ipsius domini Rodolphi iustificavit causam eiusdem domini sui.

Pars adversa peciit audiri etc.

Concordata.

Super materia indulgenciarum in facto Grecorum concordant tres deputaciones de fide, de communibus et de pace, quod bulle dictarum indulgenciarum expediantur sub nomine sacri concilii. Quod autem post expedicionem earum mittatur ex parte sacri concilii ad dominum nostrum papam, quatenus prebeat consensum et scribat regibus principibus et nacionibus exhortando, ut in hac materia tam pia et sancta sint favorabiles, quodque suspendat omnes alias similes indulgencias ista durante, conveniunt ille de fide et de communibus. Illa autem de pace voluit super isto secundo, videlicet de requirendo dominum nostrum et scribendo principibus, in prima deputacione deliberare. Quarta autem, videlicet de reformatorio, deliberavit quod rogetur sanctissimus dominus noster, ut velit istas indulgencias concedere, ad effectum quod recipiantur pecunie pro reductione Grecorum, sacro approbante concilio.

Quibus concordatis lectis surrexit dominus patriarcha Anthiocenus, petens sibi diem assignari, in qua in huiusmodi materia indulgenciarum plene audiri posset.

Hocidem requisiverunt domini presidentes sanctissimi domini nostri pape pro honore sacri concilii et eiusdem domini nostri pape.

Dominus archiepiscopus Turonensis ad plenum in hac materia fuit auditus et concludendo dixit, quod hec materia deberet per sanctissimum dominum nostrum papam expediri hoc approbante concilio.

Reverendissimus dominus Lugdunensis contrariam partem tenuit, allegando quod iij[C] vicibus[a)] in sacro concilio, presente eciam felicis recordacionis domino M[artino] et non presente, sacrum concilium dabat indulgencias.

Reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis pro iustificacione dominorum commissariorum in hac materia narravit ea que facta fuerunt per eosdem dominos commissarios iuxta deliberaciones sacrarum deputacionum et conclusionem generalis congregacionis, que deliberaciones et conclusio publice lecte sunt.

Inclita nacio Germanica circa huiusmodi materiam indulgenciarum in scriptis protestata est, prout in quadam papiri cedula continetur, que protestacio publice lecta est.[1]

Qua lecta reverendus pater dominus episcopus Lubicensis, qui huiusmodi materiam aperuerat, nomine dicte nacionis inclite Germanice fuit protestatus ut supra, petens inde a nobis notariis instrumentum.

Dominus decanus Compostellanus narravit, quod sibi videbatur per tenorem concordatorum, quod tres deputaciones non concordabant etc., et ideo bonum esset, quod mature super hoc deliberaretur.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus, auditis peticionibus factis per reverendissimos dominos presidentes et patriarcham Anthiocenum, et ut res in concilio mature procederent, ut mos est concilii, exhortatus est sacras deputaciones, ut vellent deliberare, ut fieret congregacio generalis ad diem lune proximam, in qua predicti domini et alii in hac materia plene audirentur etc.

Die sabbati XII[a] februarii in sacra deputacione pro communibus pro et nomine inclitarum nacionum Italie et Germanie accesserunt ad deputacionem domini episcopus Parmensis et quatuor alii, per organum domini episcopi Parmensis proposuerunt et in effectu requisiverunt, quod si conti[n]geret verbum fieri de controversia racione sedium inter ambassia-

[a)] *so P; wohl zu lesen* tribus vicibus.

[1] *Würdtwein, Subsidia diplomatica 7, 24.*

tores dominorum regum Castelle et Anglie, quod hanc materiam vellet sacra deputacio pro communibus remittere ad dominos commissarios alias et de novo deputatos pro huiusmodi controversia cedanda; quod si non possent negocium sedare, quod sacrum concilium faciat, quid sibi bonum videbitur.

Dominus episcopus Londoniensis requisivit, quod huiusmodi negocium, ut evitentur scandala, remaneat in statu, in quo pro nunc remanet. Et sicut dominus presidens dixit, quod omnes de obediencia amborum regum recederent, ita requisivit dominus Londoniensis, quod omnes colligati et confederati domino regi Castelle exirent etc.

Ambassiatores domini ducis Sabaudie requisiverunt super requesta sua habere responsum.

Dominus episcopus Londoniensis expresse protestatus est, quod nullomodo vult consentire nec consentit, quod hec materia in sacro concilio introducatur, quia hoc negocium concernit coronas regnorum, adherendo decretis super hoc in prima sessione editis.

Item dominus G[uillermus] Anglicus requisivit, quod supersedeatur in huiusmodi negocio.

Dominus prothonotarius requisivit, quod prout est hactenus in hac sacra deputacione fieri consuetum, si sint aliqui suspecti pro utraque parte, recedant.

Super avisamento inclitarum Italice et Germanice nacionum, requirencium quod controversia racione sedium inter dominos ambassiatores dominorum regum Anglie et Castelle remitteretur ad deputatos per ipsas naciones alias et nunc deputatos et deputandos etc., scrutatis singulariter votis dominorum fuerunt xxxiiij^{or} vota, quod placebat huiusmodi avisamentum in forma; fuerunt xj vota cum tribus deputacionibus, que iam, ut dicitur, super hoc deliberaverunt; fuerunt iij vota, quod omnino in ipsa et similibus suspenderetur; fuerunt duo vota, quod liber cerimoniarum ecclesie Romane videretur et iuxta eundem provideretur; sunt duo vota, quod compactata videantur.

Quibus votis publicatis dominus episcopus Lubicensis tunc de mandato sacre deputacionis presidens conclusit a maiori parte votorum, videlicet cum avisamento predictarum duarum nacionum Italice et Germanice etc.

Super materia indulgenciarum placuit, quod indicatur congregacio generalis ad diem lune et, si sit opus, ad diem martis.

Die dominica XIII^{a} fuit missa solemnis more solito.

Die lune XIIII^{ta} februarii millesimo CCCC^{o} tricesimoquinto in generali congregacione, presidentibus etc., assistentibus dominis cardinalibus de

Cipro, Arelatensi, de Columpna et Firmano necnon pluribus aliis prelatis in magno numero et doctoribus etc. ac aliis diversorum statuum etc.

Reverendissimus dominus archiepiscopus Tarentinus alter presidencium domini nostri pape resumpsit verba domini cardinalis legati in ultima congregacione dicta, videlicet „veritas vincit“, et ulterius dixit non fuisse neccesse disceptasse super illis quibus iam disputatum existit, ad propositum dicens „veritas de terra orta est“ etc.[1] Postmodum legit copias certarum litterarum missivarum cuiusdam oratoris domini nostri pape Constantinopoli existentis, qui scripserat domino nostro pape in materia Grecorum, inter que scribebat se conclusisse certa capitula cum Grecis imperatore et patriarcha Constantinopolitano;[2] et ulterius, si aliter per sacrum concilium fieret quam ut supradictum est, dixit reductionem illam nunquam posse consequi effectum.

Reverendissimus pater dominus cardinalis legatus proposuit, quod esset bonum quod ipse dominus legatus vocaret aliquos, de quibus sibi videretur, qui viderent de remediis opportunis apponendis. Quod placuit et fuit conclusum.

Die iovis XVII[a] februarii in sacra deputacione pro communibus super requesta fratrum Minorum de observancia placuit, quod committatur dominis episcopo Lubicensi et abbati de Chereto, qui cum deputatis aliarum deputacionum videant et referant.

Super supplicacione Johannis Galee de Angosalis et Aluisite mulieris, petencium dispensari super quarto gradu etc., placuit quod committatur domino cardinali legato[a)], qui dispenset prout sibi videbitur etc.

Super supplicacione domini Raymundi Taloni placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis Rothomagensis vicecancellarius committat alteri ex iudicibus rote etc.

Placuit quod super controversiis inter ipsum dominum Raymundum et eius adversarium dominus Johannes doctor de Hungaria audiat partes et referat.

Placuit quod reverendus pater dominus episcopus Niuernensis presens in concilio per sacerdotem ydoneum valeat facere reconciliari ecclesias et cimiteria pollutas et polluta sue diocesis etc.

Similiter hoc iddem placuit pro domino episcopo Constanciensi provincie Rothomagensis.

Super requesta concernente ecclesiam Lausanensem placuit, quod indicatur congregacio generalis ordinaria vel extraordinaria, in qua con-

a) legati *P.*

1 *Ps. 84, 12.* 2 *Mansi 30, 889 (vgl. 1, 342).*

cludantur deliberata die sabbati vj[a] februarii, et mittantur ambassiatores ad dominum ducem Sabaudie pro excusacione innocencie domini Ludouici et iustificacione processus et iurium parcium, cum prefixione termini trium septimanarum ad revertendum, et interim supersedeatur in prolacione sentencie; quodque dentur commissarii, qui habeant dominum ducem et alios audire pro suo interesse et super suspicionibus et referre in generali congregacione. Et ad hoc pro deputacione ista fuit deputatus dominus episcopus Londoniensis. Item pro litteris et instructionibus componendis fuerunt deputati domini legatus et Firmanus cardinales.

Super supplicacione domini archiepiscopi Magdeburgensis placuit et admissa fuit requesta huiusmodi ut petitur.

Super requesta abbatisse et monialium Niuellensium placuit, quod remittatur iuxta avisamentum reformatorii.

Quo ad requestam canonicorum ecclesie Placentine[a)], petencium differri almucia de grisio etc., placuit quod committatur domino episcopo loci, qui provideat prout sibi videbitur.

Super requesta Johannis Semekag etc. placuit avisamentum sacre deputacionis reformatorii.

Super requesta doctoris de Scocia, petentis permutari beneficia etc., placuit supplicacio ut petitur, durante concilio et non ultra.

Super requesta magistri Johannis Bily canonici ecclesie Dolensis etc. placuit, quod committatur iudici cause, qui si sibi constiterit de attemptatis et sentenciis latis contra ipsius supplicantis incorporacionem huic sacro concilio et contra decreta sacri concilii, illa casset revocet et procedat ut petitur.

Quo ad requestam domini episcopi Adriensis in Ispania placuit et admissa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad requestam domini imperatoris, factam per dominum Lubicensem, remissa est ad diem sabbati proximam deliberanda.

Die veneris XVIII[a] februarii M[o]iiij[C]xxxv[o] in generali congregacione, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi, de Columpna et Firmano et quam pluribus aliis prelatis.

More solito fuerunt incorporati Nicolaus Franqueti magister in artibus canonicus Suessionensis, Stephanus de Roseriis canonicus Siluanectensis, Petrus Baronis decanus Thalemondensis Lucionensis diocesis, magister Johannes Harons magister in artibus canonicus Glasguensis, magister Johannes Philippi theologie professor ordinis Carmelitarum.

[a]) Placen̄ *P.*

Lecte fuerunt littere credenciales domini imperatoris[1], presentate per dominum Conrardum comitem camerarium hereditarium, quibus lectis miles ambassiator exposuit credenciam. Inter cetera dixit, quod Bohemi iam posuerunt omnia castra regni in manibus domini imperatoris. Dixit quod rex Bozne cum maxima multitudine submisit se domino imperatori, volens redire ad fidem catholicam. Petens eciam quod semidecima colligatur pro complemento operis Bohemorum etc. Item petit, quod unus iudex per sacrum concilium detur in causis fiscalibus imperialibus et ipsius camerarii.

Lecte fuerunt littere domini Romanorum imperatoris in favorem domini Walrami postulati ad ecclesiam Traiectensem.

Lecte fuerunt littere domini ducis Britanie in favorem electi Maclouiensis, de qua Symon de Valle et F[ranciscus] de Bossis advocati pecierunt instrumentum.

Lecte fuerunt littere capituli Tridentini,[2] quibus lectis materia, de qua in eis fit mencio, remissa est ad deputaciones.

Concordata.

Super supplicacione reverendi patris domini episcopi Niuernensis, petentis sibi dari facultatem, ut possit cimiteria et ecclesias pollutas et polluta in sua diocesi facere reconciliari per sacerdotem ydoneum etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem de pace concessit in forma, qua concessa fuit domino episcopo Attrebatensi etc.

Super supplicacione pro parte reverendi patris domini episcopi Auriensis, petentis sibi facultatem concedi, ut testari possit de bonis a Deo sibi collatis usque ad quatuor milia florenorum etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Petri de Lineto et Robine sue uxoris Lexouiensis diocesis, petencium cum ipsis super cognacione spirituali dispensari etc., concordant omnes deputaciones, quod auctoritate huius sacri concilii dispensetur cum supplicantibus ut petitur, quodque finalis expedicio bulle super hoc conficiende pertineat ad dominos deputatos in materia Grecorum.

Super supplicacione fratris Mathei Fornierii monachi ordinis S. Benedicti super cameraria, que est officium claustrale in monasterio Crasse eiusdem ordinis Carcassonensis diocesis per monachum solitum gubernari, concordant tres deputaciones ut petitur, hoc addito, quod vocatis vocandis et servatis decretis huius sacri concilii idem religiosus plene ad dictum officium camerarie, constito de iure suo, in eo statu, in quo erat vigore collacionis provisionis et execucionis sibi facte per felicis recordacionis dominum Martinum papam v., per reverendissimum et reverendos patres

[1] *Mansi 30, 894.* [2] *Mansi 30, 895.*

dominos archiepiscopum Turonensem[a)], Aquensem Bellicensem episcopos ad hoc per sacras deputaciones deputatos restituatur.

Super supplicacione domini Stephani de Royscha, xix rusticorum Zagrabiensis diocesis, per quendam dominum Martinum non incorporatum in causam in hoc loco sacri concilii tractorum etc., concordant tres deputaciones remanendo in suis prioribus deliberacionibus, videlicet quod ea que facta sunt per reverendum[b)] dominum cardinalem legatum in remittendo causam de qua in ipsa supplicacione fit mencio et tradicione bulle, suum sorciantur effectum. Quarta autem, videlicet de reformatorio, modicum discrepat ab eisdem.

Super supplicacione Pauli de Cobernsitpach et Margarete de Phonbach coniugum Augustensis diocesis, petencium cum eisdem dispensari, ut non obstante publice honestatis iusticia in matrimonio remanere possint etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus dispenset auctoritate sacri concilii, prout sibi videbitur, adiecto per illas de communibus et de fide, quod bulla plumbata expediatur per dominos deputatos in materia Grecorum.

Super supplicacione Johannis Pruckdorffer et Agnetis Lewthein coniugum Ratisponensis diocesis, petencium cum ipsis dispensari, quod impedimento cognacionis spiritualis non obstante in matrimonio remanere possint etc., concordant tres deputaciones, quod committatur legato, qui dispenset cum supplicantibus auctoritate sacri concilii, prout sibi videbitur, addito per illam de communibus, quod bulla plumbata expediatur per deputatos in materia Grecorum. iiij[ta], videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Lectis concordatis reverendissimus dominus cardinalis legatus more solito conclusit.

Deinde iddem reverendissimus dominus cardinalis legatus narravit ea que per sacrum concilium acta sunt in materia Grecorum, et ea que heri in Augustinensibus in presencia Grecorum facta sunt[1], de quibus tunc pecierunt et nunc petunt instrumentum etc.

Reverendissimus dominus Tarentinus presidens pro iustificacione sanctissimi domini nostri pape narravit ea que per ipsum dominum nostrum papam circa huiusmodi unionem Grecorum facta sunt, et inter cetera dixit, quod non credit quod intencionis domini nostri pape sit, quod ecclesia universalis Latinorum debeat Constantinopoli per modum concilii generalis convenire etc.

[a)] Thiermen̄ *P.* [b)] *so P.*

[1] *s. 1, 344.*

Die sabbati XIX[a] februarii in sacra deputacione pro communibus super requesta concernente ecclesiam S. Domini de Cedaria[a)] placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui procedat innovet confirmet ut petitur.

Pro parte sacre deputacionis reformatorii deputacio pro communibus fuit per viceauditorem camere etc. et magistrum G. Traiectensem exhortata, ut quemadmodum dicta deputacio de reformatorio dedit iudicem super controversia inter dominum Arelatensem cardinalem et abbatem et conventum S. Anthonii, ipsa deputacio de communibus similiter vellet iudicem dare. Nam ut dixerunt dicti deputati, hoc requirit abbas, ut non habeat occasionem recurrendi ad aliud tribunal. Et responso per dominum presidentem, quod vellet deliberare, per procuratorem ipsius domini S. Anthonii, vocatum Nicolaum Pontanum canonicum Aniciensem, fuit petitum instrumentum etc., presentibus Lugdunensi Londoniensi Bellicensi, Johanne Pulcripatris, auditore camere et Thoma Francisci etc.

Super supplicacione heredum quondam domini episcopi interfecti Scaholtensis in regno Dacie etc. placuit et concessa est huiusmodi requesta in omnibus et per omnia in forma ut petitur.

Super requestis serenissimi domini imperatoris de auxilio spirituali concedendo et de iudice fiscali dando placuit quod dentur deputati, qui cum domino cardinali legato conveniant et videant de bona et honesta responsione serenissimo imperatori danda et referant. Et ad hoc fuerunt deputati domini episcopus Niuernensis presidens deputacionis et Henrricus auditor.

Quo ad materiam semidecime placuit, quod remittatur et remissa est domino cardinali legato et inclite nacioni Germanice.

Quo ad Clementinam „Litteris“ [1] placuit ut alias, quod deputati ad revidendum et reaptandum decretum de electionibus viderent de limitacione huiusmodi Clementine et referant.

Quo ad dominos LX[ta] reformatores placuit quod exhortentur, quod si habeant aliqua avisamenta.[b)]

Dominus H[enrricus] Nithard obtinuit licenciam recedendi a domino presidente.

Similiter dominus episcopus Rozensis etc.

Dominus Petrus de Trillia finita deputacione exhibuit domino presidenti quandam deliberacionem deputacionis reformatorii, per quam constat ipsam deputacionem de reformatorio mutasse suam primam deliberacionem

[a)] C°daria *P.* [b)] *zu den letzten vier Absätzen am Rande* Remissa est ad diem lune *P.*

[1] *Clement. lib. II tit. 7.*

hoc modo, videlicet quod dedit deputatos, qui viderent an huiusmodi causa appellacionis esset committenda, et si sic, darentur iudices, sinautem fiat iusticia. Nichilominus prorogabat terminum monitorii ad x dies proxime futuros etc. De quibus fui [a)] rogatus, presentibus domino priore de Plateria et P[etro] de Trillia et H[ugone] promotore.

Die dominica XX[a] februarii more solito fuit missa solemnis.

Die lune XXI[a] in sacra deputacione pro communibus in causa S. Poncii Thomeriarum placuit, quod loco domini decani Confluencie surrogetur dominus episcopus Papiensis usque ad dicti domini decani regressum.

Super requestis domini imperatoris de semidecima etc. placuit, quod in dieta Francfordie celebranda post Pascha per sacrum concilium scribatur.

Super requesta domini abbatis Cisterciensis, concernente monasterium Albesilue eiusdem ordinis, placuit avisamentum sacre deputacionis fidei.

Super avisamento dominorum de xij[cim] de Clementina „Litteris“ placuit ut alias, quod domini deputati ad reaptandum decretum de electionibus provideant de limitacione et declaracione huiusmodi Clementine etc.

Quo ad avisamentum concernens pacificacionem ecclesiarum Treuerensis et Traiectensis placuit, quod cum reverendissimis dominis cardinali Arelatensi et archiepiscopo Tarentino iungantur reverendissimi domini cardinalis Firmanus et episcopus Paduanus, ita quod duo ex eis aliis absentibus possint procedere in huiusmodi pacificacione.

Quo ad requestam domini cardinalis Arelatensis, petentis pro familiari officium cursorie, placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad requestam procuratoris fiscalis, petentis procedi contra obloquentes de sacro concilio etc., placuit quod si reperiantur aliqui particulares obloquentes contra sacrum concilium, procedat dominus auditor camere contra tales et eciam instante ipso procuratore fiscali.

Quo ad primum avisamentum dominorum de xij, quod nove materie non introducantur non facta deliberacione super prioribus, placuit avisamentum in forma.

Quo ad secundum de dispensacionibus placuit, quod deputaciones provideant, prout est fieri consuetum.

Super iij[o] avisamento placuit, quod deputati singularum deputacionum super decretis dudum confectis, videlicet de causis, de pacificis posses-

[a)] fuit *P.*

soribus et de intrusis, conveniant hodie hora tercia post meridiem cum reverendissimo domino cardinali legato in domo ipsius.

Super iiij^to^ de notariis deputacionum non venientibus diebus iovis ad dominos de xij pro concordandis deliberacionibus etc. placuit, quod ipsi domini de xij exequantur mulctam contra ipsos notarios illis diebus non venientibus impositam.

Die martis fuit dies Cathedre S. Petri.

Die mercurii XXIII^a^ februarii in sacra deputacione pro communibus domini ambassiatores regis Castelle requisiverunt, quod sacra deputacio super sua requesta velle[t] deliberare et se conformare tribus deputacionibus.

Dominus Guillermus doctor Anglicus requisivit, quod super hoc minime deliberaretur, attento quod alias sacra deputacio pro communibus deliberavit, quodque ab ea deliberacione minime recedere vellet.

Dominus episcopus Londoniensis requisivit, attento quod hec differencia per sacrum concilium sopita est per concordiam, cum qua stare vult, quod nullomodo ipsa deputacio discederet a sua deliberacione, sed staret in eadem.

Dominus Stephanus de Nouaria advocatus dixit, quod due deliberaciones de fide et de pace carebant robore, cum non fuerint ordinaciones concilii in hac parte observate, quia parte inaudita.

Domini Lugdunensis et Londoniensis fuerunt deputati cum deputatis aliarum deputacionum ad hortandum et requirendum dominos cardinales de Cipro et Firmanum, ymo mandandum, ne a concilio recedant. Et habeant ipsi domini deputati adhortari dominum cardinalem de Cipro, ut vellet assumere onus ambassiate pro pace Francie tractanda.

Reverendus pater dominus episcopus Londoniensis, lecta quadam satis ampla cedula iiij^or^ foliorum protestacionem in se continente, protestatus est in omnibus et per omnia, prout et quemadmodum in dicta cedula continetur; de quibus dictus dominus episcopus Londoniensis peciit instrumentum etc., presentibus patriarcha Aquilegiensi, Vexionensi Bellicensi et Lausanensi episcopis, S. Cornelii et de Chereto abbatibus, Johanne Pulcripatris, H[ugone] auditore et fratre Thoma Francisci testibus etc.

Dominus scolasticus secretarius serenissimi domini regis Castelle etc. peciit copiam huiusmodi protestacionis etc.

Item requisivit, quod si fiat deliberacio in hac causa, recedat dominus episcopus Niuernensis, qui, ut dixit, se constituit partem.

Et eciam de denegata iusticia peciit instrumentum.

Dominus archiepiscopus Lugdunensis et N[icolaus] Gehe, quia in huiusmodi protestacione nominabatur rex Anglie rex Francie, protestati sunt prout alias, quod per huiusmodi nominacionem non fiat preiudicium nunc vel in futurum domino regi Karolo domino suo.

Reverendus pater dominus episcopus Niuernensis protestacioni facte per dominum episcopum Londoniensem nomine ambassiatorio illustrissimi domini mei ducis Burgundie adhesit et adherere vult.

Ad sollicitandum dominos deputatos in materia controversie inter dominos contendentes de sedibus, ut fiat concordia, fuerunt deputati domini H[enrricus] auditor camere et provincialis Lombardie.

Cui deliberacioni seu deputacioni dominus Londoniensis non consensiit, ymo stat in iam ordinatis etc.

Dominus prothonotarius de Ispania nomine ambassiatorio domini regis Castelle protestatus est de denegata, ut dicebat, sibi iusticia per sacram deputacionem, peciit instrumentum etc.

Quo ad requestam domini procuratoris Maiorismonasterii, petentis taxari expensa etc., placuit quod committatur domino Jacobo de Attigny, qui provideat ut petitur.

Super requesta capituli ecclesie S. Patrocli Susaciensis Coloniensis diocesis placuerunt avisamenta trium aliarum deputacionum.

Super requesta curati Argentinensis diocesis commissa est domino vicedomino Monasteriensi, qui videat et referat.

Super materia reformacionis generalis placuit avisamentum sacre deputacionis fidei, quod circa articulos avisatos in sacro Constanciensi concilio, seclusis aliis materiis, deinceps intendatur. Et ut maturius fiat deliberacio, per presidentem deputacionis inter supposita deputacionis huiusmodi articuli distribuantur, ita quod unus quisque assignetur duobus prelatis aut doctoribus, qui post habitam inter se deliberacionem raciones et motiva, que pro utraque parte facere possint, per modum raciocinacionis et disputacionis inter se in deputacione moveant, unus videlicet ab una parte et alius ab altera, ut facta raciocinacione huiusmodi ceteri qui post dicturi sunt, apercius et brevius valeant deliberare in materiis proponendis.

Quo ad mercatores arrestatos cum suis mercanciis in partibus inferioribus etc. placuit, quod dominus episcopus Niuernensis se informet de veritate et super hoc habeat verbum cum domino cardinali legato pro provisione facienda.

Die veneris XXV^{a} februarii M^{o}CCCCxxxv^{o} in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato, Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinali Arelatensi, de Columpna et Firmano et quampluribus aliis prelatis et doctoribus presentibus.

Incorporatus fuit frater Thomas Hospitis canonicus regularis prior S. Ruffi.

Concordata.

Super avisamento dominorum xij^{cim} de deputandis pro cũstodibus clavium bulle huius sacri concilii concordant[a] tres deputaciones, quod de cetero pro custodibus deputentur persone graves et habentes beneficia, a quibus racio villicacionis peti possit, quodque eciam amplius litteris expediendis fides non adhibeatur, nisi per omnes claves habentes subscribantur manibus eorum propriis ac dies expedicionis, prout in Romana curia consuetum est fieri, et quod non expediantur partibus, usquequo fuerint registrate.

Similiter super avisamento ipsorum dominorum xij de Clementina „Litteris“ concordant tres deputaciones, quod committatur dominis deputatis super decretis de causis et de pacificis possessoribus et reaptacione decreti de electionibus, qui videant de ipsius modificacione et referant.

Item concordant omnes deputaciones, quod nulle nove materie de cetero non introducantur in deputacionibus non facta deliberacione super prioribus avisamentis.

Super alio avisamento in facto notariorum non conveniencium diebus iovis cum dominis xij concordant omnes deputaciones, quod huiusmodi notarii non venientes mulctentur iuxta beneplacitum dominorum xij^{cim}.

Super supplicacione domini archiepiscopi Magdeburgensis, petentis omnes commissiones et concessiones per cives Magdeburgenses a sede apostolica impetratas omniaque indesequta pro nullis declarari etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur, addito per illam de pace, quod reverendissimus dominus legatus cum aliis dominis[b] presidentibus domini nostri habeant eligere ambassiatorem mittendum[c] ad dictos cives Magdeburgenses pro concordia procuranda.

Super supplicacione domini Lamberti Dantins, petentis causam quam hic habet contra cives Leodienses, si contingat eam hic non retineri, remitti ad locum tutum et ad iudicem non suspectum, concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Super requesta domini procuratoris fiscalis, petentis procedi contra detractores huius sacri concilii iuxta „Porro“ in prima sessione huius sacri concilii promulgatum[1] et procurantes dissolucionem huius sacri concilii procedi etc., concordant tres deputaciones, quod committatur

[a]) *wiederholt P.* [b]) suis *P.* [c]) ambass. mittēn *P.*

[1] *Der Artikel* Porro quia nonnunquam *des Dekrets der 1. Session. Mansi 29, 19. M. C. 2, 60.*

reverendissimo domino cardinali legato, qui non procedat ad aliquam generalem monicionem sive excommunicacionis sentenciam, sed dumtaxat contra personam delatam. Quarta autem, videlicet de communibus, commisit domino auditori camere. Istud non fuit conclusum [a].

Super supplicacione porrecta per dominum Albertum de Ferrariis canonicum ecclesie Placentine, petentem facultatem deferendi almucias etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, commisit ordinario loci, qui provideat, prout sibi videbitur.

Super supplicacione Johannis Gaersie et Anthonie eius uxoris Auxomensis diocesis, petencium cum ipsis super impedimento consanguinitatis in tercio et quarto gradibus dispensari, concordant tres deputaciones, quod auctoritate sacri concilii concedatur ut petitur, quodque finalis expedicio bulle super hoc conficiende pertineat ad dominos deputatos in materia Grecorum. Quarta autem, videlicet de communibus, commisit reverendissimo domino cardinali legato.

Super supplicacione domine Christiane de Frankemberg abbatisse ecclesie beate Gertrudis Niuellensis Leodiensis diocesis, petentis certam causam iniuriarum per domicellam Johannam Yuemont canonicam illius ecclesie hic introductam ad partes remitti etc., concordant tres deputaciones, quod huiusmodi causa remittatur ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini Raymundi Taloni decretorum doctoris huic sacro concilio incorporati, petentis causam, quam suus adversarius post ipsius incorporacionem in Romana curia introduxit, advocari et hic committi etc., concordant tres deputaciones, quod si supplicans fuerit incorporatus per se aut procuratorem ante datam citacionis contra ipsum facte, advocetur causa huiusmodi ad sacrum concilium et committatur reverendissimo domino cardinali Rothomagensi auctoritate concilii, ut committat hanc causam in concilio alicui prelato cum potestate inhibendi citandi etc., eciam per edictum. Quarta autem videlicet de communibus, deliberavit quod committatur alicui ex iudicibus in rota.

Super supplicacione decani et capituli ecclesie S. Patrocli Susaciensis Coloniensis diocesis, petencium committi alicui prelato in hoc sacro concilio, qui auctoritate sacri concilii, habita tamen informacione de contentis in supplicacione, approbet et confirmet statutum immutacionis consuetudinis, videlicet certam solucionem vinorum in usum fabrice, per ordinarium loci confirmatum et approbatum, et eadem auctoritate sub excommunicacionis et aliis censuris et penis ipsum statutum mandet inviolabiliter

[a]) Istud *etc. am Rande P.*

observari: concordant omnes deputaciones, quod committatur domino Gurcensi, qui vocatis vocandis procedat ut petitur.

Super supplicacione pro parte heredum executorum et bonorum dispensatorum bone memorie Johannis quondam episcopi Schalhotensis, a suis subditis crudeliter interfecti, petencium archiepiscopo Nyderosiensi Lubicensi et Schalholtensi episcopis committi, ut contra huiusmodi iniquitatis filios procedant etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur et committatur dominis prelatis in ipsa supplicacione descriptis, qui procedant ut petitur, eciam per edictum, cum sit verissimile, quod ad ipsos malificos tutus non pateat accessus, quodque in favorem supplicancium principibus circumvicinis super hac re ex parte sacri concilii littere scribantur opportune; addito per illam de pace, quod procurator fiscalis et promotores concilii se adiungant in hac causa cum supplicantibus.

Lecte fuerunt littere domini ducis Britanie tam in vulgari gallico[1] quam latino translate.

Dominus episcopus Dignensis super supplicacione procuratoris fiscalis narravit aliqua, propter que videbatur impedire conclusionem.

Ad que respondit dominus episcopus Aquensis, iustificando deliberacionem sacre deputacionis fidei.

Dominus episcopus Niuernensis et alii ambassiatores domini ducis Burgundie protestati sunt, quod nullomodo volunt dominum suum nec ipsos comprehendi in huiusmodi conclusione, si concludatur, attento quod est unus magnus princeps, qui diffidavit ipsum dominum ducem et suos confederatos.

Dominus episcopus Londoniensis similiter nomine ambassiatorio protestatus est.

Miles ambassiator serenissimi domini imperatoris protestatus est nomine imperialis maiestatis, quod propter diffidencias[a)], si que facte sint per dominum imperatorem contra quoscunque, ipse serenissimus imperator intendit omnes de sacro concilio in veniendo stando morando et redeundo reddere ab omni impedimento securos etc.

Super materia regni Cipri placuit, quod sacre deputaciones habeant dare deputatos, qui videant de provisione regni.

Placuit et fuit conclusum, quod reverendissimus pater dominus cardinalis legatus habeatur excusatus per xv dies vel iij ebdomadas de non veniendo ad deputaciones nec ad alios actus concilii dempta generali

[a)] diffidẽ *P.*

[1] *Mansi 30, 896.*

congregacione, ut tempore medio possit concipere aliquam reformacionem tam in capite quam in membris, ad quam se obtulit.

Placuit eciam quod pro ambassiata mittenda ad dominum ducem Sabaudie pro excusacione domini L[udouici] episcopi Lausanensis et iustificacione processus etc. mittantur domini episcopus Vexionensis et dominus Angelotus de Perusio advocatus etc.

Lecte fuerunt littere civium Leodiensium[1] cum copia illius alias lecte.

Quibus lectis dominus Lambertus Dantin canonicus Leodiensis peciit audienciam, nichilominus de iniuriis contentis in litteris protestatus est et huiusmodi iniurias revocavit ad animum.

Die sabbati XXVI[a] februarii in sacra deputacione pro communibus super requesta domini Lamberti Dantin, petentis audienciam dari etc., placuit et concessa est requesta huiusmodi in forma ut petitur.

Super requesta Thome Heligan et Rich[arde] de Margneyo Baiocensis diocesis, petencium dispensari super matrimonio etc., placuit quod committatur domino cardinali legato, qui auctoritate concilii dispenset ut petitur.

Super requesta Thome Mamet et Perrotte Rothomagensis diocesis, petencium etc., commissa est ut supra.

Cum alias fuerit concessum priori Maiorismonasterii, quod taxarentur expense sue, placuit quod idem fiat pro domino abbate S. Cornelii et eciam magistro Hugone promotore, et committatur magistro Jacobo Datigni.[a)]

Deputacio reformatorii retulit, ut libere possint deputaciones vacare reformacioni, omnes supplicaciones sive de iusticia sive de gracia remittere ad dominum vicecancellarium et quatuor alios deputandos per deputaciones, qui supplicaciones videant et examinent et remittant ad papam vel ordinarium, aut retineant et signent vel remittant deputacionibus, si eis videatur, et de cetero nulle alie in deputacionibus admittantur, et vacent deputaciones circa materiam reformacionis. Et deputavit dominum promotum Gurcensem.

Super supplicacione heredum episcopi Scaoltensis etc., petencium monitorium per edictum etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super supplicacione serenissimi domini regis Castelle, concernente prioratum sub nomine S. Johannis prope civitatem Burgensem etc., placuit quod committatur reverendissimis dominis cardinali legato et archiepiscopo Lugdunensi, qui audita parte provideant, prout eis videbitur.

[a)] *hierauf etwa 4 Zeilen leer P.*

[1] *Mansi 30, 897.*

Quo ad primum avisamentum dominorum de xij^{cim} de parvipendentibus [a)] censuras ecclesiasticas etc. placuit avisamentum in forma, quod committatur domino H[enrrico] auditori camere, ut si quos tales repererit, contra illos procedat ut iuris fuerit, eciam invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Quo ad secundum avisamentum de prelatis vocandis, saltem illis qui pecunias a suis subditis receperunt etc., placuit quod differatur, usquequo concilium habuerit responsum a domino nostro papa in materia Grecorum, et finaliter vocentur etc.

Quo ad supportandum dominum cardinalem legatum etc. placuit, ita tamen quod in generalibus congregacionibus personaliter intersit.

Quo ad materiam reformacionis generalis placuit avisamentum sacre deputacionis fidei, ut supra scribitur.

Quo ad primum avisamentum reverendissimi domini cardinalis legati de supplicacionibus in futurum deputacionibus porrigendis placuit ut alias, quod supplicaciones de iusticia per dominos vicecancellarium et quatuor deputatos, demptis causis maioribus, expediantur, supplicaciones vero de gracia per deputaciones diebus iovis, ut hactenus est fieri consuetum, expediantur.

Super ij^{do} avisamento de provisione fienda pro deffensione regni Cipri placuit, quod dentur deputati, qui videant de modo providendi et referant. Et pro ista deputacione fuit deputatus reverendissimus dominus patriarcha Aquilegiensis.

Super iij^{o} avisamento placuit, quod si aliqui habeant aliqua bona avisamenta in materia reformacionis, illa habeant porrigere domino legato.

Quo ad responsionem dandam litteris Leodiensium placuit ut supra, quod pars adversa primo audiatur.

Die lune ultima februarii, martis prima marcii M^{o}xxxv^{o} et mercurii die Cinerum non fuerunt deputaciones.

Die iovis III^{a} marcii in deputacione pro communibus super supplicacione Johannis de Huepe clerici Conchensis servientis armorum, petentis permutari beneficium etc., placuit quod committatur domino episcopo Conchensi ordinario loci presenti in concilio, qui auctoritate concilii provideat ut petitur.

Super supplicacione Erardi Rousselli, petentis non promoveri ad sacros ad annum, placuerunt avisamenta de pace et de fide in forma.

Super supplicacione decanorum et capitulorum maioris et S. Pauli

[a)] puupenden.^{bus} *P.*

Warmaciensium ecclesiarum placuit, quod committatur domino auditori camere, qui provideat, prout sibi videbitur.

Quo ad supplicacionem magistri Henrrici Prepositi licenciati in decretis, petentis promoveri ad sacros, placuit et concessa est requesta huiusmodi in forma ut petitur.

Pro presidente fuit electus dominus episcopus Bellicensis.

Pro xij dominus abbas de Verona continuatus, N[icolaus] Gehe et decanus Compostellanus.

Pro custodia clavis dominus decanus Poligniaci.

Pro referendario dominus Ispanus licenciatus.

Super supplicacione Johannis Flurheim et Agnetis necnon Henrrici Scribe et Methza mulieris, petencium dispensari in quarto gradu etc., placuit quod committatur domino legato, qui dispenset, prout sibi videbitur.

Super supplicacione dominorum religiosorum monasterii S. Germani Autissiodorensis, petencium absolvi et dispensari super irregularitate, placuit quod committatur eorum abbati, qui auctoritate concilii absolvat et dispenset ut petitur.

Super supplicacione fratris Johannis de Ferrariis monachi Massiliensis et prioris de Alsao Nemausensis diocesis placuit et concessa est huiusmodi requesta ut petitur et commissa est domino Galeacio auditori rote, qui advocet et procedat in omnibus ut petitur.

Quo ad requestas domini episcopi Londoniensis placuerunt huiusmodi requeste in forma ut petitur.

Quo ad requestam dominorum contendencium de ecclesia Massiliensi placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali de Cipro in eodem statu et eisdem terminis, quibus pendebat coram domino episcopo Albinganensi.

Super avisamento reverendissimi patris domini cardinalis legati, concernente suspensionem cause dominorum marchionis Misnensis et Erici ducis Saxonie etc., placuit avisamentum in forma. Cui deliberacioni, saltem quo ad ultimam clausulam „cum tali“ etc., ambassiator domini marchionis se opposuit, de quo protestatus est petens instrumentum.

Missi sunt nuncii ad sacras deputaciones de pace et de reformatorio, quod velint se conformare sacris deputacionibus[a] de fide et de communibus super materia generalis reformacionis.

Die veneris IIII^{ta} marcii M^{o}iiij^{c}xxxv^{o} in generali congregacione, presidentibus dominis Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi, de Columpna et Firmano.

[a]) deputacionis *P.*

More solito incorporati fuerunt magister Petrus Siluestris in utroque iure licenciatus canonicus et scolasticus ecclesie Remensis, Willermus Touidus, Johannes Brillon, Arnoldus Rakeluchusen, Egidius Guerrici cursor familiaris domini Arelatensis et prestitit iuramentum.

Lecte fuerunt littere domini archiepiscopi Coloniensis, concernentes ecclesiam Traiectensem.

Domini archiepiscopus Turonensis et episcopus Albinganensis nomine deputacionis de reformatorio requisiverunt sacrum concilium, ut vellet mandare commissariis in causa ecclesie Gurcensis, ut suam faciant relacionem.

Lecte fuerunt littere domini imperatoris in favorem nobilium de Fribergh.

Concordata.

Super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati in facto ducum Saxonie concordant omnes deputaciones cum ipso avisamento in forma, videlicet quod ipsa causa in eo statu, in quo nunc est, ad sex menses proximos suspendatur et domino imperatori aut suis in hac parte commissariis ad dietam in Francfordia ad diem S. Georgii [1] proxime futuram indictam remittatur in iure et iusticia decretanda cum tali limitacione adiecta, quod [ni]si iusticie complementum infra dictum terminum partibus exhibuerit seu fecerit exhiberi cum effectu, causa ipsa in eodem statu, in quo nunc est, ad iudicium sacri concilii et ecclesie revertatur, ne forsan diucius disceptari contingat inter partes coram iudicibus per sacrum concilium deputatis, an causa ipsa remittenda vel hic tractanda foret.

Super avisamento dominorum de xij contra vilipendentes censuras ecclesiasticas etc. concordant tres deputaciones, quod committatur domino auditori camere, qui contra huiusmodi parvipendentes ex officio procedat, si aliquis casus particularis occurrat. Quarta, videlicet de fide, non deliberavit.

Super provisione regni Cipri deputati fuerunt pro communibus reverendus pater dominus patriarcha Aquilegiensis, pro deputacione pacis archiepiscopus Rothomagensis et episcopus Lectorensis, pro deputacione reformatorii Conchensis et Albinganensis episcopi, pro deputacione fidei Ruthenensis et Aquensis episcopi et prepositus Cracouiensis, qui videant et referant.

Super supplicacione fratris Roberti de Bellomonte odinis S. Benedicti pro abbate Maiorismonasterii eiusdem ordinis prope Turonis huic sacro concilio incorporati, petentis sibi de expensis per eundem abbatem provideri etc., concordant omnes deputaciones, quod reverendissimus dominus archi-

[1] *April 23.*

episcopus Turonensis et magister Jacobus Datigni provideant et procedant ut petitur.

Ad idem super requesta domini abbatis S. Cornelii pro certis abbatibus et domini Hugonis promotoris huius sacri concilii pro episcopo Tullensi et suo clero huic sacro concilio incorporatorum etc. concordant tres deputaciones, quod idem magister Jacobus Datigni provideat et procedat ut petitur. Quarta, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Henrrici Prepositi rectoris parrochialium ecclesiarum de Ghiezle et de Tielen invicem canonice unitarum Cameracensis diocesis licenciati in decretis huic sacro concilio incorporati et presentis in eodem, petentis quatenus ad omnes minores et sacros ordines usque sacerdocium inclusive in hoc loco sacri concilii temporibus a iure statutis ab aliquo antistite rite promoto possit promoveri: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Erardi Rousselli notarii huius sacri concilii canonici Nouiomensis, petentis cum ipso dispensari, ut non obstante huiusmodi prebenda Nouiomensi, que sacerdotalis est, infra quinquennium in sacro concilio, curia Romana vel studio generali existens ad sacros ordines promoveri non teneatur: concordant tres deputaciones, quod admittatur huiusmodi [supplicacio] in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.[a)]

Super supplicacione domini archipresbiteri Papiensis, petentis facultatem deferendi almucias etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma.

Super supplicacione magistri Johannis Bili licenciati in decretis huic sacro concilio incorporati, petentis certos processus post eius incorporacionem contra decreta concilii factos in curia Romana revocari etc., concordant tres deputaciones, quod committatur iudici cause, qui si sibi constiterit de attemptatis et sentenciis latis contra decreta sacri concilii post ipsius supplicantis incorporacionem huic sacro concilio, casset revocet et procedat in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Johannis Braquepot, habentis graciam expectativam in communi forma pauperum, petentis ut per procuratorem beneficia vacancia vel imposterum vacatura acceptare possit etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super requesta reverendissimi domini cardinalis Arelatensis, petentis Egidium Guerrici clericum Cathalanensis diocesis familiarem et continuum suum commensalem recipi ad officium cursorie huius sacri concilii consorcioque et numero aliorum cursorum ipsius sacri concilii aggregari etc.:

a) *zu diesem Absatz am Rande ein Kreuz P.*

concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione magistri Guillermi de Deserto super prebendis Rothomagensibus[a] concordant tres deputaciones, quod committatur domino archidiacono Metensi, qui constito summarie de assertis absolvat et via iuris procedat ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, deliberavit quod fiat iusticia.[b]

Super supplicacione Johannis le Seure diaconi et Guillermi Picart subdiaconi professorum monasterii S. Germani Autissiodorensis ordinis S. Benedicti, petencium abbati dicti monasterii committi, quatenus eosdem ab irregularitatis macula absolvat et cum ipsis dispenset etc.: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, remisit ad sanctissimum dominum nostrum.

Lectis concordatis dominorum xij, domini presidentes concluserunt, demptis duobus cruce signatis.[c]

Lecte fuerunt littere domini comitis Palatini, quibus lectis et exposita credencia remissa est ad deputaciones.

Dominus Lambertus Dantin habuit plene audienciam, in qua narravit ad longum processum agitatum per cives Leodienses et finaliter se obtulit accepturum in iudicem quemlibet ex suppositis sacri concilii, nominando dominos cardinales presidentes patriarchas archiepiscopos et episcopos et alios inferiores, eciam ambassiatores domini Karoli Francie regis et illustrissimi domini ducis Burgundie.

Super quo fuit conclusum, quod sacre deputaciones vellent deliberare etc.

Dominus Franciscus proposuit pro parte civium Bambergensium, narrando motiva inchoacionis processus etc. Finaliter requisivit, quod domini de sacro concilio vellent committere domino vicecancellario, ut signare haberet omnes commissiones in huiusmodi causa etc. de mera iusticia, et protestatus est.

Quibusquidem proposicione requisicione et protestacione factis, produxit cedulam huiusmodi requisicionem et protestacionem continentem. De quibus ipse dominus Franciscus advocatus et magister G[uillermus] de Breda procurator civium peciit instrumentum etc.

Die sabbati V[a] marcii in sacra deputacione pro communibus data est licencia recedendi procuratori domini episcopi Oziliensis, qui loco sui

[a]) prebend. Rothomagen̄ *P.* [b]) *zu diesem Absatz am Rande ein Kreuz P.*
[c]) *vgl. oben Z. 7 und S. 329 Z. 21.*

substituit magistrum Willermum Nuueling licenciatum in decretis, presentibus dominis Galeacio de Mantua et Hermano Rost preposito etc.

Placuit quod deinceps nulle commissiones in deputacionibus introducantur, nisi solum diebus iovis ordinariis, alioquin si super ipsis aliis diebus quam dicta die iovis aliquid fuerit deliberatum, ab hac die inclusive ipso facto sint nulle etc., nisi expresse deputacio deliberaverit.

Super supplicacione domini L[amberti] Dantin heri in generali congregacione facta, quia narravit quod propter libertatem ecclesiasticam conservandam sui fuerant exulati etc., dominus officialis Coloniensis excusavit dominos de capitulo Leodiensi, qui non intendunt facere etc.

Quo ad requestam illustrissimi domini L[udouici] comitis Palatini Reni ducis Bauarie, concernentem monasterium Selzense etc., placuit quod dentur deputati, qui cum dominis cardinali legato et dominis presidentibus conveniant et videant de modo providendi pro honore huius sacri concilii et securitate ipsius domini ducis etc. Et pro ista deputacione fuit deputatus dominus episcopus Lausanensis.

Quo ad primum avisamentum dominorum de xij quo ad primam partem placuit, quod exhortentur domini de sacro concilio, quod suas deputaciones habeant frequentare. Quo ad ij^{am} partem placuit ut alias, quod omnes cause pendentes extra rotam advocentur et exhortetur dominus vicecancellarius etc., quod deinceps.

Quo ad secundum avisamentum de notario adiungendo notario deputacionis fidei, eligat deputacio fidei, si velit.

Quo ad primum avisamentum domini cardinalis legati placuit avisamentum in forma.

Quo ad secundum avisamentum de causis prophanis etc. placuit, quod cause mere prophane remittantur, nisi tangant supposita sacri concilii vel familiares ipsorum, et illis[a)] de iure in concilio sunt tractande.

Quo ad decreta de pacificis possessoribus et de causis etc. placuit, quod detur copia habere volentibus, et prima die deliberetur, et cum ipsis decretis expediatur decretum de intrusis. Sed revideant deputati et reaptent.

Dominus Galeacius alter iudicum rote supplicavit nomine suorum collegarum sacre deputacioni, quod si alique querele per procuratores etc. fierent, haberent ipsos excusatos, quia causas non habent.

Placuit quod dominus episcopus Niuernensis cum deputatis aliarum deputacionum habeat adire dominum vicecancellarium et ipsum hortari, ut habeat committere deinceps causas dominis iudicibus rote et non ultra rotam, nisi ex causa urgentissima etc. Et similiter signare et committere uni ex quatuor deputatis vel cui sibi videbitur etc.

[a)] *so P.*

Quo ad requestam domini Johannis Anthonii de Castilione, petentis promoveri per aliquem antistitem etc., placuerunt avisamenta de reformatorio et de pace.

Die lune VII[a] marcii ob reverenciam beati Thome de Aquino non fuerunt deputaciones.

Die martis VIII[a] marcii in sacra deputacione pro communibus missi fuerunt ad alias deputaciones deputati, quod domini deputati hodie adire habeant dominum vicecancellarium, ut ipse habeat signare commissiones et committere dominis iudicibus rote etc. et non extra rotam.

Lecte fuerunt ordinaciones sacri concilii de modo procedendi, similiter et exhortaciones suppositorum.

Super formis decretorum de pacificis possessoribus et de causis placuit, quod domini deputati, qui huiusmodi formas composuerunt, conveniant cras hora iij[a] post meridiem cum reverendissimo domino cardinali legato et deputatis aliarum deputacionum, qui eas revideant et reaptent cum clausulis additis[a)] per aliquos de dominis eiusdem deputacionis. Et expediatur cum ipsis decretis decretum de intrusis, et concludant in eisdem.

Die mercurii IX[a] marcii in sacra deputacione pro communibus dominus cardinalis Firmanus adiit deputacionem, narrando causas, propter quas dixit neccessario se esse recessurum, addiciens quod causa potissima destructionis concilii erit, quod reformacio non fit etc.

Quo ad primum avisamentum dominorum de xij[cim] de predicatoribus, qui habeant ostendere suos sermones, si requirantur, ordinariis locorum etc., non placuit in forma, sed si qui predicarent scandala erronea, placuit quod per diocesis[b)] locorum ordinarios corrigantur auctoritate universalis ecclesie, non obstantibus excepcionibus et privilegiis in contrarium facientibus quibuscunque.

Quo ad secundum avisamentum, quod concedatur dominis episcopis, quod possint dispensare super quarto gradu et publice honestatis iusticia etc., quo ad primum de dispensacione in iiij[to] gradu servetur ius commune; quo ad secundum . . .[c)] placuit, quod domini episcopi habeant dispensare.

Quo ad iij[um] avisamentum de exhortando dominum vicecancellarium, quod possit eligere unum, qui in sui presencia possit signare commissiones, placuit ut alias.

Die iovis X[a] marcii in sacra deputacione pro communibus super requesta Elsie conthoralis Gisonis mulieris Coloniensis, attento quod est causa mere prophana, placuit quod remittatur ad̄ suum forum, ut petitur.

[a]) addicionibus *P.* [b]) dioces. *P.* [c]) *die halbe Zeile leer P.*

Super requesta Wirieti Georgii et Helmidis mulieris, petencium dispensari in iiij^to^ gradu, placuit quod committatur domino cardinali legato, qui dispenset cum supplicantibus ut petitur.

Super supplicacione Nicolai Hospitis et Anna Racelin mulieris, petencium dispensari in cognacione spirituali etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset, prout sibi videbitur.

Dominus archidiaconus Misnensis ambassiator dominorum ducum Saxonie etc. obtinuit licenciam recedendi.

Quo ad execucionem decreti prime sessionis, petitam per adherentes domino Walramo postulato quod bulletur etc., placuit quod pratici de cancellaria videant huiusmodi formam bulle, et si sit in bona forma, bulletur, si vero non, reiciatur.

Pro providendo super supplicacione domini episcopi Sudensis placuit avisamentum deputacionis fidei. Pro ista deputacione fuit deputatus dominus decanus Compostellanus.

Quo ad supplicacionem canonici ecclesie Remensis, petentis absolvi et dispensari etc., placuit quod committatur preposito dicte ecclesie Remensis aut alteri canonico eiusdem ecclesie in dignitate constituto, qui constito de assertis absolvat supplicantem et dispenset ut petitur.

Super ambabus supplicacionibus oblatis per partes hincinde contendentes de ecclesia Traiectensi placuit avisamentum sacre deputacionis reformatorii, quod utrique parti mera via facti inhibeatur.

Super requesta Fernandi de Castromoco Palentine[a)] diocesis, petentis promoveri ad sacros etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Dominus abbas S. Andree iuxta Auinionem obtinuit licenciam cum socio recedendi.

Super requesta Colini Episcopi et Massiote etc. Constanciensium[b)] placuit, quod committatur domino legato, qui auctoritate concilii dispenset.

Die[c)] veneris XI^a^ marcii M^o^iiij^C^xxxv^o^ in generali congregacione, presidentibus dominis Tarentino et Paduano, assistentibus dominis de Cipro Arelatensi, de Columpna et Firmano et ambobus patriarchis.

Incorporati fuerunt domini Johannes et Johannes capellani domini Paduani, magister[d)] Johannes Martini thesaurarius et canonicus Baiocensis, dominus Petrus Haze canonicus S. Johannis in Hawis, Rogerus Wlstal scolasticus ecclesie Ascindensis Coloniensis diocesis.

[a)] Cast^o^moco (*oder* Cast^o^nioto) xa'leñ *P.* [b)] Constañ *P.* [c)] *am Rande* Hic mutatur pontificatus *P.* [d)] magistri *P.*

Concordata.

Super avisamento dominorum xij de vocandis prelatis, presertim hiis qui pecunias a suis subditis receperunt etc., concordant tres deputaciones, quod illi prelati, qui a suis subditis receperunt pecunias causa veniendi ad hoc sacrum concilium, vocentur etc.

Super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati de commissionibus et supplicacionibus committendis quatuor, concordant tres deputaciones, quod omnes commissiones de mera iusticia expediantur per reverendissimum dominum cardinalem vicecancellarium et alios quatuor per quatuor deputaciones deputatos, demptis maioribus causis et illis de gracia, que per deputaciones expediantur, ut hactenus consuetum est fieri. Et deputati fuerunt pro deputacione fidei dominus episcopus Placentinus, pro deputacione reformatorii dominus episcopus Gurcensis, pro deputacione de communibus dominus decanus Compostellanus. Illa de pace remisit ad precognitores.

Super avisamento dominorum xij, ut exhortetur reverendissimus dominus vicecancellarius, quatenus deputet unum, qui commissiones in sui presencia signet etc., concordant omnes deputaciones, quod exhortetur ipse reverendissimus dominus vicecancellarius, ut unum deputet, qui in ipsius presencia huiusmodi commissiones signet. Concordant insuper tres deputaciones, quod exhortentur domini prelati et ambassiatores principum, ut de cetero suas frequentent et visitent deputaciones, nisi ex certis urgentibus causis; in hoc omnes concordant; quodque commissiones, quas signabit reverendissimus dominus vicecancellarius, committat iudicibus de rota et non extra, demptis maioribus causis.

Super decreto de pacificis possessoribus concordant omnes deputaciones, quod deputati super huiusmodi decreto conveniant cum reverendissimo domino cardinali legato cum potestate concludendi et expediendi ipsum decretum.

Item concordant omnes deputaciones, quod domini Sampson Fabri et Johannes Anthonii de Cassilicio et Fernandus de Castromocho, quod possint hic promoveri ad sacros ordines a quocunque antistite rite promoto.

In causa ecclesie Massiliensis concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali de Cipro, et hoc de consensu parcium, qui iusticiam faciat.

Super supplicacione Johannis Huepte et Nunii Aluari, petencium quod possint certa beneficia adinvicem in manibus domini Conchensis episcopi permutare etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Johannis de Ferrariis prioris de Alsono, petentis certam causam in curia Romano contra ipsum intentatam[a] advocari et hic committi etc., concordant tres deputaciones, quod domini Johannes Rudehim et Galeacius de Mantua iudices rote absolvant, procedant ut petitur, eciam per edictum. Quarta, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini episcopi Sudensis concordant omnes deputaciones, quod domini abbas Virziliacensis, Franciscus de la Cruce, prepositus Cracouiensis et decanus Compostellanus prouideant supplicanti meliori modo quo fieri poterit.

De appellantibus a visitatoribus.

Super materia ecclesie Maclouiensis.

Domini presidentes ut alias super premissis concluserunt.

Lecte fuerunt littere domini imperatoris et due alie pro parte domini ducis Alberti.

Lecte fuerunt littere communitatis civitatis Traiectensis, multa opprobria contra dominum Walramum de Morsa postulatum continentes, que ex integro de mandato dominorum presidencium lecte non fuerunt.

Nichilominus prefatus dominus Walramus se de contentis in litteris personaliter excusavit, submittens se ad carceres concilii, in casu [quod] ea que narrantur fore vera reperirentur.

Nichilominus eciam de huiusmodi litteris et lectura earundem peciit instrumentum, protestans expresse de huiusmodi iniuriis et eas[b] revocans ad animum etc. De quibus etc.

Archidiaconus Misnensis ambassiator ducum Saxonie surrexit in medium et contra ducem Ericum et eius ambassiatores protestatus est, prout et quemadmodum in cedula per eum oblata et per nos notarios recepta continetur, de quibus etc.

Ex adverso decanus Hildezemensis et prepositus Barduicensis ambassiatores prefati domini Erici nomine ambassiatorio protestati sunt, ut in cedula etc., de quibus etc.

Promotus Gurcensis requisivit, quod commissarii in causa ecclesie Gurcensis compellerentur suam in causa huiusmodi facere relacionem.

Domini presidentes dixerunt, quod sacre deputaciones super hoc deliberarent.

Die martis XV[a] marcii in sacra deputacione pro communibus placuit, quod generale capitulum ordinis S. Benedicti Maguntine provincie in brevi celebrandum pro hac vice celebretur in hac civitate Basiliensi.

[a]) intentatem *P.* [b]) etas *P.*

Lectis decem capitulis cultum divinum concernentibus, sacre deputacioni pro communibus per dominum cardinalem legatum transmissis, placuit quod hodie hora ij[a] post meridiem detur copia habere volentibus, ut quilibet veniat die crastina deliberatus.

Ad visitandum litteram expeditam sub bulla sacri concilii in favorem electi S. Poncii Thomeriarum cum deputatis aliarum deputacionum fuit deputatus dominus decanus Compostellanus.

Super requesta cleri civitatis Maguntine, petentis omnia et singula pro concordia tractata confirmari et executores dari etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta ut petitur.

Quo ad requestam nobilis non designati in supplicacione, petentis absolvi et super irregularitate dispensari, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui absolvat supplicantem et dispenset cum eodem et relaxet ut petitur.

Super requesta fratris Johannis Piscatoris, qui de ordine Minorum transivit ad ordinem S. Augustini ordinis Heremitarum, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii provideat supplicanti ut petitur.

Quo ad dispensacionem Johannis de Buron opidani Nouimagensis Coloniensis diocesis placuit, quod committatur domino decano Xanctonensi,[a)] qui litteras reverendissimi domini cardinalis maioris penitenciarii exequatur, ita tamen quod tantum, quantum in itinere expendisset, teneatur expedire deputatis in materia Grecorum.

Quo ad licenciam recedendi petitam per reverendissimum dominum cardinalem Firmanum placuit, quod ipse reverendissimus dominus cardinalis Firmanus per reverendissimos dominos legatum, presidentes sanctissimi domini nostri pape et deputatos exhortetur, ut velit remanere usque ad tempus, alioquin auditis suis causis legitimis dent huiusmdi licenciam, prout eis videbitur. Cui deliberacioni opposuit se Johannes de Hungaria doctor et protestatus est etc.

Quo ad requestam domini abbatis S. Galli Constanciensis diocesis placuit, quod antequam super huiusmodi requesta ad ulteriora deliberetur, audiantur domini qui huiusmodi monasterium noviter visitarunt.

Die mercurii XVI[a] marcii in sacra deputacione pro communibus super requesta reverendissimi patris domini patriarche Aquilegiensis etc. placuit, quod reverendissimus pater dominus cardinalis de Cipro et duo vel tres ex deputatis seu commissariis datis possint procedere in causa cum eadem facultate, quam prius habuerunt.

Audita et scrutata sunt aliqua vota super x articulis etc.

a) Xanctoñ *P.*

Die iovis XVII[a] marcii in sacra deputacione pro communibus super requesta domini prioris S. Martini de Campis Parisiensis etc. placuit avisamentum sacre deputacionis pacis.

Super requesta domini postulati ecclesie Traiectensis etc. placuit avisamentum pacis in forma, quod per sacrum concilium utrique parti mera via facti inhibeatur, ita quod fiat bulla ex officio unius tenoris absque narracione supplicacionum, et usque ad finem litis inclusive nichil innovetur sub penis iuris.

Super supplicacione Johannis Seyler de Franken et Brede mulieris, petencium dispensari super matrimonio dudum contracto etc., placet quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset prout sibi videbitur.

Super supplicacione strennui[a)] militis domini Johannis de Silua oratoris serenissimi domini regis Castelle in hoc sacro concilio existentis placuit avisamentum sacre deputacionis fidei in forma.

Super supplicacione decanorum et capitulorum ecclesiarum maioris et S. Pauli Warmaciensium placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de reformatorio et de fide.

Super supplicacione Guillermi Militis prioris S. Nettorii Claromontensis, signata per dominos iiij[or] precognitores, placuit huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini episcopi Placentini, petentis licenciam recedendi et quod concilium det in sui et domini decani Compostellani germani sui favorem etc., placuit et concessa est licencia, ita quod loco sui dimittat procuratorem, quodque habeat litteras a sacro concilio ut petitur.

Quo ad requestam Gabolini Maerten[b)] clerici Coloniensis diocesis placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de fide et de pace in forma.

Super supplicacione domini Johannis electi Gurcensis etc. placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de reformatorio et de fide in forma.

Super supplicacione quorundam nobilium, qui interfuerunt multis incendiis etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate concilii provideat et committat ut petitur, ita tamen quod tales deputati absolvant tales et dispensent cum eisdem iuxta formam iuris.

Super supplicacione Johannis Clerici rectoris parrochialis ecclesie S. Sepulcri in opido Montis Desiderii Ambianensis diocesis et Anthonii Hugonis rectoris parrochialis ecclesie de Mull Metensis diocesis, petencium

[a]) stennui *P.* [b]) Maertē *P.*

promoveri ad sacros etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta ut petitur.

Super requesta domini translati ad ecclesiam Albiensem placuit, quod reverendissimus dominus archiepiscopus Bituricensis, antequam ferat sentenciam, recipiat consilium a dominis de rota.

Super supplicacione soldani placuit et concessa est requesta ut petitur in forma.

Super supplicacione generaliter facta pro aliis promoveri volentibus ad sacros placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de pace et de reformatorio pro particularibus personis dumtaxat.

Super supplicacione ducum Masouie placuit, quod detur copia ambassiatori domini regis Polonie, antequam super ea deliberetur.

Super supplicacione inclite nacionis Germanice, concernente monasterium Altesilue Cisterciensis ordinis etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad regulam cancellarie, petitam per unum canonicum Gebennensem, placuit quod expediatur per dominum vicecancellarium, ut est fieri consuetum.

Super requesta facta per dominum abbatem de Chereto placuit requesta huiusmodi.

Die veneris XVIII[a] marcii M[o]iiij[C]xxxv[o] in generali congregacione, presidentibus Tarentino et Paduano, assistentibus cardinali[bus] Arelatensi Columpna et Firmano.

More solito fuerunt incorporati magistri Johannes Heling pro ducibus Slesie, Milo de Carraria pro episcopo Astensi, Johannes Barbi licenciatus in decretis, Johannes Marie officialis Bisuntinus, Marchus de Faucello, Nicolaus Vipech, Guillermus de Auris clericus Ruthenensis diocesis pro abbate Bonecumbe ordinis Cisterciensis, non recedendo a sua prima protestacione, sed ipsam confirmando etc., et Jacobus Brus pro abbate monasterii S. Crucis de Edinwourg ordinis S. Augustini S. Andree diocesis.

Lecte fuerunt littere regis Francie, una pro translato ad ecclesiam Albiensem et alia pro electo Maclouiensi. [1]

Item pro electo Maclouiensi littere primogeniti ducis Britanie.

Item pro eodem littere ducis Barrensis. [2]

Item littere comitis Arminiaci in favorem electi S. Poncii Thomeriarum. [3]

Item littere regis Jacobi et civitatis S. Poncii in favorem translati. [4]

Item littere cuiusdam civis Foroiulii etc.

[1] *Mansi 30, 914.* [2] *l. c. 913.* [3] *l. c. 901.* [4] *l. c. 907.*

Conçordata.

Super supplicacione domini cardinalis Firmani quo ad licenciam per ipsum verbo in singulis deputacionibus petitam concordant omnes deputaciones, quod ipse dominus cardinalis per reverendissimos dominos cardinalem legatum, presidentes sanctissimi domini nostri pape et deputatos sacrarum deputacionum exhortetur, ut velit remanere ad tempus, alioquin auditis suis causis legittimis dent huiusmodi licenciam, prout sibi videbitur. Ita concordarunt domini xij^{cim} etc.

Super supplicacione domini Philiberti episcopi Constanciensis provincie Rothomagensis, petentis sibi concedi facultatem, ut possit facere reconciliari per sacerdotem ydoneum certa cimiteria polluta in diocesi sua etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

In causa patriarchatus Aquilegiensis concordant tres deputaciones, quod reverendissimus dominus cardinalis de Cipro et duo vel tres ex deputatis seu commissariis iam datis possint procedere in causa cum ea facultate, quam prius habuerunt. Quarta autem, videlicet de pace, solum duos deputat cum prefato reverendissimo domino cardinali, cum tamen eadem facultate.

Super requesta domini Walrami de Moersa postulati Traiectensis in causa ipsius ecclesie concordant tres deputaciones, quod per sacrum concilium utrique parti mera facti via inhibeatur, ita quod fiat una bulla ex officio unius tenoris absque narracione supplicacionum, [et] usque ad finem litis inclusive [nichil] innovetur sub penis iuris. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Colini Episcopi et Massiote filie Johannis de Moelai coniugum Constanciensis diocesis provincie Rothomagensis, petencium cum ipsis super impedimento consanguinitatis in quarto gradu [dispensari], ut in matrimonio iam contracto et quantum in eis fuit consummato dicto impedimento non obstante remanere possint etc.: concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, commisit ordinario loci.

Super requesta religiosorum ordinis S. Benedicti in hoc sacro concilio existencium, petencium per sacrum concilium mandari omnibus diocesanis provincie Maguntine, quatenus mandent omnibus abbatibus et ceteris eiusdem ordinis religiosis dicte provincie, qui capitulum suum provinciale in Nuremberga erant celebraturi, [ut] ad Parvam Basileam id ipsum ibidem celebraturi venire sint astricti: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio et mandetur in forma ut petitur.

Super supplicacione concernente monasterium Selzense, in qua petitur gesta per episcopum Ratisponensem et vicarium Cluniacensem et provisionem per ipsos factam per sacrum concilium approbari et confirmari cum supplecione deffectuum, si qui intervenerint in eisdem: concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui videat et procedat ut petitur.

Super requesta pro parte decani capituli et cleri Maguntini porrecta, petencium concordiam per oratores sacri concilii inter ipsos et communitatem Maguntinam factam per sacrum concilium ex certa sciencia approbari et confirmari cum supplecione defectuum, si qui intervenerint, necnon super hiis litteras huius synodi cum concordatorum insercione et executoribus deputatis ac invocacione brachii secularis, ne in recidive contencionis scrupulum relabantur, expediri: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Gabelini Maerten clerici Coloniensis diocesis secretarii mercatorum Almanie in opido Brugensi, petentis inquantum ex eo, [quod] certa privilegia ipsis mercatoribus concessa et litteras pro conservacione eorundem scripsit, irregularitatis maculam incurrit, dispensari etc., ut ad sacros ordines promoveri[a] possit: concordant tres deputaciones, quod committatur ordinario loci, qui se informet et cum supplicante dispenset, si egeat, ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, remisit ad sanctissimum dominum nostrum.

Super supplicacione domini Nicholai[b] Hincsonis prepositi ecclesie S. Michaelis castri Cracouiensis, petentis committi et mandari episcopo Cracouiensi, quatenus cum consilio et assensu capituli sui unam aut duas prebendas in dicta ecclesia S. Michaelis instituat et ex bonis dicte prepositure dotet et erigat etc.: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

In causa episcopi Scalholdensis in Norwegia, a suis subditis interfecti, concordant omnes deputaciones, quod commissariis in ipsa causa alias datis superaddatur facultas monendi et citandi eciam per edictum.

Super supplicacione Johannis Fluerhem et Agnetis Scheden coniugum Herbipolensis diocesis, petencium cum ipsis super impedimento consanguinitatis[c] in iiij^{to} gradu dispensari, ut in matrimonio per eos contracto et quantum in eis fuit consummato remanere possint etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus dispenset, prout sibi videbitur, addito per illam de fide, quod expedicio finalis bulle super hoc conficiende pertineat

[a]) dispensari *P.* [b]) Nichi' *P.* [c]) *wiederholt P.*

ad dominos deputatos in materia Grecorum. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione magistri Johannis Helling canonici Osnaburgensis, petentis causam committi contra quendam Henrricum Hake armigerum Monasteriensis diocesis et certos suos complices, qui quondam dominum Johannem Helling decanum maioris ecclesie Osnaburgensis et procuratorem causarum in curia Romana, dum de partibus versus ipsam curiam tenderet[a], interfecerunt, ut asseritur: concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimis in Christo patribus dominis de Cipro et Arelatensi cardinalibus et patriarche Anthioceno, qui constito summarie de assertis petita adimpleant et iusticiam faciant.

Super supplicacione Thome Peurech, petentis committi domino legato, ut det sibi licenciam, ut in hoc loco sacri concilii ad ordines sacros possit promoveri, concordant tres deputaciones, quod admittatur supplicacio ut petitur. Quarta, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Andree Juliano nobilis Veneciarum, petentis committi domino abbati S. Anthonii, ut secum super delacione habitus ordinis S. Anthonii etc. dispenset, concordant tres deputaciones, quod committatur ipsi domini abbati, qui faciat prout consciencie sue visum fuerit. Quarta autem, videlicet pro communibus, commisit eidem domino abbati, iuncto sibi abbate Cisterciensi, qui procedant prout de iure, et fiat declaracio, in casu quo fiat huiusmodi declaracio, restituat bona per eum ab ecclesia recepta.

Lectis huiusmodi concordatis domini presidentes concluserunt, ut est fieri consuetum.

Episcopus Lectorensis surrexit in medium, narravit, qualiter domini de xij non potuerunt concordare deliberaciones deputacionum in materia sedium etc., obstante resistencia domini abbatis Eboracensis et unius alterius de nacione Anglicana de numero dominorum xij^{cim} etc., petens quod legerentur deliberaciones etc.

Dominus abbas dixit, quod dictus dominus episcopus Lectorensis, qui est presidens de xij et de nacione Ispanica et ydeo parcialis, noluit recedere, eo modo non tenebatur recedere.

Dominus decanus Compostellanus ambassiator regis Castelle proposuit, quod cum ordinaciones sacri concilii habeant, quod iuxta deliberaciones trium deputacionum domini de xij^{cim} debeant concordare et deinde fieri debet conclusio in generali congregacione, ideo supplicavit dominis presidentibus, deinde cardinalibus patriarchis, archiepiscopo Lugdunensi et aliis de latere dextro et demum domino episcopo Londoniensi et aliis

[a]) penderet *P.*

dominis de sinistro latere, ut lectis deliberacionibus sacrarum deputacionum vellent iuxta ordinaciones concilii in hac parte concludere.

Dominus episcopus Londoniensis huiusmodi requeste non consenciit, ymo expresse contradixit et protestatus est, ut in cedula duo folia papiri continente lacius continetur. Quamquidem cedulam publice, ut alias in deputacione nostra etc., exhibuit, requirendo lecturam eiusdem, et de denegata iusticia et aliis peciit instrumentum.

Dominus abbas Eboracensis, videns dominos ambassiatores domini regis Francie K[aroli] assistere ambassiatoribus regis Castelle et in favorem eorundem supplicare dominis de concilio etc., et quia per huiusmodi assistenciam videbatur ipsos se partem constituere cum dictis ambassiatoribus regis Castelle, protestatus est, petens instrumentum, presentibus preposito Barduicensi et H[ugone] promotore.

Item quia dominus Symon de Theramo advocatus domini regis Anglie etc., assistente sibi domino Stephano de Nouaria advocato, in principio sui propositi vocavit regem Anglie regem Francie, fuerunt facti multi strepitus pedum etc., adeo quod aliqui dixerunt, se velle facere strepitum, dum eciam dominus K[arolus] vocaret se regem Francie.

Dominus Tarentinus presidens alloqutus est dominos de concilio honorabilibus verbis et terminis, per que sibi summe displicebat de modis in generali congregacione tentis in infamiam sacri concilii etc.

Premissis omnibus et ad mitigandum controversiam, que iam videbatur imminere, pro bono pacis et concordie dixit, quod ipsi domini presidentes cum domino cardinali legato et cardinalibus ac aliis patribus de concilio, quos vellent vocare, viderent deliberata sacrarum deputacionum super petitis per Yspanos et vellent deliberare ad honorem sacri concilii, prout de iure esset faciendum etc.

Dominus Petrus de Mera protestatus est, prout in cedula.

Die sabbati XIX^{a} marcii M^{o} iiij^{c} xxxv^{o} in sacra deputacione pro communibus super decem capitulis cultum divinum concernentibus, ad sacras deputaciones per reverendissimum dominum cardinalem legatum ad deliberandum transmissis, placuit quod domini deputati ad revidendum et reaptandum decreta de pacificis possessoribus, de causis et de intrusis, videlicet domini Lugdunensis, abbas de Chereto, decanus Compostellanus, Johannes Pulcripatris et H[enrricus] auditor conveniant cum reverendissimo domino cardinali legato et deputatis aliarum deputacionum, qui huiusmodi decem capitula revideant, addant et diminuant, prout eis videbitur, ita tamen quod volentes dare super ipsis aliqua motiva, illa eisdem dominis deputatis dare possint. Qui domini deputati habeant facultatem in hiis concludendi.

Super avisamento sacre deputacionis fidei super convocacione prelatorum, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus habeat potestatem convocandi prelatos, qui non venerunt ad concilium, vocatis secum duobus vel tribus de nacione, de qua vocabuntur, et specialiter illos, qui non miserunt et receperunt pecuniam, placuit huiusmodi avisamentum fidei in forma.

Item placuit quod per dominum auditorem[a] camere moneatur eciam sub penis prelatus, cui est scriptum de dissolucione concilii, ut ipse prelatus habeat nominare illum, qui sibi scripsit de fracto negocio[b] Bohemorum et Grecorum et de huiusmodi dissolucione.

Placuit quod die lune proxima post missam beati Benedicti fiat generalis congregacio dumtaxat ad audiendum relacionem dominorum ambassiatorum, qui transiverunt ad dominum ducem Sabaudie super materia ecclesie Lausanensis.

Super primo avisamento dominorum de xij^{cim} de clericis tam secularibus quam regularibus, qui per potenciam secularem seu armata manu absque auctoritate iudiciaria possessionem vel quasi apprehenderent ecclesiarum etc., placuit avisamentum, ita tamen quod adiciantur pene et eciam comprehendantur laici.

Super secundo avisamento de graciis expectativis etc. placuit, quod pronunc supersedeatur.

Super expedicione litterarum concernencium ecclesiam Traiectensem placuit, quod antequam expediantur, dominus Bellicensis presidens videat.

Placuit quod per dominos patriacham et Lugdunensem exhortetur dominus cardinalis Firmanus, quod velit remanere usque ad adventum Grecorum.

Die dominica fuit missa solemnis.

Die lune XXI^{a} marcii M^{o}iiij^{C}xxxv^{o} fuit missa in ecclesia maiori ob reverenciam beati Benedicti celebrata, in qua fuit sermo etc.

Deinde et illico fuit congregacio generalis, in qua presidebant domini Tarentinus et Paduanus, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro, Arelatensi, de Columpna et Firmano.

Domini episcopus Vexionensis et scolast[ic]us Andegauensis suam de gestis per eos erga dominum ducem Sabaudie nomine sacri concilii in causa Lausanensi ad plenum fecerunt relacionem.

Dixerunt, quod adierunt prefatum dominum ducem die iovis x^{a} marcii, et assignatis sibi sedibus et locis in camera eiusdem domini ducis

[a]) dn̄os aud. *P.* [b]) negociorum *P.*

ante faciem eius et presentatis litteris et data dei omnipotentis benedictione et lectis litteris credencialibus et facta brevi collacione:

Dominus scolasticus retulit ea que facta sunt iuxta instructiones eisdem dominis datas: primo commemorarunt auctoritatem antiquorum sacrorum conciliorum, et specialiter ea que gesta sunt in eisdem ad tollendum divisiones et dissenciones, que quandocunque contigerunt in ecclesiis pontificalibus sive cathedralibus etc.

Descendit ad processum agitatum in causa Lausanensi, in qua processum est ex officio etc.

Fuit aperta via concordie et amicabilis composicionis et practicata coram ipso domino duce.

Narravit translacionem factam de domino L[udouico] ad ecclesiam Auinionensem non debere habere vim, obstantibus decretis sacrorum conciliorum Constanciensis et Senensis de invitis non transferendis, alegando adhesionem domini nostri pape.

Narravit pronunciacionem ordinacionis per dominos arbitros latam et factam et instancias factas per dominum L[udoùicum].

Narravit gravitatem procedendi dominorum commissariorum in causa et relaciones successive factas.

Narravit excusaciones domini L[udouici] episcopi Lausanensis et verbale testimonium dominorum presidencium commissariorum et aliorum dominorum factum in generali congregacione pro iustificacione ipsius domini Ludouici. Hiis attentis exhortati sunt dominum ducem, quod omnem rancorem contra eundem dominum L[udouicum] vellet removere. Dixit quod dominus Lubicensis excusavit in generali congregacione, quod ad ipsius instanciam nunquam ea, que dixerat, dixit etc. etc.

Item quod non vellet recedere ab ordinacione etc.

Dominus dux ad premissa respondit: primo quod hec materia non erat tanti effectus, quod concilium debuisset misisse talem ambassiatam etc., licet ipsos libenter videbat, regraciando concilio de bona doctrina et de expositis.

Dixit quod semper optavit pacem illius ecclesie et dedit operam pro eadem.

Dixit, quod licet sui ambassiatores in concilio semper habuerunt gratam audienciam, nichilominus modicum in hoc reportarunt.

Die sequenti iterum accesserunt ad eundem dominum ducem et per N[icodum] Festi triplex honor debebatur[a)], primo propter honorem concilii etc., commemorando, quomodo dominus dux dederat operam pro pace in ecclesia Lausanensi et ita offerebat per omnes vias aperiendas per con-

[a)] *so P; es wird zu ergänzen sein* et per N. Festi [responsum fuit quod eis] triplex *u. s. w.*

cilium. Narravit processum etc. vacacionis illius ecclesie Lausanensis, et specialiter quomodo miserat nuncium ad dominum nostrum papam, qui promisit expectare electionem etc. Narravit qualiter dominus L[udouicus] presentavit domino duci bullas et processum agitatum contra capitulum Lausanense per dominum Ludouicum.

Dixit quod semper veneratus est concilium et venerari intendit.

Dixit quod citacio personalis emanavit a commissariis, virtute cuius partes personaliter citate fuerunt etc.

Dixit quod in hac causa non deberet procedi iuxta modum tentum in causa Treuerensi.

Dixit quod taxa fuit nimis excessiva. Dixit quod dominus L[udouicus] violaverat ordinacionem pro eo, quia debebat prosequi per viam iuris, non summarie etc.

De translacione dixit, quod decretum Constanciense non erat irritans nec obstabat, attento quod non fuerat possessor[a]. De adhesione dixit quod non obstat.

Dixit quod dominus dux assenciebat testimonio dominorum sacri concilii super excusacione domini L[udouici]; dixit tamen, quod in latibulis et angulis multa sinistra dixerat de domino duce, detrahendo honori suo, et quod non est verissimile, quod dominus episcopus Lubicensis debeat cognoscere statum civitatum[b] et patrie sue, si non fuerit informatus aliunde.

Die sabbati sequenti abbas Habundancie et quidam doctor accesserunt ad dominos ambassiatores, dicentes quod ad plenum audiverant responsionem domini ducis, exhortantes quod si aliquas vias haberent pro concordia, illas haberent ostendere et dare etc.

De impugnacione processus multa dixerunt domini ambassiatoribus prefatis ad eos missis etc., similiter de compromisso et de pronunciacione etc. de translacione etc.

Dixerunt prefati nuncii, se velle referre omnia, que a dominis ambassiatoribus audiverant.

Domini ambassiatores iterum post prandium accesserunt ad dominum ducem Sabaudie etc.

Dominus Vexionensis retulit ea, que habuerunt in responsis a prefato domino duce. Dixit, quod si dominus haberet aliqua dubia, erant parati facere fidem per publica documenta. Dixit de herardo portante diffidenciam etc. et quod nunquam fuit auditum de simili actu, rogando ut mitigaret animum suum et dominum Ludouicum vellet recipere ad excusacionem et admitteret, prout de iure erat, ad ecclesiam Lausanensem. Hiis dictis respondit dominus dux, istam esse novam materiam, et

[a]) poss. *P.* [b]) civitat. *P.*

quod vellet deliberare. Iterum vocati ad suam presenciam et per dominum Antonium fuit responsum, quod illustrissimus dominus dux pluries scripsit concilio et misit ambassiatores pro interesse suo in ecclesia, et quia concilium non advertebat pro suo interesse, misit heraldum, quod iudicatur ad honorem illorum, ad quos mittuntur, non qui mittunt etc. De admittendo excusacionem et eciam ad ecclesiam Lausanensem respondit, quod prout semper fuit paratus ad pacem, semper erat. De commissariis non faciebat magnum factum et est de hiis contentus. De dicto Ludouico dixit, se non esse contentum.

Narravit bona suscepta a domino duce, regraciando concilio etc., eciam a domino abbate Habundancie. Similiter narravit recepcionem de eis per dominum Johannem de Prangino factam etc. Narravit dominum scolasticum de equo cecidisse etc.

Reverendissimus dominus Tarentinus presidens de laboribus per supradictos dominos ambassiatores in hac materia assumptis nomine concilii eis est regraciatus etc.

Die martis XXII^{da} marcii M^{o}iiij^{C}xxxv^{o} in sacra deputacione pro communibus super ambabus requestis magistri N[icolai] Gehe archidiaconi etc., volentis promoveri ad sacrum presbiteratus ordinem et quod possit eligere confessorem etc., placuerunt et concesse sunt huiusmodi requeste in forma ut petitur.

Super primo avisamento dominorum xij^{cim}, quoniam in nonnullis mundi partibus, ut asseritur, episcopi ac superiores et inferiores prelati conferunt beneficia ad instanciam aliquorum supplicancium personis mere illiteratis et interdictis, non expresso nomine illius cui conferuntur, adeo quod post collacionem est in potestate impetrantis declarare personam et eciam, quod deterius est, sine aliqua declaracione percipere fructus beneficiorum, videretur equum statui, quod nullus prelatus etc. conferret beneficium ecclesiasticum mere illiterato vel non expresso nomine et cognomine provisi, alias collacio esse[t] nulla et conferens suspensus ipso iure a collacione beneficiorum per vj menses.

Item videretur utile quod nullus per bullam assumeretur ad gradus magistri in theologia vel doctoratus in iure canonico vel civili, pretermissis legittimis cursibus in studio generali, et si assumeretur, quod post recepcionem gradus compelleretur ad cursus perficiendos et hec compulsio posset fieri vel per prefatum suum superiorem vel per cancellarium illius universitatis studii generalis, quod propinquius esset domicilio taliter assumpti.

Item quod annexaciones seu uniones ecclesiarum parrochialium non fiant de cetero, nisi forte locis talibus, que infra limites eiusdem

parrochie constituta sunt, ubi parrochiani ad divina audienda recipi debeant et faciliter concurrere queant.

Item quia in quibusdam ecclesiis, ut dicitur, est statutum vel consuetudo aut pocius corruptela, quod noviter provisus non admittatur ad residendum in ecclesia vel interessendum capitulo seu ad percipiendum fructus, nisi prius solvat certam summam pecuniarum, videretur iustum statui, quod liceret quibuscunque canonicis prebendatis ecclesiarum cathedralium seu collegiatarum quarumcunque in prefatis ecclesiis libere residere et vocem in capitulo habere, fructus quoque percipere ac distribucionibus recepcionibus ceterisque privilegiis gaudere [a], prout alii prebendati residenciarii gaudent, observata tamen decretali Clementis quinti,[1] non obstantibus consuetudinibus statutis seu privilegiis in contrarium obtentis per decanos et capitula huiusmodi ecclesiarum.

Deputacio fidei retulit, dedisse quinque deputatos ad reaptandum huiusmodi x articulos cultum divinum concernentes cum potestate concludendi.

Placuit avisamentum sacre deputacionis pacis pro recuperacione civitatis Tridentine, videlicet quod reverendissimi domini cardinalis legatus et domini presidentes domini nostri pape et sacrarum deputacionum provideant.

Die mercurii XXIII[a] marcii in sacra deputacione pro communibus super supplicacione Johannis de Requeys clerici et Themme filie Johannis le Watreniez, petencium dispensari super matrimonio contrahendo etc., placuit quod committatur domino cardinali legato, qui dispenset, prout sibi videbitur.

Quo ad ambas supplicaciones dominorum contendencium de ecclesia Traiectensi placuit, quod inhibeatur via facti partibus hincinde principalibus, quod nichil attemptent per se vel alios sub pena perdicionis iuris, quod pretendunt se habere in ecclesia Traiectensi, salvis eciam aliis penis iuris. Item quod dominus Bellicensis presidens, ut alias est deliberatum, videat cum deputatis litteras huiusmodi, antequam bullentur.

Quo ad requestam archidiaconi Marstonensis in ecclesia Poznaniensi placuit, quod dominus Johannes de Hungaria videat contenta in requesta et referat.

Quo ad requestam reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis vicecancellarii, concernentem concordiam inter ipsum et cives Bisuntinenses, placuit huiusmodi requesta in forma ut petitur.

[a]) gauderent *P.*

[1] *es wird Clement. lib. I tit. 6 gemeint sein* De sequestratione possessionum et fructuum: ‚Ad compescendas‘.

Die sabbati XXVI[a] marcii M° iiij[C] xxxv° fuit congregacio generalis, presidentibus dominis cardinali legato, Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro, Arelatensi, de Columpna et Firmano etc.

More[a)] solito incorporati fuerunt dominus Humbertus Rollandi, Petrus Martelli, Stephanus Foresii, fratres Jordanus Gauareti, Nicolaus Bandererii monachi[b)] Montismaioris.

Domini Pruteni per organum magistri Symonis de Valle advocati proposuerunt, replicando verbis alias per dominum Nicolaum ambassiatorem domini regis Polonie contra ipsum ordinem propositis, concludendo quod dentur deputati, qui audiant eos contra Polonos.

Dominus N[icolaus] ambassiator predictus peciit audiri et commissarios postea, ut supra, dari.

Dominus Lugdunensis respondit ad ea, que idem dominus Symon contra personam suam tetigerat.

Dominus Nicolaus ambassiator inter cetera dixit, quod si daretur audiencia, vellet dicere quod de nullo servit, non solum esse inutilem, sed tanquam scandalosum et ecclesie catholice prosequtorem amovendum.

Dominus cardinalis legatus exhortatus est partes hincinde, quod amplius non fiat verbum de istis.

Dominus episcopus Niuernensis exhortatus est dominos de sacro concilio ad prosequendum pacem regni Francie, dando pro exemplo ea, que heri in sermone proposuit episcopus Pharensis.

Lecte fuerunt littere ambe domini ducis Burgundie, concernentes materiam pacis regni Francie et dietam indictam Attrebati prima die iullii proxima, requirentis concilium, ut ad hoc velit exhortari partes hincinde.[1] Hec materia remissa est ad deputaciones deliberanda.

Lecte fuerunt littere domini ducis Sabaudie et eius primogeniti, concernentes ecclesiam Lausanensem.

Dominus Lubicensis ambassiator [domini imperatoris] proposuit, qualiter dominus dux Sabaudie est vicarius imperatoris, recommendendo iusticiam domini episcopi Lausanensis.

Dominus Bellicensis nomine ambassiatorio requisivit, prout continetur in litteris dicti domini ducis.

Dominus legatus exhortatus est dominos, quod apponeretur remedium, quod pax fieret in ecclesia Lausanensi.

Placuit[c)] et fuit conclusum, quod domini cardinales et presidentes sanctissimi domini nostri pape et deputati sacrarum deputacionum super pace regni Francie etc. habeant dietim circa huiusmodi pacem laborare.

[a)] *dieser Absatz später hinzugefügt P.* [b)] mon̄ *P.* [c)] *dieser Absatz am Rande hinzugefügt P.*

[1] *Mansi 30, 904.*

Concordata.

Super avisamento sacre deputacionis fidei de convocacione prelatorum etc. concordant tres deputaciones, quod reverendissimus dominus legatus habeat auctoritatem convocandi et compellendi prelatos, qui non venerunt ad concilium, vocatis secum duobus vel tribus de nacione cuius vocabuntur, et specialiter illos qui non miserunt et receperunt pecunias. Et fiant littere sub nomine concilii. Qnarte autem, videlicet de reformatorio, placuit quod vocentur illi, qui a suis subditis causa veniendi ad hoc sacrum concilium pecunias receperunt.

Super supplicacione cuiusdam nobilis, petentis secum super irregularitate dispensari, ut ad sacros ordines possit promoveri, ipsumque rehabilitari ad beneficia obtenta et obtinenda, concordant tres deputaciones, quod reverendissimus dominus legatus, habita noticia de persona supplicantis, auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicante ac ipsum reabilitet et absolvat, prout sibi videbitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, remisit ad sanctissimum dominum nostrum.

Super supplicacione prioris sacriste et conventus monasterii S. Martini de Campis Parisiensis ordinis Cluniacensis, petencium concordata inter ipsos et magistrum Robertum au Clou rectorem parrochialis ecclesie S. Jacobi de Macello Parisiensis super medietate oblacionum etc. per sacrum concilium ex certa sciencia approbari et confirmari, deffectus suppleri, lites suscitantibus silencium imponi etc.: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Elsie uxoris Gisonis de Thoren civis Colonien-sis, petentis certam causam iniuriarum ad instanciam alterius mulieris eiusdem civitatis hic introductam ad partes remitti etc., concordant omnes deputaciones, quod huiusmodi causa advocetur et ad forum suum remittatur, ut petitur.

Super supplicacione decani et capituli maioris ecclesie Wormacien-sis, petencium certa concordata inter ipsos et decanum et capitulum S. Pauli Wormaciensis super redditibus prepositure dicte ecclesie S. Pauli per hoc sacrum concilium ex certa sciencia confirmari et approbari cum supplecione defectuum et executorum deputacione: concordant tres deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de pace, commisit ordinario loci, qui vocatis vocandis provideat ut petitur in forma.

Super supplicacione ecclesie S. Donini de Credaria, petentis committi reverendissimo domino legato, quatenus vocatis partibus, habita summaria informacione et si sic reper[er]it prout in supplicacione narratur, provideat illi ecclesie, innovando et confirmando unionem ipsius

ecclesie ad monasterium factam etc.: concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui vocatis vocandis provideat prout de iure et iusticiam faciat.

Super decem capitulis circa cultum divinum concordant omnes deputaciones, quod deputati singularum deputacionum conveniant cum reverendissimo domino cardinali legato cum potestate reaptandi certa additamenta et concludendi. Ad quod deputati fuerunt pro deputacione reformatorii reverendissimi ac venerabiles patres patriarcha Anthiocenus, archiepiscopus Turonensis, officialis Parisiensis, archidiaconus de Anglia, magister Johannes de Turrecremata, Franciscus de la Cruce, Rodolphus Rudeshen[a)] et . . . Yspanus; pro deputacione fidei Aurelianensis et Papiensis episcopi, abbas Bone Vallis, magister Johannes Celi et dominus Fernandus Fassi Yspanus; pro deputacione de communibus archiepiscopus Lugdunensis, abbas de Chereto, decanus Compostellanus, Johannes Pulcripatris et H[enricus] auditor camere; pro deputacione pacis abbas Virziliacensis, auditor reverendissimi domini cardinalis de Cipro, Nicolaus ambassiator universitatis Parisiensis, officialis Patauiensis.

Circa recuperacionem civitatis Tridentine concordant omnes deputaciones, quod reverendissimus dominus legatus cum reverendissimis dominis cardinalibus et presidentibus sanctissimi domini nostri pape et eciam sacrarum deputacionum habeant providere tam in scribendo litteras oportunas quam mittendo nuncios, prout eis videbitur expedire etc.

Super supplicacione pro parte rectorum civium et habitatorum civitatis Bisuntinensis, petencium quod cum pax sit et concordia inter reverendissimum dominum cardinalem Rothomagensem archiepiscopum Bisuntinensem et ipsos, quod committatur reverendissimo domino cardinali Arelatensi ac illi cui commiserit, quatenus auctoritate sacri concilii possit absolvere et dispensare [ab] irregularitate seu irregularitatibus, eciam in foro penitenciali absolvere cum illis qui indigeant, et si neccesse fuerit rehabilitare etc.: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, cum ad ipsam accederent, iam erat dissoluta.

Dominus officialis Parisiensis nomine episcopi se opposuit conclusioni capiende in materia prioris S. Martini Parisiensis.

Domini presidentes per organum domini cardinalis legati iuxta concordata dominorum xij^{cim} et deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium, ut est moris, concluserunt.

Dominus cardïnalis legatus exhortatus est dominos de concilio, ut si que supplicaciones tam de iusticia quam de gracia ventilarentur in

[a)] Rudeshen̄ *P.*

deputacionibus, quod vellent remittere ad dominos vicecancellarium et deputatos etc. Super qua materia iam in generali congregacione est conclusum.

Item exhortatus est dominos de inclita nacione Gallicana, ut vellent dare operam in materia pacis Francie.

Die dominica XXVII[a] marcii fuit missa solemnis.

Die lune XXVIII[a] marcii in sacra deputacione pro communibus quo ad requestam domini cardinalis Placentini, petentis permutari beneficia etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super requesta domini electi Albiensis etc. placuit, quod committatur domino episcopo Lubicensi, qui procedat ut petitur.

Pro parte domini Rodolphi episcopi Traiectensis oblata sunt aliqua capitula ad impediendum inhibicionem ad viam facti etc., de qua oblacione peciit instrumentum, presentibus dominis patriarcha, Lugdunensi, Vexionensi, abbate S. Cornelii, Johanne Pulcripatris et H[enrico] auditore.

Placuit quod inhibeatur via facti eciam sub pena excommunicacionis partibus hincinde contendentibus de ecclesia Traiectensi et aliis attemptantibus huiusmodi viam facti, et expediatur huiusmodi inhibicio sub bulla etc.

Placuit quod indicatur ad diem iovis proximam generalis congregacio dumtaxat ad relacionem in causa ecclesie Gurcensis faciendam.

Lectis articulis super reformacione etc. placuit, quod nullus sub pena excommunicacionis habeat mittere extra concilium copiam nec effectum huiusmodi articulorum sine licencia domini cardinalis[a)], et quilibet recipiat hodie hora ij[da] post meridiem et cras veniat deliberatus.

Item placuit quod dominus [legatus] habeat componere unum decretum de habitibus.

Die martis XXIX[a] marcii in sacra deputacione pro communibus placuit, quod fiat die crastina mercurii xxx[a] marcii generalis congregacio, in qua concludatur responsio fienda domino duci Burgundie super pace Francie iuxta avisamenta domini cardinalis legati et audiantur quidam nobiles de Almania etc.

Deputacio reformatorii retulit, quod in nullo statu aliquid decretetur et publicetur in sessionibus, nisi prius in omnibus septem partibus deliberaciones et conclusiones processerint, ut nullus status sancte huiusmodi reformacionis expers fiat.

[a)] sine lic. dom. card. *steht am Ende des Absatzes P.*

Sacra deputacio pacis retulit, quod dominus legatus, vocatis secum uno notabili viro de qualibet deputacione, habeat facultatem auctoritate concilii signandi quascunque supplicaciones graciam meram continentes sacro concilio deinceps porrigendas, et eciam refutandi vel remittendi[a], prout sibi videbitur.

Dominus Richardus de Fonte in utroque iure licenciatus, assertus procurator domini ducis Sabaudie et domini Johannis de Prangino, requisivit prout in cedula oblata, de qua requesta peciit instrumentum, presentibus dominis patriarcha, Lugdunensi, Niuernensi et Vexionensi, Johanne Pulcripatris, H[enrico] auditore et Symone Freron etc.

Lectis duobus primis articulis de modo electionis summi pontificis, placuerunt ambo articuli, ita quod addatur clausula „salvis decretis Constanciensis et Basiliensis conciliorum super modo eligendi,“ cum aliis motivis additis per dominum Johannem de Hungaria conceptis[b]. Nichilominus videant domini legatus et deputati, addant et diminuant et concludant, prout eis videbitur.

Auditis avisamentis reverendissimi domini cardinalis legati et deputatorum in materia pacis regni Francie, [placuerunt huiusmodi avisamenta], videlicet quod pro solemnitate actus et ut homines audientes efficacem disposicionem sacri concilii magis edificentur de ipso concilio et magis animentur ad huiusmodi pacem, quod cras teneatur generalis congregacio, in qua concludi debeat de responsione facienda illustrissimo principi domino duci Burgundie, videlicet laudando ipsum de tam ferventi zelo, quem habet ad pacem illius christianissimi regni, et exhortando ipsum ad continuandum usque ad consummacionem huius sancti operis.

Item qualiter sacrum concilium deliberat mittere ad dietam illam tenendam in civitate Attrebatensi valde notabilem et insignem ambassiatam de maioribus concilii.

Item exhortari utramque partem ad pacem et alia, que in dictis litteris domini ducis continentur.

Die mercurii penultima marcii M°iiij^{c}xxxv° fuit generalis congregacio dumtaxat indicta ad concludendum certa capitula suprascripta, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinali de Cipro, Arelatensi, de Columpna et ambobus patriarchis.

Lectis deliberacionibus sacrarum deputacionum super avisamentis dominorum deputatorum circa pacem regni Francie etc., reverendissimi domini presidentes per organum domini cardinalis legati nomine et auctoritate sacri concilii super huiusmodi avisamentis dominorum deputatorum super huiusmodi pace regni Francie in nomine Patris et Filii

[a]) remi.di *oder* renu.di (renuendi) *P.* [b]) conceptis cum *P.*

et Spiritus Sancti concluserunt et pro concluso habuerunt, videlicet quod sacrum concilium scribat litteras illustrissimo principi domino duci Burgundie responsivas litteris ipsius domini ducis, laudando ipsum de tam ferventi zelo, quem habet ad pacem illius christianissimi regni Francie, exhortando eum ad continuandum usque ad consummacionem huius sancti operis.

Deinde tempore medio sacrum concilium deliberabit mittere ad dietam illam tenendam in villa Attrebatensi valde notabilem et insignem ambassiatam de maioribus concilii.

Item sacrum concilium per litteras suas exhortabitur utramque partem ad pacem et alia, que in litteris prefati domini ducis continentur. De quibus dominus Niuernensis peciit instrumentum.

Nobiles de Germania tenentes captivum Johannem de Orlandia, assistentibus sibi marchione de Hubeling et comite de Longo et pluribus aliis nobilibus, per organum magistri Guillermi de Constancia proposuerunt causas, propter quas dictum de Orlandis captivarunt. Finaliter requisivit, attento quod dominus Jacobus miles [et] de Orlandis sunt meri laici et causa mere prophana, concilium non intromittat se etc. nec impediat in sua iusticia, vel concilium inducat partem adversam, quod coram ipso domino Jacobo non habeat prosequi.

Dominus Stephanus de Nouaria respondit seriose ad proposita nobilis, qui dictum Horlandum detinet captivum, requirendo ut monitorium in favorem dicti de Horlandis execucioni demandatum suum sorciatur effectum etc.

Dominus legatus verbo exhortatus est prefatum dominum Jacobum militem et per inquisitorem Maguntinum exhortari fecit, ut saltem vellet ob reverenciam concilii et bonam famam et honorem ipsius militis condescendere, quod relaxaretur de Horlandis mediante caucione, vel saltem contentaretur, quod stet in carceribus civium Basiliensium, et tempore medio darentur iudices de nacione Germanica, qui viderent et iusticiam facerent.

Placuit quod dominus cardinalis legatus et presidentes habeant vocare partes et providere, prout eis videbitur.

Die iovis ultima marcii M°iiij^{C}xxxv° fuit congregacio generalis dumtaxat ad relacionem faciendam in causa ecclesie Gurcensis, presidentibus in eadem dominis Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro Arelatensi et de Columpna, presente patriarcha Aquilegiensi.

Lectis deliberacionibus quatuor sacrarum deputacionum super huiusmodi relacione facienda, domini presidentes per organum domini Tarentini concluserunt.

Qua conclusione facta domini commissarii, videlicet domini cardinalis Arelatensis, Lugdunensis Cretensis archiepiscopi et episcopus Papiensis suam fecerunt relacionem in scriptis, quam relacionem de mandato sacri concilii per organum domini Tarentini presidentis super hoc facto Erardus collega noster de verbo ad verbum in scriptis legit.

Relacione completa dominus Symon de Theramo advocatus domini Laurencii episcopi requisivit, quod antequam ad sentenciam ferendam procedatur, detur copia relacionis. Nam, ut asseruit, aliqua fuerunt per dominos commissarios diminuta et omissa etc. De qua requesta dominus Symon advocatus et procurator pecierunt et quilibet eorum peciit instrumentum etc., presentibus Niuernensi et Pergamensi episcopis, magistris Johanne Celi et Radulpho de Porta in sacra pagina magistris.

In casu quo denegaretur copia huiusmodi, prefati advocatus procurator et Stephanus de Nouaria nomine domini Laurencii episcopi huiusmodi relacioni se opposuerunt expresse et opponunt.

Die veneris prima aprilis M°iiij^{C}xxxv° in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali [a] legato et Tarentino, assistentibus cardinali de Columpna, duobus patriarchis.

Dominus episcopus Conchensis, prout alias, requisivit dominos presidentes, deinde dominos cardinalem de Columpna et ambos patriarchas et alios dominos a dextris et sinistris, quod vellent concludere iuxta deliberaciones trium deputacionum, alias ipse pro et nomine ambassiatorio serenissimi domini regis Castelle protestabatur, prout in cedula. De quibus peciit instrumentum etc.

Dominus episcopus Londoniensis nomine ambassiatorio domini regis Anglie etc., non recedendo a protestacione in scriptis in generali congregacione alias per ipsum facta, non consenciit protestacioni facte per dominum episcopum Conchensem, ymo expresse contradixit, petendo instrumentum etc.

Lectis deliberacionibus quatuor sacrarum deputacionum super materia sedium etc., per dominum decanum Compostellanum ambassiatorem etc., ipse dominus decanus requisivit, ut supra, omnes dominos cardinales presidentes et alios dominos tam a dextris quam a sinistris existentes, ut iuxta huiusmodi deliberata vellent concludere, prout ordinaciones sacri concilii hoc portant.

Reverendissimi domini presidentes per organum domini cardinalis legati, habita inter se deliberacione aliquali, responderunt, quod intendebant loqui partibus hincinde, postmodum responderent et tantum facerent ad honorem sacri concilii, quod partes merito deberent contentari.

[a]) cardinalibus *P.*

Dominus Lubicensis surrexit in medium et dixit, quod non solum ad concilium, ymo ad serenissimum dominum imperatorem pertinet dare et assignare loca in generalibus conciliis, quare requisivit, ut in hac materia concilium nichil habeat ordinare inconsulto imperatore. De quo protestabatur, petendo instrumentum etc.

Domini presidentes per organum domini cardinalis presidentis dixerunt verum esse, quod domino cardinali legato existen[te] in conventu Cartusiensium convenerunt domini presidentes et domini de xij, saltem aliqua pars eorundem, et multi notabiles alii prelati et domini, et visis deliberacionibus sacrarum deputacionum et consideratis hiis que in hac parte per dominos deputatos pro concordia fuerant ordinata, concluserunt quod nullo modo poterant concordare, ymo quod concilium non debebat se amplius intromittere. De quibus domini promotores pro honore concilii necnon dominus[a)] Londoniensis nomine ambassiatorio pecierunt instrumentum.

Nichilominus domini presidentes per organum cuius supra dixerunt, quod pro concordia, si videatur sacro concilio, deputaciones poterunt dare deputatos vel facere pro honore sacri concilii, prout eis videbitur.

Nota quod dixit: domini deputati per sacras deputaciones.

Auditis altercacionibus hincinde et facta narracione gestorum in materia, reverendissimus dominus legatus inter cetera rogavit omnes dominos de concilio, quatenus ad cedandum huiusmodi et similes controversias quilibet de cetero sederet.

Quo audito fuit responsum per maiorem partem dominorum tam prelatorum quam aliorum per verbum „placet.“

Auditis premissis domini presidentes per organum domini cardinalis legati dixerunt, quod habuerant dominos de xij in monasterio Cartusiensium et plures alios prelatos non parciales et inter se examinarunt dictas deliberaciones sacrarum deputacionum, et scrutatis omnium votis, paucissimis exceptis, ymo quasi omnibus visum fuit, quod nullomodo dicte deliberaciones concordabant, nec secundum eas poterat haberi conclusio, unde iuxta deliberacionem dictorum dominorum duodecim et aliorum, qui, ut premittitur, dictas deliberaciones cum eis viderunt, respondit idem dominus legatus, quod non poterat nec debebat per concilium concludi, ex quo dicte deputaciones non concordabant. Et ita responderunt peticioni dictorum dominorum Ispanorum et concluserunt in hac materia per concilium non posse concludi, hanc responsionem dictis dominis Ispanis faciendo, non tamen conclusionem aliquam in hoc denegando. Cui responsioni patres de concilio tacite acquieverunt.

a) domini *P.*

Die sabbati secunda aprilis in sacra deputacione pro communibus placuit, quod omnes domini de sacro concilio et eorum familiares possint et valeant eligere confessores ydoneos, qui eos absolvant eciam in casibus sedi apostolice reservatis et dispensent etc. in forma alias concessa. Et duret huiusmodi facultas a die dominica in Passione Domini usque ad octavas Pasche inclusive. Que die crastina post missam concludatur.

Quo ad requestam cantorum et diaconi capelle placuit, quod dentur duo deputati, qui adeant dominos presidentes sanctissimi domini nostri pape et thesaurarios concilii et euisdem domini nostri pape pro provisione supradictorum cantorum etc. Et ad hoc fuerunt deputati domini Lugdunensis et Bellicensis. Item dominus decanus Compostellanus dixit, se velle super hoc loqui dominis de inclita nacione Ispanica et die lune proxima referre in deputacione.

Quo ad requestam Sifridi de Vennigen canonici Spirensis, petentis si neutri expediri sub bulla concilii etc., si constiterit de signatura sanctissimi domini nostri pape, placuit quod huiusmodi si neutri sub bulla sacri concilii expediatur ut petitur.

Pro presidente istius mensis aprilis fuit deputatus reverendissimus dominus patriarcha Aquilegiensis.

Pro dominis de xij domini N[icolaus] Gehe continuatus, Galeacius de Mantua et Johannes de Hungaria.

Pro custodia clavis dominus Johannes doctor[a)] Anglicus, prestitit iuramentum.

Pro referendario dominus Matheus Nithardi.

Dominus Robertus prior Maiorismonasterii obtinuit licenciam recedendi usque ad tres menses a die sui recessus, ita quod infra huiusmodi tres menses debeat reverti ad concilium vel abbas personaliter veniat. Et in casu quod ipse non reverteretur, dimittat loco sui substitutum.

Placuit avisamentum dominorum de xij^{cim} in forma, quod celebretur sessio ante Pascha, et si fieri possit die iovis, in qua decretentur decreta de pacificis possessoribus, de intrusis et de causis cum x articulis de cultu divino etc.

Quo ad requestam magistri Martini Pinardi, petentis resignari prebendam Baiocensem in manibus ordinarii, placuit huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad dispensacionem nobilis Claudii Chambri et Anselme Malmucini, petencium dispensari in iiij^{to} gradu affinitatis etc., placuit quod committatur reverendissimo domino archiepiscopo Lugdunensi ordinario loci, qui auctoritate concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur.

[a)] doctor *später in Lücke nachgetragen P.*

Quo ad requestam Henrrici Scheyber laici et Mteze Kempen Treuerensis diocesis, petencium dispensari super matrimonio etc., placuerunt avisamenta de reformatorio et de pace, quod committatur domino cardinali legato, qui dispenset, prout sibi videbitur.

Super supplicacione Willermi Schocen et Hille mulieris Coloniensis diocesis placuerunt avisamenta de fide et de pace, quod committatur domino cardinali legato, qui dispenset, prout sibi videbitur.

Super requesta Hermani du Paillart et Agnete placuerunt avisamenta de pace et de fide.

Quo ad requestam Guillermi Andree diocesis Aurelianensis, petentis dispensari, placuit quod committatur domino episcopo Aurelianensi ordinario loci, qui dispenset auctoritate concilii cum supplicante ut petitur.

Placuit requesta domini Johannis de Hungaria, petentis quod dominus legatus scribat litteras auctoritate sacri concilii domino episcopo Quinqueecclesiensi.

Quo ad requestas parcium hincinde contendencium de ecclesia Gurcensi placuerunt deliberaciones de reformatorio et de fide etc.

Quo ad requestam monialium S. Clare Aniciensis, petencium remitti causam etc., placuit quod causa terminetur in sacro concilio.

Quo ad avisamentum domini auditoris camere placuit, quod quando portantur[a)] citaciones aut mandata de curia contra incorporatos in concilio, recipiantur et producantur in deputacionibus, quequidem deputaciones provideant.

Placuit quod concordata per dominos de xij concludantur in proxima congregacione generali.

Die dominiça iij[a] fuit missa solemnis more solito.

Die lune iiij[ta] aprilis in sacra deputacione pro communibus placuit, quod die crastina martis quinta fiat generalis congregacio ad audiendum ambassiatores sanctissimi domini nostri pape et ambassiatores Grecorum et ad concludendum ea, que concordata fuerunt per dominos de xij[cim] in proxima preterita ebdomada.

Item placuit quod sacrum concilium per litteras suas exhortetur sanctissimum dominum nostrum papam et dominos cardinales Florencie existentes, quod velint dare partem emolumentorum capelli predictis dominis cardinalibus hic existentibus iuxta tenorem litterarum alias per sacrum concilium concessarum, scribendo efficaciter et mittendo illuc oratorem, si opus videatur.

[a]) *wiederholt P.*

Quo ad materiam kalendarii placuit, quod domini deputati habeant facultatem inter se concludendi, ita tamen quod referant, ut si qui essent deffectus, per concilium non admittatur.

Quo ad requestam domini L[udouici] episcopi Lausanensis de sentencia ferenda pro ipso in causa ecclesie Lausanensis placuit, quod domini tres commissarii in huiusmodi causa, quarto, videlicet domino cardinali Firmano absente, habeant componere sentenciam et citare partes hincinde ad audiendum ferri sentenciam, que sentencia die crastina in generali congregacione, si hora paciatur, nomine sacri concilii feratur, alioquin fiat die iovis generalis congregacio, in qua feratur huiusmodi sentencia; quodque deffectus, si qui intervenerint in processu, suppleantur. Item placuit quod lata huiusmodi sentencia concilium deputet iudices, coram quibus illustrissimus princeps dominus dux Sabaudie pro suo interesse agere poterit, et pro ista deputacione fuit deputatus dominus episcopus Vexionensis.

Lecto tercio articulo de electione summi pontificis etc., placuit huiusmodi articulus cum addicionibus et motivis conceptis etc.

Reverendus pater dominus episcopus Bellicensis nomine ambassiatorio domini ducis Sabaudie contra deliberacionem captam in materia ecclesie Lausanensis protestatus est prout in scriptis dare obtulit.

Die martis quinta aprilis M°iiij^{C}xxxv° in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro Arelatensi et de Columpna et patriarcha Aquilegiensi etc.

Concordata.

Super supplicacione pro parte reverendissimi patris domini cardinalis Placentini, petentis committi episcopo Eystetensi, ut resignacionem prepositure ecclesie Novi Collegii in Spalt ipsius diocesis, quam obtinet ipse dominus cardinalis, ex causa permutacionis pro alio seu aliis beneficiis sive simpliciter recipiat et admittat etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Nicolai Gehe archidiaconi de Germano in ecclesia Maclouiensi, domini Francorum regis in suo parlamento consiliarii, petentis ut a quocunque antistite in hoc sacro concilio ad ordinem presbiteratus promoveri possit confessoremque eligere, qui ab omnibus peccatis suis iuxta concessa suppositis sacri concilii in festo Nativitatis Domini ultime elapso absolvere possit eundem etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

In causa ecclesie Albiensis super supplicacione domini electi, petentis alicui vel aliquibus prelatis in hoc sacro concilio residentibus comitti et

mandari, ut communicato consilio aliquorum, qui alias pro consiliis in dicta causa habendis per reverendissimum dominum archiepiscopum Bituricensem aut allegacionibus publicis in eadem causa interfuerunt, actis et actitatis hactenus factis et visis constitoque de electione ipsius domini supplicantis, quod canonice facta fuerit iuxta decreta huius sacri concilii, ad confirmacionem electionis prefati domini electi eciam auctoritate sacri concilii et alias procedant in omnibus et per omnia, prout memorato domino archiepiscopo metropolitano commissum fuerat etc.: concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendis ac venerabilibus patribus dominis episcopo Lubicensi pro deputacione de communibus, abbati Virziliacensi pro deputacione pacis, preposito Cracouiensi ambassiatori domini regis Polonie pro deputacione fidei et Rodolpho Rudeshem decretorum doctori canonico Wormaciensi pro deputacione reformatorii, qui procedant ut petitur.

Super supplicacione Johannis Clerici acoliti rectoris parrochialis ecclesie S. Sepulcri in opido Montis Desiderii Ambianensis diocesis et Guillermi Hugonis eciam acoliti rectoris parrochialis ecclesie de Juvilla Metensis diocesis, petencium ut ad sacros ordines in hoc loco sacri concilii promoveri possint etc.: concordant tres deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Thome Marmet et Perrote relicte quondam Jacobi Vasselin Rothomagensis diocesis petencium, cum ipsis super quarto affinitatis gradu ut matrimonium contrahere[a] possint etc.: concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset, prout sibi videbitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Ad idem super supplicacione Heligan et Richarde[b] de Marigneyo domine loci de Marigneyo Baiocensis diocesis coniugum, petencium super impedimento iusticie publice honestatis cum ipsis dispensari etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset, prout sibi videbitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Super requesta fratris Guillermi Militis prioris prioratus S. Necterii Claromontensis diocesis, petentis litem super ipso prioratu, quam habuit contra quendam Johannem de Croseto vita functum, extingui etc., concordant omnes deputaciones, quod concedatur et admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

[a]) contrahi *P.* [b]) Richardi *P.*

Super supplicacione Petri de Attrio soldani huius sacri concilii ac servientis armorum sanctissimi domini nostri pape et apostolici palacii, petentis sibi de emolumentis ad causam dicti sui officii eidem debitis a tempore sue incorporacionis integraliter responderi, ac si personaliter in Romana curia servivisset etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Johannis Naturensis suffraganei domini episcopi Monasteriensis, petentis sibi relaxari iuramentum per eum prestitum de visitando limina apostolorum Petri et Pauli etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Idem placuit iiij^{te}, videlicet de reformatorio, sic tamen quod temporibus illis, quibus limina ipsa visitare tenetur, ibidem habeat procuratorem.

Super supplicacione Johannis Mercerii canonici Virdunensis litterarum apostolicarum abbreviatoris huic sacro concilio incorporati, petentis quod durante concilio beneficia que obtinet simpliciter vel ex causa permutacionis in manibus reverendissimi domini cardinalis legati vel vicecancellarii resignare possit etc.: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita noluit deliberare.

Super supplicacione Johannis Seyler de Franken laici et Grede Morghen Basiliensis diocesis coniugum, petencium cum ipsis super cognacione spirituali dispensari etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, remisit ad sanctissimum dominum nostrum papam.

Ad idem super supplicacione Nicolai Hospitis de Mensengot et Anne Rotelin coniugum Argentinensis diocesis.

In causa monasterii Altesilue super requesta per inclitam nacionem Germanicam sacris deputacionibus transmissa[a)] concordant tres deputaciones, quod frater Johannes Mulfros in ipsa supplicacione no[m]i[n]atus prestet caucionem sufficientem et ydoneam in manibus iudicis habentis causam, qui mittat duos ut petitur et provideat ipsi Johanni de expensis. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Concordant omnes deputaciones, quod die martis quinta mensis aprilis fiat generalis congregacio ad audiendum ambassiatorem sanctissimi domini nostri et ambassiatores Grecorum et ad concludendum ea, que concordata fuerunt per dominos xij^{cim} in ebdomada proxime preterita.[b)]

Concordant[c)] omnes deputaciones, quod incorporati huic sacro concilio et eorum familiares eligere possint confessores ydoneos, qui ipsos

[a)] transmissam *P.* [b)] *der Absatz durchstrichen P.* [c)] *folgt gestrichen* similiter *P.*

absolvant ab omnibus peccatis eciam sedi apostolice reservatis etc. iuxta modum consuetum ab hac hora usque dominicam Quasimodo inclusive.

In causa ecclesie Lausanensis concordant omnes deputaciones, quod feratur sentencia pro domino Ludouico ius habente in ipsa ecclesia Lausanensi per sacrum concilium, et quod domini commissarii huiusmodi sentenciam dictent et componant.

Item in eadem causa concordant omnes deputaciones, quod domini tres commissarii in huiusmodi causa, quarto, videlicet reverendissimo patre domino cardinali Firmano absente, habeant concipere sentenciam in huiusmodi causa et citare partes hincinde ad audiendum sentenciam ferri, que die martis quinta huius mensis in generali congregacione, si hora paciatur, nomine sacri concilii feratur, alioquin die iovis proxima vij[a] dicti mensis fiat generalis congregacio, in qua feratur dicta sentencia; quodque deffectus, si qui in processu intervenerint, suppleantur; quodque lata huiusmodi sentencia concilium habeat deputare aliquos iudices, coram quibus illustrissimus princeps dominus dux Sabaudie pro suo interesse agere poterit. Et ad hoc deputati fuerunt pro deputacione pro communibus reverendus pater dominus episcopus Vexionensis, pro deputacione pacis dominus archiepiscopus Cretensis, pro deputacione reformatorii dominus episcopus Tiburtinus. Illa autem de fide nullum deputavit.

Super supplicacione Wilhelmi Scholten et Hille coniugum Coloniensis diocesis, petencium cum ipsis super impedimento consanguinitatis in quarto gradu dispensari etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus auctoritate sacri concilii dispenset, prout sibi videbitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, remisit ad sanctissimum dominum nostrum.

Ad idem super supplicacione Georgii Wisz et Agnete Scherbachin coniugum Basiliensis diocesis super iij° affinitatis gradu.

Ad idem super supplicacione Hennini du Palart et Agnetis relicte Stephani des Ablens alias Motten Cameracensis diocesis etc. super iij° affinitatis gradu in matrimonio contrahendo.

Ad idem super supplicacione Henrrici Scriber et Metse Kempein coniugum Trevirensis diocesis, in qua omnes deputaciones concordant.

Super supplicacione magistri Martini Pinardi litterarum apostolicarum scriptoris et abbreviatoris, petentis licenciam resignandi simpliciter vel ex causa permutacionis canonicatum et prebendam, quos obtinet in ecclesia Baiocensi, sedi apostolice specialiter reservatos, in manibus ordinarii cum potestate eosdem referendi etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Lectis huiusmodi concordatis, domini presidentes per organum domini legati concluserunt iuxta concordata dominorum xij et deliberata sacrarum trium deputacionum concorditer deliberancium.

Nobilis dominus Petrus de Gusma miles ordinis militaris de Calatraua preceptor preceptorie de Calatraua la Vije Toletane diocesis ut et tamquam procurator, ut asserebat, nobilis ac honorandi domini magistri generalis eiusdem ordinis in generali congregacione ipsa durante tenuit locum et sedit iuxta nuncios et ambassiatores universitatis Parisiensis, videlicet a parte ante sedem, in qua domini prothonotarii in generalibus congregacionibus sedere consueverunt, nemine tunc contradicente aut se opponente, presentibus dominis archidiacono et magistro Henrrico etc.

Quibus concordatis et eciam deliberacionibus sacrarum deputacionum lectis, promotor nomine promotorio, facta relacione per Georgium, quod partes hincinde ad audiendum sentenciam ferri fuerant citate, requisivit dominos commissarios, ut sentenciam per eos in causa Lausanensi conceptam exhiberent in medium.

Qua exhibita et deffectibus, si qui in processu intervenissent, per dominos presidentes nomine et auctoritate concilii suppletis, de mandato sacri concilii per organum mei Bruneti alterius notariorum huiusmodi cause fuit de verbo ad verbum huiusmodi sentencia in scriptis lata et pronunciata.

De quibus dominus episcopus Lausanensis regraciatus est sacro concilio de bona iusticia sibi ministrata, peciit et eciam promotores pecierunt instrumentum et instrumenta.

Dominus episcopus Bellicensis ambassiator domini ducis Sabaudie conquestus est, quod ipsi domino duci super hac causa non poterat obtinere iudices dari super interesse suo, quamvis sepe pecierat. Ideo nomine quo supra protestatus fuit, quod per huiusmodi latam sentenciam, si sentencia dici mereatur, ipsi domino duci nullum preiudicium afferatur. Cui domino Bellicensi reverendissimus dominus legatus respondit, dominum ducem Sabaudie de huiusmodi actu inde contentari debere, quoniam sacrum concilium non est fuit nec erat intencionis prefato domino duci aut suo interesse preiudicare, quoniam sacrum concilium dedit iudices, qui ipsi domino duci per Dei graciam iusticiam ministrare habebunt.

Dominus cardinalis Rothomagensis, volens visitare ecclesiam suam, per procuratorem peciit licenciam recedendi.

Lectis ambabus litteris clausis sanctissimi domini nostri pape,[1] inter quas erat una credencialis, dominus Christoforus ambassiator sanctissimi

[1] *Mansi 29, 578. 30, 909.*

domini nostri pape exposuit suam credenciam, et inter cetera, que facta sunt in sua legacione erga imperatorem Grecorum etc.

In sua huiusmodi exposicione credencie lecte sunt littere imperatoris Armeniorum Trapesondarum etc.[1] necnon littere patentes sanctissimi domini nostri,[2] per quas dat facultatem dominis suis presidentibus tractandi in materia Grecorum iuxta capitula in bulla inserta.

Item lecte fuerunt littere domini Johannis patriarche Jherosolimitani.[3]

Item domini ambassiatores Grecorum presentaverunt litteras domini sui imperatoris Grecorum[4] et litteras dominorum cardinalium S. Crucis et S. Petri ad vincula regraciatorias etc.[5]

Quibus litteris lectis dominus Emanuel Dissipatus alter ambassiatorum exposuit suam credenciam et ea que gesta sunt per eos ambassiatores cum sanctissimo domino nostro papa, et finaliter pro complemento negocii requisivit sacrum concilium, ut iuxta compactata vellet consensum prebere in pactatis.

Hec materia remissa est ad deputaciones etc.

Die mercurii VI[a] aprilis in sacra deputacione pro communibus quo ad requestam Roderici Gundissalui, petentis promoveri ad sacerdocium, placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super requesta magistri Egidii de Campis electi in decanum ecclesie Rothomagensis placuit, quod committatur domino archiepiscopo Rohomagensi ordinario loci, qui procedat ut petitur.

Ad conveniendum et tractandum cum reverendissimis dominis cardinalibus et presidentibus sanctissimi domini nostri pape in materia Grecorum fuerunt deputati domini patriarcha Aquilegiensis, archiepiscopus Lugdunensis, Niuernensis et Pargamensis episcopi, Johannes Pulcripatris, et casu quo ipse Pulcripatris non poterit vacare, sit loco sui dominus Symon Freron; et referant.

Super avisamento dominorum de xij[cim], quod non audiantur advocati nec procuratores in generalibus congregacionibus, nisi petita et obtenta licencia etc., placuit avisamentum ut alias.

Domini de sacra deputacione reformatorii deliberaverunt, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus, assumpto uno de qualibet deputacione, habeat signare supplicaciones de mera gracia et [facultatem] eas refutandi, prout sibi videbitur.

Ambassiatores inclitarum nacionum Italice et Germanice, videlicet prepositus S. Seuerini et Galeacius de Mantua accesserunt ad sacram

[1] *Rainald 1434 § 18.* [2] *Mansi 30, 910. M. C. 2, 792.* [3] *Mansi 30, 865.* [4] *l. c. 29, 622.* [5] *l. c. 30, 915.*

deputacionem, requirentes quod ipsa vellet deliberare super avisamento concernente materiam sedium per ipsos oblato.

Placuit sacre deputacioni pacis avisamentum duarum nacionum etc. in forma etc.

Super avisamento placuit, quod illi qui non dixerunt vota sua, veniant deliberati cum cedulis.

Die iovis VII[a] aprilis in sacra deputacione pro communibus super requesta episcopi confirmati Lingonensis, petentis quod tres iudices quarto absente possint procedere in causa et quod unus eorum possit observare terminos etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Reverendissimus pater dominus Lugdunensis nomine ambassiatorio domini Francie regis requisivit, quod supersederetur, alias contradixit deliberacioni capiende et protestatus est, prout dare debet in scriptis.

Dominus Niuernensis protestatus est prout in cedula.

Dominus Johannes de Hungaria, quoniam rex Jacobus vocat se regem Hungarie per litteras, tamquam verus subditus domini imperatoris regis Hungarie etc. protestatus est, quod per huiusmodi nominacionem non fiat preiudicium domino suo regi etc., prout in cedula.

Super avisamento oblato per inclitas naciones Italicam et Germanicam etc., scrutatis singulariter votis tam verbo quam scriptis, fuerunt xxxv vota, quod placuit avisatum in forma, sunt xxx[ta] vota, quod pronunc supersedeatur in hac materia, est unum votum tantum, quod sicut placet dominis ambassiatoribus domini sui regis, placet sibi. Quibus scrutatis reverendissimus dominus patriarcha presidens requisitus noluit concludere a maiori parte, sed solum dixit pronunc esse supersedendum.

De huiusmodi deliberacione domini Lugdunensis et Niuernensis pecierunt instrumentum.

Super requesta domini episcopi Abrincensis provincie Rothomagensis placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super requesta fratris Petri Wichman inquisitoris heretice pravitatis in diocesibus Vladislauiensi Culmensi etc. placuit avisamentum sacre deputacionis fidei in forma.

Super supplicacione domini Bartholomei episcopi Massiliensis sacra deputacio pro communibus bis requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini electi et confirmati Lingonensis placuit et concessa est huiusmodi requesta ut petitur in forma.

Quo ad supplicacionem magistri Martini Maucourt, petentis permutari sua beneficia etc., placuit avisamentum sacre deputacionis pacis suprascriptum.

Die veneris VIII[a] aprilis M°CCCC°xxxv° in generali congregacione, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinali de Cipro Arelatensi et de Columpna et ambobus patriarchis.

Incorporati fuerunt Johannes Spasserii pro episcopo Vauriensi, Vernondus Vasi pro episcopo et capitulo Samorensi, Johannes Puschlo magister in artibus et bacalarius in decretis[a)] et Nicolaus . . prepositus S. Tiburcii.

Lecte fuerunt due littere domini ducis Alberti, quarum una erat credencialis, et exposita credencia fuit lecta supplicacio ipsius domini ducis, per quam supplicat, quod concilium mittat visitatores pro reformacione cleri et laicorum etc.

Quequidem materia remissa est ad deputaciones.

Concordata.

Super supplicacione domini Gurcensis in causa ecclesie Gurcensis, petentis mandari reverendissimis patribus dominis cardinali Arelatensi, Lugdunensi et Cretensi archiepiscopis ac episcopo Papiensi commissariis in ipsa causa, ut sentenciam diffinitivam pro parte ius habentis concipiant et in proxima congregacione generali in predicta causa Gurcensis ecclesie votum suum exprimant, ut tunc vel alias quandocunque sacro concilio videbitur sentencia diffinitiva per sacrum concilium feratur seu ferri possit etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

In causa ecclesie Lingonensis concordant omnes deputaciones, quod in absencia reverendi patris domini episcopi Parmensis alii tres domini commissarii procedere possint in causa, quodque coram reverendissimo domino cardinali Arelatensi servari possint termini usque sentenciam diffinitivam exclusive.

In causa ecclesie Massiliensis, remissa per reverendissimum dominum archiepiscopum Turonensem ad cancellariam etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali de Cipro, qui procedat et iusticiam faciat. Quarta autem, videlicet pro communibus, bis requisita non deliberavit.

In facto reformacionis kalendarii concordant omnes deputaciones, quod domini deputati habeant concludere super huiusmodi materia, tamen primo videantur per ipsos in deputacionibus.

Super supplicacione Roderici Gondisalui prioris secularis collegiate ecclesie S. Marie de Roa Oxomensis diocesis, petentis ut a quocunque

[a)] magister—decr. *von Bruneti am Rande hinzugefügt P.*

antistite ad ordinem presbiteratus promoveri possit, non obstante quod ipse prior de licencia seu auctoritate domini nostri pape Eugenii quarti in curia Romana ad diaconatus ordinem promotus existat: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Johannis de Silua militis oratoris serenissimi domini regis Castelle, petentis committi in partibus alicui notabili viro, qui auctoritate sacri concilii se informet, an aliqui ignorantes in iij° et quarto gradibus in villa sua de Cifeuentes[a] contraxerint etc., et cum ipsis dispenset etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur, non tamen approbando statutum, de quo in ipsa supplicacione fit mencio.

Super supplicacione pro parte domini Johannis episcopi Abrincensis incarcerati, petentis iudicibus in ipsa causa alias datis iterum precipi et mandari, ut sentenciam, prout inceperunt, ferant, alioquin sentencias in certo rescripto huius sacri concilii contentas incidisse declarari etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

In facto monasterii Maristelle ordinis Cisterciensis Constanciensis diocesis concordant tres deputaciones, quod admittatur et approbetur per sacrum concilium compromissum, quod facere intendunt contendentes de ipso monasterio de consensu monachorum eiusdem iuxta formam et tenorem supplicacionis in reverendissimum reverendum ac venerabilem dominos archiepiscopum Tarentinum, episcopum Paduanum presidentes et dominum Henrricum Menger decretorum doctorem canonicum Constanciensem; sed illa de fide addidit „sine preiudicio domini abbatis Cisterciensis et sui ordinis“. Quarta autem, videlicet pro communibus, requisita non deliberavit.

Super supplicacione magistri Martini Maucourt litterarum apostolicarum abreviatoris in hoc sacro concilio incorporati, petentis quod non obstante dicto abreviatorie officio beneficia sua simpliciter vel ex causa permutacionis resignare possit in manibus reverendissimi domini cardinalis S. Crucis vel archiepiscopi Turonensis vel ordinarii: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione fratris Johannis Piscatoris, qui de ordine Minorum transivit ad ordinem fratrum Heremitarum S. Augustini, petentis huiusmodi transitum seu translacionem factam per summum penitenciarium sedis apostolice per sacrum concilium approbari etc.: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

[a]) decifenentes *P.*

Super supplicacione nonnullorum nobilium et aliorum secularium usque ad numerum triginta, qui occasione guerrarum in Francia vigencium multis incendiis interfuerunt, petencium hanc materiam comitti reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii possit predictis providere et committere in partibus, concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur, ita tamen quod si constet cui satisfaciendum foret, satisfaciant, quod si non constet, in reparacionem maioris ecclesie sue diocesis convertantur, quodque deputati ab ipso domino legato tales officiales absolvant et dispensent cum eisdem iuxta formam iuris. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Supplicaciones Johannis Gwasvini et Katherine Hausschilt super dispensacione consanguinitatis in quarto gradu, Johannis Riquardi et Crisis de Wilars super iij° affinitatis gradu, Johannis Dusinch et Yngelant Grades Treverensis diocesis eciam super iij° gradu affinitatis commisse sunt per tres deputaciones reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset prout petitur. Quarta autem, videlicet de pace, bis requisita non deliberavit.

Lectis concordatis domini presidentes concluserunt iuxta concordata et deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium.

Dominus Lubicensis relacionem fecit de hiis que domini deputati in materia Johannis de Orlandis fecerunt.

Quo facto dominus Cretensis nomine inclite nacionis Italice requisivit, attento quod miles refutavit concordiam . . . .[a)]

Die sabbati IX[a] aprilis in sacra deputacione pro communibus quo ad provisionem cantorum etc. placuit, quod promotor habeat requirere dominos de Ispania, quod contribuant huiusmodi provisioni etc.

Dominus officialis Patauiensis supplicavit, quod si hec sacra deputacio aliquid deliberaverit super requesta illustris domini Alberti ducis Austrie, quod hoc fiat sine preiudicio domini episcopi Patauiensis ordinarii loci; protestans expresse, quod propter hoc non intendebat impedire deliberacionem supplicacionis ipsius domini ducis, sed illam inquantum posset promovere etc.

Placuit quod dominus patriarcha Aquilegiensis habeat rogare dominos deputatos, quod velint facere concordiam.

Quo ad concordiam domini Rodolphi episcopi Traiectensis, petentis quod iudices seu commissarii dati in causa uno absente possint procedere in causa etc., placuit avisamentum deputacionis pacis.

[a)] *etwa 3—4 Zeilen leer P.*

Quo ad requestam domini comitis de Vaudemont et eius conthoralis, petencium quod possint eligere confessorem etc., placuit et concessa est requesta ut petitur in forma.

Super requesta domini Alberti ducis Austrie, petentis dari visitatores etc., placuit requesta, ita tamen quod hoc fiat sine preiudicio ordinariorum. [a)]

Quo ad requestam cantorum placuit deputacio de fide, et deputatus est sacrista Lugdunensis.

Die dominica X[a] aprilis more solito fuit missa solemnis.

Die lune XI[a] aprilis non fuit deputacio.

Die martis XII[a] aprilis in domo domini legati ipse dominus legatus prestito prius iuramento etc. admisit ad incorporacionem dominum Henrricum Budel[b)] canonicum SS. Apostolorum Coloniensium etc., presentibus domino preposito et Alexandro cursore etc.

Eadem die in sacra deputacione pro communibus super requesta domini Alberti ducis Austrie, petentis visitatores etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui assumptis secum duabus vel tribus notabilibus personis ex singulis deputacionibus, de quibus sibi videbitur, et eciam vocatis procuratoribus domini episcopi Patauiensis et canonicorum regularium illius ducatus videant et ordinent, prout eis videbitur.

Placuit quod sacrum concilium scribat sanctissimo domino nostro pape in favorem reverendi patris domini Ludouici episcopi Lausanensis et eciam dominis cardinalibus tociens quociens fuerit opportunum.

Nota quod ab hac die usque ad diem sequentem mercurii XX[am] aprilis propter festa Paschalia non fuerunt deputaciones.

Die mercurii post Pascha mensis aprilis die XX[a] in sacra deputacione pro communibus placuit, quod domini deputati in materia pacis regni Francie conveniant hodie hora iij[a] in Augustinensibus ad avisandum de ambassiata mittenda ad dietam Attrebatensem etc.

Placuit quod hec sacra deputacio pro communibus habeat hodie et per istam ebdomadam deliberare super materia Grecorum, qua expedita intendatur sollicite ad materiam generalis reformacionis. Et ad hoc similiter faciendum ipsa sacra deputacio pro communibus exhortata est alias sacras deputaciones.

[a)] *am Rande* non placet *P.* [b)] Budeb ?

Dominus Aymericus de Harpaione obtinuit licenciam recedendi usque ad tres menses.

Die iovis XXI[a] aprilis in sacra deputacione pro communibus super materia Grecorum fuerunt scrutata aliqua vota.

Die veneris XXII[da] aprilis in sacra deputacione pro communibus super supplicacione domini Caruli de Aldemaro, petentis causam suam committi domino Galeacio de Mantua etc., placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de reformatorio et de pace.

Quo ad requestam abbatis et conventus S. Ruffi Valentinensis, concernentem prioratum de Montefauesio etc., placuit avisamentum sacre deputacionis de reformatorio.

Placuit quod die crastina post missam beati Georgii fiat generalis congregacio, in qua audiatur nuncius domini ducis Sabaudie etc.

Super requesta domini Guidonis de Potaillier militis etc., petentis absolvi a sentencia canonis etc., placuit et admissa est.

Super commissionibus signandis etc. placuit, quod in absencia domini cardinalis vicecancellarii reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis auctoritate sacri concilii habeat signare commissiones de mera iusticia et huiusmodi officium exercere eo modo, quo ipse dominus vicecancellarius exerceret, si presens in concilio interesset, quamdiu etc. sacro concilio placuerit et usquequo dictus dominus vicecancellarius ad concilium redierit.

Diebus mercurii iovis et veneris XX[a] XXI[a] et XXII[da] aprilis in sacra deputacione pro communibus super materia unionis Grecorum etc. scrutatis singulariter votis dominorum, placuit eidem sacre deputacioni pro communibus tenere et amplecti primam viam, videlicet decretum sacri concilii in sessione publica super huiusmodi materia unionis solemniter decretum, quodque fiat generalis congregacio, in qua vocentur ambassiatores Grecorum et requirantur, ut huiusmodi primam viam sive decretum velint acceptare, alioquin fiant pro parte.

Die sabbati XXIII[a] aprilis M[o]iiij[C]xxxv[o] in congregacione generali, presidentibus dominis cardinali legato, archiepiscopo Tarentino, episcopo Paduano, astantibus de Cipro Arelatensi et de Columpna cardinalibus, Antioceno Aquilegiensi patriarchis, Lugdunensi Turonensi Rothomagensi archiepiscopis, Londoniensi Aurelianensi Aquensi Vticensi Dignensi episcopis, Virziliacensi et S. Antonii abbatibus, presentibus Bloc, Morini, H[enrico] Flekel.

Reverendus pater dominus Ludouicus de Glandeues olim episcopus Venciensis nunc Massiliensis in propria persona medio iuramento in forma fuit concilio incorporatus, protestando per eum, quod non intendit renunciare incorporacioni facte per procuratorem suum nec recedere ab illa incorporacione.

Nobilis Johannes Champion scutifer, asserens se procuratorem domini ducis Sabaudie ac domini Johannis episcopi et capituli Lausanensium, presentavit supplicacionis et appellacionis instrumentum et intimavit sacro concilio et peciit apostolos et tradidit mandatum ducis Sabaudie et exhibuit domino Ludouico[a] de Palude episcopo Lausanensi dictis nominibus copiam dicte supplicacionis et appellacionis et intimavit eidem. De quibus etc.

Et dominus Ludouicus episcopus Lausanensis protestatus est de penis contentis in decretis concilii Calcedonensis.[1] Fuerunt lecte procuratorium domini ducis Sabaudie et instrumentum appellacionis. Officialis Basiliensis et H[ugo] promotores concilii pecierunt, quod doceret de mandato domini Johannis et capituli Lausanensis. Respondit, quod bene faceret fidem, tamen non exhibuit. Promotores pecierunt sentenciam esse latam per concilium ecclesiam universalem representans, a quo non est appellandum, petentes appellacionem reici etc., salvis eorum protestacionibus[b] loco ipsius deducendis.

Die martis XXVI[a] aprilis in sacra deputacione pro communibus placuit, quod in causa ecclesie Lausanensis concedantur littere executoriales et neccessarie in forma ut petitur, ita quod non comprehendatur dominus dux Sabaudie.

Quo ad supplicaciones in causa monasterii Bonecumbe per partes hincinde porrectas placuit avisamentum sacre deputacionis[c], quod committatur dominis Cretensi archiepiscopo et officiali Parisiensi iuxta avisamenta sacrarum deputacionum de reformatorio et de pace.

Quo ad primum avisamentum dominorum de xij[cim], concernens appellacionem interiectam per illustrissimum dominum ducem Sabaudie et ecclesiasticos in causa ecclesie Lausanensis etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato et quibusdam notabilibus personis de sacro concilio, qui videant de modo providendi circa huiusmodi materiam ac scribendi dicto domino duci, ipsum exhortando, quod velit desistere ab huiusmodi appellacionibus. Et videant eciam de decreto concilii Calcedonensis per sacrum concilium innovando.

[a]) Lud. *aus* Lugd. *P.* [b]) prot. *P.* [c]) *so P.*

[1] *c. XVIII des Concils von 451. Decreti pars I causa XI qu. 1 u. 21 u. 23.*

Quo ad secundum avisamentum de iudicibus eligendis etc. placuit avisamentum in forma, ita tamen quod facultas iudicum duret, quousque alii eligendi de novo in generali congregacione prestiterint iuramentum. Et ad eligendum huiusmodi iudices cum reverendissimo domino cardinali legato et presidentibus fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis, episcopus Lubicensis et abbas de Chereto et scolasticus Seguntinus.

Quo ad avisamenta reverendissimi domini cardinalis legati, super primo quod fiat die crastina mercurii generalis congregacio, in qua concludatur conclusio facta in materia Grecorum et respondeatur ambassiatori domini nostri pape et ambassiatoribus Grecorum etc.

Item placuit, quod hodie post meridiem domini deputati conveniant cum reverendissimo domino cardinali legato, et si possint concordari de responsione danda, fiat cras generalis congregacio et concludantur concordata, et si non fuerint concordes, differatur congregacio huiusmodi usque ad diem veneris proximam.

Quo ad secundum avisamentum, quod singulis diebus fiant deputaciones pro reformacione etc., placuit avisamentum, hoc adiecto quod diebus iovis audiantur supplicaciones, ut est fieri consuetum, et eciam singulis diebus veneris fiat generalis congregacio iuxta ordinaciones concilii.

Item hodie conveniant domini deputati super materia pacis regni Francie in S. Francisco.

Quo ad requestam universitatis Andegauensis, petentis quod lite pendente sine preiudicio iuris utriusque partis contendentis determinantes in facultate arcium fiant per magistros regentes, baccallarii per temptatores deputatos per facultatem, licenciati per decanum facultatis theologie et magistri per magistros ipsorum baccallariorum etc.: placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma, ut petitur.

Die mercurii XXVII[a] aprilis M°CCCC°xxxv° in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato, Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi et de Columpna, patriarcha Aquilegiensi, archiepiscopis Lugdunensi Turonensi et Rothomagensi, episcopis Lubicensi Londoniensi et Niuernensi.

Lecte fuerunt littere domini comitis Perdriaci una in favorem electi Albiensis et altera in favorem translati ad ecclesiam S. Poncii Thomeriarum.

Dominus legatus conclusit, quod hodie celebretur generalis congregacio ad respondendum Grecis etc.

Lecta fuerunt concordata in materia Grecorum, ut sequitur: In materia unionis Grecorum etc. concordant tres sacre deputaciones, quod servetur decretum huius sacri concilii super huiusmodi materia alias factum, quodque ex parte sacri concilii domini Greci, qui hic sunt,

requirantur in generali congregacione, ut velint remanere in decreto et iuramento tam solemniter factis, et mittantur ambassiatores ad imperatorem Grecorum et patriarcham Constantinopolitanum, quod velint stare in compactatis per suos ambassiatores factis et acceptatis. Ille autem de fide et de communibus addiderunt, quod mittatur ad sanctissimum dominum nostrum papam, ad suam sanctitatem per causas et raciones informandum, quare sacrum concilium non acceptavit secundam viam continentem vij articulos, quodque consensum suum et auxilium prebere velit, ut omnia deducantur ad bonum finem. Insuper illa de communibus addidit, quod in casu quo ipsi ambassiatores Grecorum non vellent acceptare huiusmodi primam viam, scribatur per sacrum concilium regibus et principibus universis, quod ipsi ambassiatores deviaverunt a promissis. In iiij^{ta} autem de reformatorio fuerunt xxxiiij vota cum aliis tribus deputacionibus, videlicet cum decreto, quod mittantur ambassiatores ad imperatorem et patriarcham Constantinopolitanum; fuerunt sex vota simpliciter in secunda via captata in Constantinopoli; et fuerunt xxx vota in secunda via cum illa addicione: salva fide et honestate ecclesie; secundum que dominus presidens ipsius deputacionis conclusit.

Dominus cardinalis legatus conclusit super dictis concordatis, ut alias.

Cui conclusioni non consenserunt domini Tarentinus et Paduanus.

De mandato sacri concilii dominus legatus respondit domino Christoforo super hiis, que nomine domini nostri alias proposuit in effectu; primo narrabat difficultatem circa primam viam acceptatam per concilium.

Secundo narrabat intencionem domini nostri pape circa huiusmodi secundam viam, iungens quod dominus noster tantum diligebat primam quam secundam, duntamen fieret unio.

Dixit, quod domini deputati fuerunt simul, tandem visum est eis, quod prima via era[t] efficacior, attento quod Greci dixerunt, quod nullomodo potest fieri ipsa unio nisi in synodo universali, et capitula portant, quod synodus, que fieret in Constantinopoli, non fieret universalis, sed solum per ecclesiam orientalem.

Responsiones ad difficultates.

De expensis pro imperatore et patriarcha conducendis ad partes occidentales etc.

Respondit dominus legatus nomine suo, quod si dominus noster et concilium convenirent eadem mente ad dictum sanctum opus, non erit difficile ad perficiendum opus huiusmodi. Et ad hoc exhortatus est sacrum concilium, ut velit sanctissimum dominum nostrum ad hoc exhortari.

Et ut sacrum concilium certificetur de voluntate imperatoris etc., concilium intendit mittere ad dominum imperatorem et patriarcham ad explorandum voluntatem eorum et exhortandum, quod velint amplecti com-

pactata etc., addiciens, quod si Greci velint amplecti primam viam, sacrum concilium adimplebit auxiliante Domino ea que promisit.

Ad Grecos.

Dominus legatus dixit, quia intencio domini nostri pape et Grecorum videtur eadem, idcirco in paucis respondebit eisdem.

Primo dixit, quod sancta synodus prosequta est huiusmodi unionem etc., quodque a principio missi sunt duo notabiles ambassiatores ad imperatorem et patriarcham, exhortando eos ut vellent mittere ad concilium suos ambassiatores.

Item quod sancta synodus inter alias causas fuit congregata propter huiusmodi unionem faciendam etc.

Item quod, postquam ipsi domini imperator et patriarcha miserunt suos ambassiatores, dicti ambassiatores cum deputatis sacri concilii certos tractatus habuerunt, ut constat per decretum.

Item postquam dissidium incepit, sunt V^{c} [a] anni, nunqua mecclesia occidentalis fecit tantum[b], sicut fecit hec synodus, et ex hoc possunt attendere Greci maximum zelum, quem habet concilium ad dictam unionem etc.

Item quod inter alia, que ambassiatores Grecorum haberent in mandatis, erat quod in hoc debebat intervenire consensus domini nostri pape, licet non esset opus, attento quod hic sunt presidentes ipsius, qui poterunt dare consensum etc. Tamen concilium ad hoc misit Symonem Freron etc.

Item quod dominus imperator et patriarcha, nescientes que facta erant hic in concilio, inierunt alias convenciones et pacta multa diversa ab his, que hic facta sunt.

Item quod concilium fecit quantum debuit, similiter dominus noster et predicti imperator et patriarca, quia nesciebant una pars quid alia fecerat. Nichilominus hoc negocium debet prosequi quelibet pars, quodque forsan huiusmodi difficultates insurrexerunt, ut negocium huiusmodi unionis magis solidetur et duret etc.

Proposuit insuper dominus legatus ambobus ultimis ambassiatoribus advenientibus ibidem, videlicet qualiter rogarunt concilium, ut vellet consentire capitulis per papam concordatis, et domini de concilio habita deliberacione recipiunt[c] primam viam etc., quodque magis expedit rei agende, quod prima via pocius mandetur execucioni, quam secunda.

Item quod hec materia conclusa fuit cum tanta maturitate per concilium, et ambassiatores cum bulla aurea iurarunt solemniter huiusmodi primam viam, et ob hoc fuit omnibus christianis principibus per concilium scriptum, adeo quod si huiusmodi viam non amplexaretur, concilium repor-

[a]) v. *P.* [b]) tn̄ *P.* [c]) recipiant *P.*

taret maximum dedecus. Et ideo pro honore sacri concilii expedit, quod concilium manuteneat suum decretum et tam solemniter decretatum etc. Et quod per istam secundam viam non esset synodus universalis. Et ne tantum bonum opus dimittatur, concilium decrevit mittere ambassiatores ad imperatorem et patriarcham, ut velint acceptare primam viam tamquam apciorem etc. Et si velint acceptare, concilium intendit exequi suum decretum usque ad consummacionem negocii etc. Item dixit, quod nuncii mittendi taliter tractabunt huiusmodi negocium cum imperatore et patriarcha, quod merito contentabuntur. Rogando ultimos venientes, ut huiusmodi primam viam velint acceptare et ad hoc inducere dominos suos Grecos etc. Item rogavit primos, ut velint instare apud dictos dominos suos[a], ut velint eandem viam acceptare, attento quod per medium eorum hoc negocium fuit conclusum.

Finaliter concilium offert se ad beneplacita domini imperatoris et patriarche et ipsorum omnium, quia merentur omnem laudem. Item recommendavit ambassiatores ituros. Et hec placuerunt quod dicta fuerint nomine sacri concilii. De huiusmodi proposicionibus et responsionibus et aliis actitatis promotores sacri concilii pecierunt a dominis prothonotariis et nobis notariis instrumentum et iustrumenta etc. Similiter Johannes Gundissalui scolasticus Seguntinus nomine regis Castelle et abbas Eboracensis nomine regis Anglie.

Dominus Christoforus respondit, quod dominus cardinalis legatus, nomine sacri concilii notabiliter respondit ad ea, propter que venerat etc.

Dixit ulterius, quod dominus noster semper in materia ista fuit indifferens. Velit Deus, quod ista res in bonam conclusionem deveniat. Dixit se velle referre omnia ista sanctissimo domino nostro, offerens se, si sacrum concilium vellet scribere eidem sanctissimo domino nostro, libenter litteras defferret, petens licenciam a sacro concilio recedendi cum benedictione Omnipotentis etc.

Dominus Emanuel dixit, quod ad ea que dixit dominus legatus nichil volebat dicere, nisi quod rogabat sacrum concilium, quod velit dare operam, quod hoc sanctissimum opus unionis suum gloriosum finem consequatur.[b] Item regraciatus est de benevola recepcione ipsius et suorum collegarum.

Dominus Johannes dixit, quod erat contentus de omnibus dictis per dominum legatum, et offerendo se et suos velle dirigere ambassiatores sacri concilii ituros etc.

Ad instanciam domini Johannis dominus legatus, exponendo ea que dixit, dixit quod Deus velit, quod huiusmodi negocium habeat fundamen-

[a]) ut—suos *wiederholt P.* [b]) consequantur *P.*

tum. Et sunt contenti de huiusmodi responsione et obtulerunt promovere [a] ambassiatores sacri concilii.

Item placuit, quod ea que dicta sunt per dominum legatum dentur eis per litteras et in scriptis etc.

Item dominus legatus dixit, quod Pruteni conqueruntur de fide imperatoris Grecorum, qui recepit duo vel tria castra, et idcirco rogant suos ambassiatores, ut dum venerint ad dominum suum imperatorem, velint laborare de restituendo unum fratrem de ordine. Item dominus legatus nomine sacri concilii exhortatus est Prutenos, quod non permittant dictos ambassiatores recipere aliquod dampnum eundo vel redeundo etc.

Quo ad bullam auream, quam petunt sibi restitui, remissa est huiusmodi materia ad deputaciones.

Dominus legatus exhortatus est sacrum concilium, ut sanctissimus dominus noster concurrat cum eodem, provideat de ambassiatoribus mittendis ad sanctitatem suam.

Item exhortatus est concilium pro reformacione facienda.

Hiis omnibus peractis quidam doctor, qui litteras credenciales comitis Perdriaci presentaverat, huiusmodi credenciam exposuit et maxime in favorem domini electi Albiensis, narrans quod ad instanciam capituli recepit ipse comes protectionem ecclesie Albiensis, assumpsit etc. Dixit quod abbas declaravit virtute litterarum apostolicarum rebellem et interdictum posuit in domo ipsius comitis, quamvis [b] ea que fecit ipse comes, fecit virtute litterarum sacri concilii. Petens quod sacrum concilium circa hoc provideret etc., irritando quecunque mandata in contrarium facta etc. et amovendo interdictum et alia, que facta sunt. Et si placet, committatur alicui vel aliquibus in partibus, quatenus pendente lite hic in concilio nichil innovetur.

Dominus episcopus Massiliensis, asserens se habere similem causam, requisivit expresse, quod fiat sibi provisio et quod decreta concilii observentur et quod concilium super hoc sanctissimo domino nostro pape scribat. Nam Mendicantes dicunt, quod illi de concilio sunt Bohemi.

Dominus procurator fiscalis requisivit sacrum concilium, quod super hoc dignaretur providere adeo, quod decreta concilii observarentur.

Die veneris XXIX[a] aprilis M[o]iiij[C]xxxv[o] in generali congregacione, presidente domino cardinali legato, aliis duobus absentibus, assistentibus cardinalibus Arelatensi et de Columpna et ambobus patriarchis.

More solito incorporati fuerunt Petrus Consolenti licenciatus in legibus canonicus beatissimi Ilarii maioris Pictauensis, Johannes Fluch,

[a]) prore *P.* [b]) quamvis quod *P.*

Guillermus Teste, Bartholomeus Alkerii, Thomas Macmachuna archidiaconus Limiricensis et Johannes ambassiator comitis Perdriaci.

Lecte fuerunt bulle domini nostri pape, per quas ipse remittit causam archiepiscopi Magdeburgensis et civium sacro concilio, de qua remissione promotores pecierunt inseri in actis concilii etc. et instrumentum ad futuram rei memoriam.

Lecte fuerunt littere domini L[udouici] ducis Bauarie et ducis Stephani eius fratris, scribencium in favorem domini Walrami postulati.

Lecte eciam fuerunt littere quorundam ecclesiasticorum in favorem domini electi S. Poncii Thomeriarum etc.

Concordata.

Super signandis commissionibus in absencia reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis vicecancellarii etc. concordant tres deputaciones, quod in absencia reverendissimi dicti domini cardinalis Rothomagensis vicecancellarii reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis auctoritate sacri concilii habeat signare commissiones de mera iusticia et huiusmodi officium exercere eo modo, quo ipse dominus vicecancellarius exerceret, si presens in concilio interesset, quamdiu tamen sacro concilio placuerit et usquequo ipse dominus vicecancellarius ad sacrum concilium redierit. Quarta autem, videlicet de reformatorio, voluit quod super hac re consulatur reverendissimus dominus cardinalis legatus, eciam prius requiratur reverendissimus dominus vicecancellarius, et medio tempore precognitores signarent commissiones.

Super supplicacione fratris Petri Wuchman sacre theologie professoris ordinis Predicatorum inquisitoris heretice pravitatis, eciam petentis certos commissarios in causa, quam habet contra fratrem Andream Phaffendorpf ordinis beate Marie Theutonicorum: concordant omnes deputaciones, quod domini abbas Bonevallis, magister Johannes Celi et magister Michael Balduini audiant et referant ut petitur. Alia tamen de reformatorio [addit] ipsis dominum Gurcensem.

Super supplicacione domini Karoli de Adelmario de Teruisio super certo contractu locacionis et conductionis etc. concordant tres deputataciones, quod committatur domino Galliacio de Mantua, qui audiat procedat et cognoscat ut petitur et iusticiam faciat. Illa de fide non deliberavit.

Super supplicacione Sifridi de Venighen canonici Spirensis, petentis certam graciam si neutri sub bulla huius sacri concilii expediri, concordant tres deputaciones, quod si constiterit de signatura sanctissimi domini nostri pape, quod huiusmodi gracia si neutri sub bulla huius sacri concilii expediatur ut petitur. De reformatorio requisita non deliberavit.

Super supplicacione Claudii Chambri domini de Pomiez et Anselme de nobili genere ex utroque parentum procreatorum, petencium[a] cum ipsis super impedimento affinitatis in quarto gradu dispensari, ut in matrimonio remanere possint etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo archiepiscopo Lugdunensi ordinario loci, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur.

Super supplicacione Thadei filii Cormaci Corkagensis diocesis et Johanne filie Dauid Fitgoiorice Limiricensis diocesis super impedimento bis duplici tercio ac duplici iiij^to^ affinitatis necnon tercio et tercio consanguinitatis gradibus, ut matrimonium contrahere possint, concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur. Quarta autem, videlicet pro communibus, requisita non deliberavit.

In causa Traiectensis ecclesie concordant tres deputaciones, quod sex iudices seu commissarii dati in causa Traiectensi, septimo omisso, videlicet domino abbate Virziliacensi, qui consensiit, procedant in causa huiusmodi ac si ipse septimus datus non fuisset. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Lectis huiusmodi concordatis et deliberacionibus sacrarum deputacionum, dominus cardinalis legatus vice et nomine sacri concilii conclusit iuxta huiusmodi concordata et deliberata trium deputacionum concorditer deliberancium; similiter super supplicacione domini Alberti Austrie.

Dominus cardinalis Arelatensis de fideliter exercendo officium vicecancellariatus non prestitit iuramentum.[b]

In causa ecclesie Gurcensis, partibus de mandato sacri concilii a generali congregacione absentibus, facta relacione aliquali in scriptis de processu agitato in huiusmodi causa per dominos commissarios, videlicet dominos cardinalem Arelatensem, archiepiscopos Lugdunensem et Cretensem et episcopum Papiensem:

Dixerunt vota sua ipsi domini commissarii in huiusmodi causa, videlicet quod per acta et probata visum est eis et videtur, quod ius in dicta ecclesia Gurcensi domino Johanni electo compeciit et competit etc.

Lectis racionibus et motivis dominorum commissariorum, votum suum subiunxerunt in hac forma: quare huius sancte synodi correctione salva videtur, quod dictus episcopatus Gurcensis spectavit et spectat domino Johanni prefato, estque dominus Laurencius condempnandus in fructibus et expensis, reservato domino archiepiscopo et Hermanno et aliis, qui non venerunt ad causam, iure agendi, quociens in forma iuris voluerint experiri.

[a]) presencium *P.* [b]) *so P, ob zu lesen* solitum prestitit iuramentum *?*

Reverendissimus dominus cardinalis legatus exhortatus est dominos de sacro concilio, ut in expedicione Grecorum vellent esse attenti et se reddere favorabiles in hoc quod per deputatos requireretur [a] etc.

Die sabbati ultima aprilis in sacra deputacione pro communibus magister Waltherus Remhugrode canonicus Tarbatensis obtinuit licenciam a domino presidente.

Quo ad supplicacionem domini generalis ordinis Predicatorum, concernentem reformacionem conventus eiusdem in Lugduno, placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad supplicacionem domini episcopi Monasteriensis, petentis fundari missam perpetuam in monasterio de Campo S. Marie ordinis Cisterciensis diocesis Monasteriensis etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui provideat supplicanti ut petitur.

Quo ad requestam nobilis Georgii de Cluso et Sibile filie nobilis Petri Fardelli, petencium dispensari in quarto consanguinitatis gradu etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur.

Quo ad requestam prepositi domus sive monasterii de Otaciis Mediolanensis ordinis Humiliatorum etc. placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de reformatorio et de pace in forma etc.

Quo ad requestam domini decani Cabilonensis, petentis reformacionem fieri etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad requestam electi monasterii S. Petri in Castello ordinis S. Benedicti Eistetensis diocesis, petentis confirmari etc., placuit quod committatur reverendissimo domino archiepiscopo Lugdunensi, qui auctoritate sacri concilii huiusmodi electionem confirmet et deffectus, si qui intervenerint in eadem, suppleat ut petitur.

Quo ad requestam Johannis Studer plebani parrochialis ecclesie oppidi Badensis Constanciensis diocesis etc. placuit, quod committatur domino episcopo Auximano, qui procedat ut petitur.

Super requesta magistri Henrrici Clant decretorum doctoris canonici Coloniensis etc. placuit, quod committatur domino archidiacono Metensi, qui procedat ut petitur.

Quo ad requestam domini translati ad ecclesiam S. Poncii Thomerierum etc. placuit, quod committatur domino episcopo Lubicensi alteri iudicum cause, ut se informet de expedicione bulle a reverendissimo domino cardinali legato, qui provideat, prout sibi videbitur.

Quo ad requestam magistri Egidii Grusineti canonici Bisuntini, petentis sibi satisfieri de pensione etc., placuit quod committatur domino

[a] requirerentur *P.*

cantori ecclesie Bisuntine et Johanni Henrrici canonicis illius ecclesie, qui providea[n]t supplicanti ut petitur.

Super supplicacione Johannis de Smerffen et aliorum, petencium confirmari fundacionem unius misse fundate in capella S. Erasmi etc., placuit avisamentum sacre deputacionis de reformatorio.

Quo ad requestam capituli S. Andree Coloniensis, petentis confirmari electionem prepositi eiusdem ecclesie etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad supplicacionem abbatis et conventus beate Marie Belle Perdrice ordinis Cisterciensis Montis Albani diocesis etc. placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad requestam Johannis Bayer et Miczne mulieris Warmaciensis diocesis, petencium dispensari, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset cum supplicantibus, prout sibi videbitur.

Domini Lugdunensis archiepiscopus et decanus Compostellanus missi fuerunt ad alias deputaciones pro materia indulgenciarum in facto Grecorum.

Quo ad distribucionem sermonum loco magistri Johannis Pulcripatris absentis fuit surrogatus magister Symon Freron.

Die lune II[a] maii in sacra deputacione pro communibus pro presidente fuit deputatus dominus episcopus Londoniensis nacionis Anglicane.

Pro duodecim domini episcopus Niuernensis, abbas de Chereto et Johannes de Hungaria continuatus.

Pro custodia clavis dominus scolasticus Seguntinus et iuravit, ut est moris.

Pro referendario fuit continuatus dominus Matheus Nithardi.

Reverendissimi domini cardinalis legatus et Arelatensis accesserunt ad deputacionem, exhortantes dominos de dicta deputacione, ut velint contribuere in pecuniis pro exequcione decreti in materia Grecorum.

Placuit quod domini deputati in materia indulgenciarum in facto Grecorum hodie post meridiem simul conveniant et concludant.

Item placuit quod ipsi domini deputati habeant facultatem eligendi ambassiatores ituros ad sanctissimum dominum nostrum papam et eciam ad dominos imperatorem et patriarcham Grecorum.

Dominus legatus proposuit bonum esse, quod pro pace et concordia facienda in ecclesia Lausanensi etc. per sacrum concilium scriberetur sanctissimo domino nostro pape, ut velit transferre ad archiepiscopatum Tarentasiensem dominum Ludouicum episcopum Lausanensem ; quod placuit. Cui deliberacioni non consensiit dominus L[udouicus] episcopus Lausanensis, ymo contradixit.

Super avisamento domini cardinalis legati de ambassiata mittenda ad dietam Francfordie placuerunt nominati per nacionem Germanicam, videlicet dominus episcopus Lubicensis, abbas de Mulbruno, H[enricus] auditor camere.

Quo ad instructiones fiendas cum domino legato fuit adiunctus dominus Niuernensis, et concludantur in generali congregacione.

Super secundo de ambassiatoribus regum et principum deinceps in arduis materiis deputandis etc. nichil est deliberatum. Placet ut habeatur advertencia et equaliter deputentur.

Placuit quod domini deputati singularum deputacionum ad eligendum iudices conveniant hodie hora iij[a] post meridiem in S. Francisco.

Super requesta domini comitis Perdriaci placuit, quod committatur dominis decano Compostellano et vicedomino Monasteriensi, qui de contentis in requesta se informent et referant.

Super requesta domini promoti Gurcensis etc. placuit, quod die mercurii fiat generalis congregacio, in qua pro dicto promoto feratur sentencia etc.

Item placuit ut supra, quod domini deputati in materia indulgenciarum conveniant, quodque dicta die mercurii in generali congregacione expediatur huiusmodi materia et concludatur.

Dominus decanus Compostellanus super presidencia domini episcopi Londoniensis nacionis Anglicane protestatus est, quod propter huiusmodi presidenciam non acceptat sub illa qualitate, quod domini Anglici debeant in concilio habere nacionem.

Dominus episcopus Londoniensis, narrans qualiter in sacris generalibus conciliis Constanciensi et Senensi habuerunt nacionem, quodque huiusmodi presidencia pronunc ad dictam nacionem pertinebat, et huiusmodi protestacioni non consensiit, ymo expresse eam reiecit, petendo instrumentum etc.

Dominus Lugdunensis, asserens quod in concilio Constanciensi per ambassiatores domini regis Francie super hoc facte fuerant protestaciones, dixit se non posse recedere ab eisdem, sed adhesit protestacioni domini decani Compostellani.

Dominus Guillermus Spreuer doctor legum Anglicus adhesit protestacioni facte per dominum episcopum Londoniensem.

Super supplicacione nobilium Guillermi de Lantrico et Bertrandi de Mirabello Albiensis et Cisterciensis[a)] diocesum, petencium dispensari super iiij[to] gradu consanguinitatis, placuit quod committatur ordinario loci, qui dictos supplicantes absolvat et cum eisdem dispenset et alia faciat ut petitur.

[a]) *so P.*

Die mercurii IIII^{ta} maii M^{o}CCCC^{o}xxxv^{o} in generali congregacione, presidente domino legato, absentibus Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinali de Cipro Arelatensi et de Columpna et ambobus patriarchis.

Super facto indulgenciarum concordant omnes deputaciones, quod concedantur indulgencie per sacrum concilium, quodque exhortetur cum omni reverencia sanctissimus dominus noster, ut pro bono tam sancti operis concurrere dignetur cum hoc sacro concilio. Et visum est dominis xij, quod domini deputati in materia Grecorum debeant convenire ad videndum modum honestum, secundum quem dictum sacrum concilium et sanctissimus dominus noster concurrere poterunt in concessione huiusmodi indulgenciarum.

Lecte fuerunt littere domini imperatoris et ambassiatorum sacri concilii existencium in Bohemia in favorem civium Piznensium.

Concordata.

Concordant omnes deputaciones, quod die mercurii iiij^{ta} maii fiat congregacio generalis, in qua feratur sentencia pro domino Johanne electo Gurcensi secundum votum dominorum commissariorum, quodque ipsi domini commissarii possint concipere huiusmodi sentenciam, iuxta deliberacionem sacre deputacionis de fide. Illa autem de pace voluit, quod commissarii in ipsa causa advocent aliquos doctores, secundum quod eis videbitur, neutri tamen parti suspectos, et declarent errores, quos pars adversa opponit in eorum relacione fuisse commissos. In processu cause huiusmodi procedant commissarii ad sentenciam in prima congregacione, secundum quod prius fuit deliberatum, quodque omnia alia expedienda in ipsa congregacione expediantur, prout in congregacione ordinaria consuetum est fieri.

Super avisamento dominorum xij^{cim} de iudicibus etc. concordant omnes sacre deputaciones in ipso avisamento cum addicione sacre deputacionis pro communibus, videlicet quod omnes et singule cause in hoc sacro concilio committende et eciam commisse nunc coram diversis iudicibus pendentes, causis ecclesiarum cathedralium et aliis maioribus dumtaxat exceptis, ad sacrum concilium advocentur et eo ipso, quod iudices xij per deputatos electi in generali congregacione iuraverint, pro advocatis habeantur, et eisdem in hiis terminis, in quibus coram premissis pendebant, committantur et debite distribuantur, demptis eciam causis, in quibus conclusum est et registra per commissarios visa et assensus parcium intervenerit sine dolo et fraude, in quibus sentenciare possunt priores iudices, de assensu tamen et consilio predictorum xij, duretque iurisdictio dictorum iudicum, usquequo alii post eos eligendi iuraverint in generali congregacione. Jurent autem sic electi iuramen-

tum prius solitum, et ultra hoc mundas habere manus neque turpe lucrum recipere neque permittere, ut notarius aut alius quicunque praticet pro habendo quippiam pro sentencia ferenda aut eciam lata, neque participare cum salariis notariorum directe vel indirecte; promittant eciam punire notarios transgressores ordinacionis sacri concilii super taxacione salariorum, quos eciam punire habeant huius sacri concilii auctoritate, eciam usque ad privacionem suorum officiorum. Jurabunt autem notarii in prima audiencia in manibus dictorum iudicum inviolabiliter servare dictam ordinacionem super taxacione salariorum sine dolo et fraude, suum fideliter exercere officium. Commissiones autem deinceps aliis quam premittitur facte irrite sint et inanes.

Ad quos xij^{cim} iudices eligendos deputati fuerunt reverendissimi ac reverendi patres patriarcha Anthiocenus, episcopus Conchensis, abbas de Vidorio, decanus Coloniensis pro deputacione reformatorii, archiepiscopus Lugdunensis, episcopus Lubicensis, abbas de Chereto et scolasticus Seguntinus pro deputacione de communibus, Aurelianensis Aquensis et Papiensis episcopi, prepositus Cracouiensis pro deputacione fidei. Quarta vero de pace addidit, quod huiusmodi domini deputati habeant potestatem limitandi clausulas in avisamento positas, et ad hoc deputavit reverendum patrem dominum prothonotarium de Ispania, archiepiscopum Cretensem, episcopum Vticensem et officialem Patauiensem.

Super primo avisamento domini cardinalis legati, quod domini episcopus Lubicensis, abbas de Mulbruno et H[enricus] Flekel auditor camere deputati per nacionem Germanicam ad eundum ad dietam dominorum electorum dominica proxima in Francfordia tenendam cum eodem robore, ac si huiusmodi deputacio oratorum facta fuisset in generali congregacione, et quod reverendissimi domini cardinalis legatus et presiden[te]s sanctissimi domini nostri pape adiunctis domino episcopo Niuernensi et . . .[a] videant de instructionibus componendis et eisdem tradendis.[b]

Item concordant omnes deputaciones in secundo avisamento ipsius domini cardinalis legati, videlicet quod ambassiatores regum et principum deputentur amodo super rebus arduis et universalibus materiis, precipue pacis.

Item in facto reformacionis capituli et canonicorum ecclesie Cabilonensis etc. concordant omnes deputaciones, quod tres aut duo ex commissariis in ipsa supplicacione nominatis, vocato domino episcopo ordinario et aliis quorum interest, hinc ad sex menses procedant ad reformacionem, eciam per censuras ecclesiasticas et usque ad suspensionem fructuum beneficiorum suorum auctoritate sacri concilii, citra tamen incarceracionem privacionem et brachium seculare. Voluit tamen illa de re-

[a]) *der zweite Name ausgefallen, ohne Lücke P.* [b]) *so P.*

formatorio, quod huic reformacioni decanus Cabilonensis et eciam excommunicati non intersint.

Super supplicacione Johannis Studer plebani parrochialis ecclesie oppidi de Baden[a] Constanciensis diocesis, petentis causam contra quendam publicum adulterum committi etc., concordant tres deputaciones, quod committatur dominis archiepiscopo Cretensi et episcopo Auximano, qui procedant ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Lectis concordatis reverendissimus dominus cardinalis legatus, ut est moris, conclusit.

Procurator domini promoti ad ecclesiam Gurcensem etc. iuxta concordata dominorum xij peciit sentenciam ferri.

Procuratores dominorum archiepiscopi Salzeburgensis, ducis Frederici Austrie et domini L[eonardi] episcopi Gurcensis pecierunt audiri etc.

Item instantibus ipsis procuratoribus lecte fuerunt protestaciones facte per eosdem procuratores archiepiscopi Salzeburgensis et ducis Austrie necnon nota incorporacionis domini L[eonardi] episcopi Gurcensis.

Pro parte sacri concilii fuit mandatum commissariis cause, ut sentenciam per eos compositam proferrent in medium.

Reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis nomine suorum collegarum in huiusmodi causa respondit ad nonnullos obiectus datos per procuratores domini L[eonardi] et inter cetera dixit, quod antequam fuisset decretatum decretum de electionibus, reservacio facta erat per dominum nostrum papam.

Item dicti procuratores predicti[b] pecierunt audiri et protestati sunt de iusticia denegata, petentes instrumentum a nobis notariis.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus dixit, quod dicti procuratores de huiusmodi audiencia non debebant conqueri, attento quod loco et tempore fuerant ad plenum auditi.

Finaliter de mandato sacri concilii per organum E[rardi] Rousselli notarii pronunciata est sentencia huiusmodi in scriptis in favorem domini promoti, de quibus ipse dominus promotus peciit instrumentum etc.

Die iovis V^ta^ maii in sacra deputacione pro communibus super supplicacione concernente reformacionem domus Predicatorum civitatis Burgensis etc. placuit et admissa est huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione reverendi patris domini episcopi Aquensis, petentis facere reconciliari ecclesias et cimiteria sue diocesis pollutas et

a) Badeñ *P.* b) *so P.*

polluta etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super supplicacione domini comitis Perdriaci, petentis relaxari interdictum etc., placuit avisamentum sacre deputacionis de fide in forma.

Pro precognitore fuit deputatus dominus decanus Compostellanus.

Super supplicacione domini episcopi Tullensis, petentis diocesim suam ac clerum et subditos sue diocesis facere visitari etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta iuxta iuris disposicionem.

Quo ad requestam prioris et conventus domus Celestinorum civitatis Ambianensis, petencium dispensari cum fratre Roberto de Masengarbe expresse professo eiusdem domus etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Quo ad requestam Johannis de Fanoseto laici et Katherine Vaterin, petencium dispensari super publice honestatis iusticia etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus, ut sibi videbitur.

Super requesta domini Willermi Vasse presbiteri Rothomagensis diocesis, petentis rehabilitari etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate concilii rehabilitet supplicantem et dispenset cum eodem ut petitur.

Super requesta Johannis de Oris Pampilonensis diocesis, petentis secum dispensari, ut non obstante deffectu natalium ad minores ordines possit promoveri etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset ut petitur.

Super supplicacione fratris Theoderici de Wamel monachi monasterii beate Marie de Zuetendael ordinis S. Benedicti Traiectensis diocesis, petentis secum dispensari super deffectu natalium etc., placuit quod remittatur ad sanctissimum dominum nostrum papam.

Super supplicacione Frederici Waelsel et Margarete eius uxoris, petencium super matrimonio contracto dispensari, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali, qui dispenset, prout sibi videbitur.

Super supplicacione Dominici Coseti clerici Tullensis diocesis, petentis rehabilitari et super irregularitate dispensari etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui rehabilitet et dispenset, ut sibi videbitur.

Super supplicacione domini electi Gurcensis, petentis quod possit eligere antistitem in hoc sacro concilio, qui sibi munus consecracionis impendat etc., placuit avisamentum sacre deputacionis de fide.

Super avisamento sacre deputacionis reformatorii, concernente supplicaciones de gracia etc., placuit ut alias, quod diebus iovis et non aliis, et quod super huiusmodi supplicacionibus sacre deputaciones deliberent.

Quo ad sex supplicaciones in iiij^to gradu, videlicet pro Theoderico laico Traiectensis diocesis, Francisco [a] Vischer Misnensis diocesis, Oliuerio Sothord Eboracensis diocesis et Johanne Reygardin etc. eiusdem diocesis, placuit quod committantur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus, ut sibi videbitur. Ludouico de Hayselbalh Coloniensis diocesis et Guillermo le Pringnent Rothomagensis diocesis.

Super supplicacione incolarum et habitatorum de Wadungton et aliarum vicinarum adiacencium a parrochiali ecclesia de Mittoiz, petencium quandam capellam in dicta villa de Wadungton erigi in ecclesiam parrochialem etc., placuit quod committatur domino archiepiscopo Eboracensi, qui vocatis vocandis procedat in huiusmodi materia, si et prout de iure.

Super requesta domini electi Albiensis, petentis deputatos, placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur. Et pro ista deputacione fuit deputatus dominus decanus Compostellanus.

Quo ad requestam domini decani Courtracensis, petentis moderari certum statutum etc., placuit quod committatur domino decano S. Donaciani Brugensis, qui vocatis vocandis procedat in hoc negocio, prout de iure.

Quo ad requestam domini Hugonis de Bellomonte preceptoris S. Anthonii etc. placuit, quod committatur domino decano Compostellano, qui de contentis in requesta se informet et referat.

Quo ad requestam mulieris excommunicate diocesis Bisuntine placuit, quod committatur officiali Bisuntino, qui dictam supplicantem et liberos absolvat, nisi aliud canonicum obsistat.

Quo ad supplicacionem curati SS. Innocencium Parisiensium placuit, quod committatur domino vicedomino Monasteriensi, qui videat et referat.

Placuit quod referendarius per diem ante diem iovis recipiat supplicaciones et faciat in capite verum summarium subsignetque propria manu et deinde faciat unum rotulum, in quo eundem faciat summarium de duabus vel tribus supplicacionibus, super quibus erit deliberandum, ut volentes deliberare possint clare videre, super quibus erit deliberandum.

Die veneris et die sabbati non fuerunt deputaciones nec congregacio generalis, obstante materia Grecorum.

Die dominica VIII^a maii fuit missa solemnis more solito.

Die lune IX^a maii in sacra deputacione pro communibus, lectis avisamentis dominorum xij concernentibus cancellariam sacri concilii etc.,

[a]) Francisci *P.*

placuerunt huiusmodi avisamenta et quod reformentur et ad reformandum et dandum ordinem, ut execucioni demandentur, necnon ad nominandum registratorem bullarum cum deputatis aliarum deputacionum fuerunt deputati domini episcopus Niuernensis, decanus Compostellanus et Johannes Leonis abreviator.

Quo ad avisamentum de advocacione dominorum legatorum sacri concilii, videlicet dominorum cardinalis S. Crucis et S. Petri ad vincula etc., placuit huiusmodi avisamentum in forma, ita quod vocentur cum omni honestate.

Quo ad avisamentum reverendissimi domini cardinalis legati, concernens materiam pacis regni Francie, placuit quod domini deputati pro huiusmodi pace assumant secum de diversis regnis in concilio existentibus quos voluerint pro ambassiatoribus eligendis et mittendis ad dietam Attrebati celebrandam, et exhortentur ipsi domini deputati, quod velint dare finem infra octo dies immediate proximos et concludant in huiusmodi negocio partibus vocatis et auditis.

Quo ad bullas concernentes quartam partem decimarum concessarum quibusdam nobilibus in lesionem ecclesiasticorum regni Hungarie, attento quod alias per concilium Constanciense remote et revocate extiterunt, placuit quod committatur domino auditori camere vel eius locumtenenti, qui se informet de huiusmodi bullis, et si que sint per hoc sacrum concilium expedite sine deliberacione sacrarum deputacionum et conclusione generalis congregacionis, illas arrestari faciat. Et ad solicitandum huiusmodi arrestum fuit deputatus magister Hugo promotor. Quodque ponantur huiusmodi bulle in cancellaria ad videndum, si fuerint debite expedite etc., et si non, reiciantur et cancellentur et puniantur illi, qui huiusmodi bullas expediverunt.

Die mercurii XI[a] maii in sacra deputacione pro communibus super requesta domini electi Maclouiensis, petentis surrogari commissarium in causa loco domini Parmensis absentis, placuit avisamentum sacre deputacionis pacis, que surrogavit dominum Raymundum.

Ad visitandum et examinandum bullas expeditas in preiudicium nonnullorum prelatorum de regno Hungarie et referendum fuit deputatus dominus Johannes Leonis doctor.

Die iovis XII[a] maii in sacra deputacione pro communibus quo ad primum avisamentum dominorum xij de deputandis ambassiatoribus mittendis pro pace regni Francie etc. placuit avisamentum ut alias, vocatis partibus et auditis.

Super secundo avisamento de instructionibus faciendis et de mittendis ad serenissimum dominum imperatorem pro protectore habendo etc., item

de salvoconductu suo renovando, in quo ponatur clausula: non obstantibus diffidacionibus per ipsum dominum imperatorem factis et fiendis; item quod ipse serenissimus imperator scribat principibus Germanie, quod vie teneantur secure pro euntibus et venientibus ad concilium etc.: placuit quod reverendissimus dominus cardinalis legatus vocet ad eum quos voluerit et provideat de instructionibus fiendis et de ceteris contentis in avisamento.

Super iij° avisamento de supplicacionibus graciam concernentibus expediendis placuit ut alias, quod in die iovis solum per sacras deputaciones expediantur, ita quod alias expedite habeantur pro infectis et inexpeditis, nisi apposita fuerit nonobstancia huiusmodi deliberacionis in signaturis etc.

Super iiij^to^ avisamento de avisandis modis honestis et efficacibus super observacione decretorum sacri concilii, inserendis in instructionibus dandis ambassiatoribus mittendis ad sanctissimum dominum nostrum papam pro facto Grecorum etc. placuit, quod dentur deputati.

Quo ad requestam reverendissimi patris domini patriarche Aquilegiensis placuit, quod requirantur domini commissarii dati in causa, ut huiusmodi suam relacionem in prima generali congregacione, si sint parati, faciant et expediant, sin autem ad hoc faciendum se preparent.

Super requesta curati de Vy in Artesyo, petentis secum dispensari super irregularitate etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset ut petitur, ita tamen quod per deputatos in materia Grecorum expediantur littere.

Quo ad requestam nobilium Stephani de Vernembo scutiferi et Ysabelis de Sabus Cabilonensis diocesis, petencium in iiij^to^ gradu dispensari etc., placuit ut supra, quod committatur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur, et expediantur littere ut supra etc.

Super supplicacione magistri Egidii Caniueti, volentis permutare capellaniam ad altare beati Pauli apostoli in ecclesia Laudunensi et petentis committi permutacionem huiusmodi domino archiepiscopo Rothomagensi, placuit et concessa est huiusmodi requesta ut petitur.

Placuit quod generalis congregacio, que cras debebat fieri, transferatur ad diem sabbati, in qua domini Greci debeant requiri et exhortari, quod confirment prima pacta etc.

Item placuit ut alias, quod domini deputati in materia Grecorum habeant facultatem nominandi personas ituras ad Constantinopolim et sanctissimum dominum nostrum papam.

Super supplicacione domini electi S. Poncii Thomeriarum, petentis surrogari aliquem loco domini episcopi Parmensis absentis etc., placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de pace et de fide.

Quo ad requestam domini episcopi Gurcensis, petentis litteras executoriales contra intrusos et intrudendos etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super supplicacione duorum doctorum religiosorum ordinis canonicorum regularium de dominio domini Alberti ducis Austrie, petencium litteras excusatorias etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma.

Quo ad requestam fratris Minoris Pictauensis diocesis, petentis remanere in ordine Minorum, qui sine licencia sui abbatis transivit ad ordinem Minorum etc., placuit quod committatur domino legato, qui dispenset secundum quod sibi videbitur.

In materia bullarum expeditarum in preiudicium prelatorum regni Hungarie etc. missus fuit ex parte sacre deputacionis ad dominum cardinalem legatum pro bullis habendis.

Placuit supplicacio pueri de Punis, alias instante domino abbate de Verona signata.

Die veneris XIII[a] maii in sacra deputacione pro communibus missi sunt ad alias deputaciones domini Johannes doctor de Hungaria et S[ymon] Freron, ut velint manutenere ordinem sacri concilii conclusum in generali congregacione super materia iudicum.

Dominus Ysidorus et dominus Rasso missi sunt ad alias deputaciones super avisamento concernente materiam pacis regni Francie etc., qui retulerunt, deputacionem de reformatorio se conformasse deputacioni pro communibus.

Ad ostendendum in generali congregacione motiva, propter que non debet mutari conclusio capta in generali congregacione in materia iudicum etc., fuit deputatus dominus decanus Compostellanus.

Die sabbati XIIII[a] maii M[o]CCCC[o]xxxv[o] in generali congregacione, presidente domino legato, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro Arelatensi et de Columpna et duobus patriarchis.

More solito fuerunt incorporati domini Johannes Didaci abbas de Ceruatos ut procurator abbatis S. Emiliani, Garsie Fernandi et Johannis Martini de Frias canonicorum ecclesie Burgensis, Johannes Pollart magister in artibus et baccallarius in decretis cantor et canonicus S. Andree Coloniensis pro se ipso et episcopo Plocensi, Marcus Milo nomine proprio et cleri Astensis, abbas monasterii . . . ordinis Premonstratensis, frater Barduinus Sansonis ordinis Carmelitarum magister in theologia, magister Johannes Costin licenciatus in decretis, Petrus Albi presbiter secularis de Gleuaco, Hermannus Leder notarius, frater . . . ordinis S. Anthonii pro abbate S. Anthonii.

Lecte fuerunt littere domini ducis Sabaudie in preiudicium et lesionem honoris domini Ludouici episcopi Lausanensis et contra honorem promotorum sacri concilii et procuratoris fiscalis.

Dominus Lausanensis se excusavit ibidem, requirendo sacrum concilium, ut de veritate gestorum et contentorum in litteris scriberet domino duci veritatem.

Promotores et procurator fiscalis se similiter excusarunt.

Quibus instantibus placuit et fuit conclusum, quod sacrum concilium scribat litteras sub bulla sacri concilii domino duci Sabaudie pro excusacione predictorum etc. Et pro litteris componendis fuit deputatus dominus legatus.

Item placuit, quod deliberetur in deputacionibus super punicione illorum, qui talia mendacia de sacro concilio et suppositis eiusdem referunt in lesionem concilii.

Presentibus Grecis.

Dominus legatus dixit, quod pridie audiverant ea, que in generali congregacione[a] dicta fuerant, et idcirco ea repetere opus non erat.

Dixit quod sacrum concilium desiderat finem istius sancti operis, videlicet unionis Grecorum, nec permansit per sacrum concilium nec manebit, quominus pactata suum conseqantur effectum. Narravit diligencias per sacrum concilium in hoc negocio adhibitas et specialiter oblacionem factam per concilium de pecuniis paratis etc.

Narravit eciam ea, que facta sunt per dominos[b] Emanuelem super secunda via, que per sacrum concilium minime acceptata est. Deinde iuxta mandatum domini imperatoris fuerunt contenti de prima via etc. Dixit quod usquequo fuerit concilium certificatum per ambassiatores suos de voluntate domini imperatoris, non erit securum concilium. Item requisivit, quod vellent dimittere litteram in papiro, quam portavit dominus Emanuel.

Dixit quod sacrum concilium nominabit ambassiatores ituros ad Greciam et dominum nostrum papam.

Item dixit quod illa octo milia sunt parata pro execucione decreti sacri concilii.

Item quod per ambassiatores sacri concilii ipsum concilium certificabitur de intencione imperatoris.

Item rogavit Grecos, ut dum venerint Constantinopolim, velint promovere huiusmodi sanctum negocium.

Responsio Grecorum per Johannem Dissipatum.

Dixit quod peticiones et requeste sacri concilii sunt sancte et honeste. Item dixit quod voluntatem dominorum imperatoris et Grecorum scit concilium per litteras scriptas concilio. Dixit quod concilium uni-

[a]) *wiederholt P.* [b]) *so P.*

versale fieret in Constantinopoli, si fieri posset, quia iste modus esset possibilior ecclesie latine; nam tot labores et expensas non faceret. Dixit quod in casu quo concilium fieret in Constantinopoli, ecclesia latina non haberet expensas, quodque imperator ministraret domos et alia neccessaria; et ista erat intencio Grecorum. Item dixit, quod attento quod hoc non potuit fieri, habuerunt in mandatis hoc quod fecerunt et acceptarunt primam viam etc. Et postquam dominus noster miserat suum ambassiatorem ad Greciam et erat contentus, ita quod fieret de assensu concilii, et pro ista causa fuerunt missi domini Emanuel ad dominum nostrum et sacrum concilium. Et casu quo non fieret in Constantinopoli, nichilominus erat contentus, prout conclusum est in decreto etc., prout constat per litteras missas ipsis ambassiatoribus. Dixit, quod propter hoc quod dominus imperator et patriarcha[a] erunt contenti de prima via conclusa et habebit plenum complementum et execucionem etc. Dixit quod per sacrum concilium nec per eos stetit, quodque domini ambassiatores concilii ituri ad Grecos disponent cum Grecis de tempore. Dixerunt quod audiverunt ab imperatore et patriarcha, quod quando imperator et patriarcha miserunt eos apud dominum nostrum pro concludendo ea que facta erant in Constantinopoli, addidit, quod si papa et concilium sint contenti de concilio celebrando in Constantinopoli, laudabunt Deum etc. Item dixerunt, quod si summus pontifex non haberet consensum concilii quodque papa postea vellet, quod fieret apud eum, patriarcha dixit, quod non vellet venire contra primam promissionem. Dixerunt, quod si concilium non consenserit cum domino nostro, patriarcha dixit, quod vellet tenere illud, quod est promissum per eos primos ambassiatores. Dixit quod rogabant dominos de concilio, ut sicut vident dominos imperatorem et patriarcham habere voluntatem in huiusmodi sancto negocio, ipsi domini de sacro concilio vellent dare omnem operam, ut prima via suum consequeretur effectum. Dixerunt de littera, in qua cavebatur, quod si videatur dominis de concilio, quod debeat remanere penes concilium, facient quicquid voluerit concilium.

Concordata.

Super avisamentis domini legati et dominorum xij de pace regni Francie concordant omnes deputaciones, quod domini deputati pro huiusmodi pace assumant secum quos voluerint de diversis regnis in hoc sacro concilio presentes pro ambassiatoribus eligendis et mittendis ad dietam Attrebati celebrandam, exhortenturque ipsi domini deputati, quod velint dare finem infra viij dies immediate proximos et concludant in huiusmodi negocio partibus vocatis et auditis. Illa vero de fide addit „de consensu parcium.“

[a]) patriarche *P.*

Precognitores.

Episcopus Vticensis pro deputacione pacis.

Episcopus Aquensis pro deputacione fidei.

Decanus Compostellanus pro communibus.

Vicarius Frinsingensis pro reformatorio.

Concordant omnes deputaciones, quod congregacio generalis, que debet fieri die veneris, fiat die sabbati, in qua domini Greci deberent requiri et exhortari, quod confirment prima acta.

Super avisamentis domini legati concordant omnes deputaciones, quod ambassiatores sacri concilii vadant simul cum ambassiatoribus Grecis, et quod ipsi domini deputati habeant facultatem nominandi personas ituras Constantinopolim et ad sanctissimum dominum nostrum papam.

Super requesta domini Pauli episcopi Burgensis super reformacione conventus fratrum Predicatorum civitatis Burgensis concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii provideat, ut iuxta ordinacionem generalis et constituciones ac statuta eiusdem ordinis ipse conventus reformetur.

Super supplicacione domini Bartholomei generalis magistri ordinis Predicatorum super approbacione reformacionis domus dicti ordinis in Lugduno concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui super contentis in ipsa supplicacione se informet statutaque et informaciones et[a)] in litteris, de quibus in supplicacione, contenta, quantum reformacioni et regulari observancie conveniunt, auctoritate sancte synodi approbet et confirmet ac eciam exequatur seu exequi mandet sub penis et censuris et iuris mediis, prout pro illorum firma subsistencia noverit expedire, necnon quibuscunque in genere vel in specie inhibeat vel inhiberi faciat, ne contra statuta ordinaciones et contenta huiusmodi attemptent quovismodo etc.

Super supplicacione pro parte facultatis arcium in universitate Andegauensi, petentis quod, lite pendente inter scolasticum et decanum ecclesie beati Johannis Baptiste in eadem civitate super potestate et auctoritate conferendi gradus in eadem facultate arcium, determinantes in eadem facultate fiant per magistros regentes, baccalarii per temptatores deputatos per facultatem, licenciati per decanum facultatis theologie et magistri per magistros ipsorum baccallariorum: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione fratris Prothasii de Riuola prepositi Theotasiis Mediolani ordinis Humiliatorum super locacione perpetua cuiusdam domus dicti monasterii coherentis etc. concordant omnes deputaciones, quod committatur domino Rodolpho Rudesheim decretorum doctori canonico Wor-

[a)] ut *P.*

maciensi, qui constito de altero narratorum, quod per se sufficiat, procedat ut petitur.

In causa ecclesie Lausanensis concordant omnes deputaciones, quod decernantur littere executoriales neccessarie eciam cum brachii secularis invocacione et per edictum publicum, si opus fuerit, quacunque frivola perniciosa et scandalosa appellacione interiecta non obstante, quodque sacrum concilium scribat litteras favorabiles sanctissimo domino nostro pape et dominis cardinalibus in favorem reverendi patris domini Ludouici episcopi Lausanensis tot quot fuerit opportunum.

Super supplicacione abbatis et conventus monasterii beate Marie Bellepertice Cisterciensis ordinis Montisalbani diocesis, petentis incorporacionem unionem et annexacionem prioratus monialium S. Aniani ordinis S. Benedicti dicte diocesis, per sanctissimum dominum nostrum papam modernum factam, auctoritate universalis ecclesie confirmari cum supplecione deffectuum etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Wimarii Gruter legum doctoris prepositi electi et confirmati ecclesie S. Andree Coloniensis, petentis electionem et confirmacionem ac assecucionem possessionis huiusmodi auctoritate sacri concilii cum supplecione deffectuum etc. confirmari et approbari: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, commisit reverendissimo domino cardinali legato, qui vocatis vocandis confirmet et suppleat deffectus, prout sibi videbitur.

Super supplicacione pro parte domini Bernardi de Armanhaco comitis Perdriaci, petentis [declarari] processum executorialem domini abbatis Imperiaci, interdictum etc. cassa nulla et irrita fuisse et esse ac neminem ligare posse etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio ut petitur, et quod defendantur et confirmentur decreta sacri concilii et requiratur ex parte eiusdem dominus noster papa, ut cum sacro concilio concurrat; addito per illam de reformatorio, quod deputentur aliqui in partibus, qui habeant facultatem dispensandi cum religiosis, qui interdictum non servaverunt, si eorum mater ecclesia ipsum servabat.

Super supplicacione Guillermi Vasse presbiteri parrochialis ecclesie S. Thome de Loyslire Rothomagensis diocesis, ad causam certe fideiussionis excommunicati, petentis secum super irregularitate dispensari, quam forsan divinis se immiscendo incurrerit, ipsumque absolvi et rehabilitari etc.: concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, admisit supplicacionem in forma, satisfacto parti etc.

Super supplicacione certorum habitatorum ville in Steinhach Brixinensis diocesis, petencium missam perpetuam per ipsos fundatam singulis diebus, certis festivitatibus exceptis, in capella S. Erasmi in Steinhach celebrandam etc., unacum insercione littere desuper confecte auctoritate sacri concilii cum supplecione deffectuum confirmari: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione nobilium Georgii de Cluso et Sibilie filie Petri Fardelli diocesis Gracionopolitane, petencium cum ipsis super impedimento consanguinitatis in quarto gradu dispensari etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur.

Ad idem super supplicacione nobilium Guillermi de Lantrico et Betrande de Mirabello Albiensis et Castrensis diocesum, super quarto affinitatis gradu.

Ad idem super supplicacione Francisci Visscher et Barbare Colorin coniugum Misnensis diocesis super iiij^{to} affinitatis gradu.

Ad idem super supplicacione Johannis le Requeis et Thomine filie Johannis de Vatremer coniugum Constanciensis diocesis super cognacione spirituali.

Ad idem super supplicacione Johannis Clerici et Maliengoswin[a] coniugum Traiectensis diocesis super quarto consanguinitatis gradu.

Ad idem super supplicacione Ludouici Hayselbach et Deymonde de Hayselbach coniugum Coloniensis diocesis etc., super quarto consanguinitatis gradu.

Super supplicacione domini Gurcensis, petentis sibi munus consecracionis per quemcunque antistitem Basilee constitutum impendi, quodque beneficia ecclesiastica, que obtinet, donec possessionem pacificam regiminis et administracionis bonorum ecclesie sue fuerit assequtus, retinere valeat: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur, dum tamen die debito. Quarta autem, videlicet de reformatorio, simpliciter eam admisit.

Similiter super alia supplicacione eiusdem, petentis sentenciam in causa ecclesie sue nuper latam contra intrusos et intrudendos cum aggravacione processuum et invocacione brachii secularis, eciam per edictum exequi, ut in forma, concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione reverendi patris domini episcopi Aquensis, petentis ut ecclesias et cimiteria sue diocesis pollutas et polluta, dum

[a]) *so P, lies* Marie filie Goswini *?*

casus pollucionis occurrerit, per sacordotem ydoneum possit facere reconciliari: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur; addito per illam de pace, quod non recipiat procuraciones integras, sed solum pro victu.

Super supplicacione magistri Egidii Caniueti subdiaconi capellanie perpetue fundate ad altare beati Pauli apostoli in ecclesia Laudunensi, petentis reverendissimo domino archiepiscopo Rothomagensi concedi facultatem recipiendi in manibus suis auctoritate huius sacri concilii resignacionem dicte capellanie ipsamque alicui persone ydonee conferendi etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione magistri Egidii Grusingneti licenciati in theologia canonici Bisuntini, petentis committi duobus canonicis capituli Bisuntini, quatenus de contentis in ipsa supplicacione, videlicet pensione ducentorum florenorum etc., se informent, et si ipsa repererint fore vera, auctoritate huius sacri concilii faciant dictam pensionem eidem magistro Egidio persolvi: concordant omnes deputaciones, quod committatur dominis cantori et Johanni Henrrici canonicis ecclesie Bisuntine, qui prouideant supplicanti ut petitur.

Super supplicacione Johannis de Torculari presbiteri canonici Remensis, petentis secum super irregularitate dispensari etc., concordant tres deputaciones, quod committatur preposito ecclesie Remensis aut alteri canonico eiusdem in dignitate constituto, qui constito de assertis absolvat supplicantem et cum eodem dispenset ut petitur. Quarta autem, videlicet de pace, commisit reverendissimo domino cardinali legato.

Super supplicacione domini Henrrici Clant decretorum doctoris canonici ecclesie Coloniensis, petentis ut cause in hoc sacro concilio pendentes inter ipsum et capitulum dicte ecclesie advocentur et archidiacono Metensi committantur etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur in forma ut petitur. Quarta, videlicet de pace, pluries requisita non deliberavit.

Super supplicacione Tholomanni Nuembergensis et Martini in Walthusen monasteriorum S. Augustini canonicorum regularium, petencium domino Alberto duci Austrie litteras excusatorias et commendatorias per hoc sacrum concilium scribi etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

In causa ecclesie Albiensis concordant omnes deputaciones et admissa fuit supplicacio domini electi et dati commissarii reverendi patres domini episcopus Aquensis pro deputacione fidei, archiepiscopus Rothomagensis pro deputacione pacis, episcopus Albinganensis pro deputacione

reformatorii et decanus Compostellanus pro deputacione pro communibus, qui audiant referant etc. ut petitur.

In causa S. Poncii Thomeriarum super supplicacione domini electi concordant tres deputaciones, quod loco domini episcopi Parmensis absentis surrogetur dominus Stephanus Plouerii auditor reverendissimi domini cardinalis Arelatensis. Quarta autem, videlicet de reformatorio, bis requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini episcopi Sambiensis, petentis sibi indulgeri, ut ecclesie parrochiales vacantes in sua diocesi non conferantur nisi personis ydoneis, intelligibiliter loquentibus ydioma parrochianorum illarum ecclesiarum: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super alio avisamento dominorum xij de scribendo serenessimo domino imperatori pro salvoconductu et protectore etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui vocatis secum, de quibus sibi visum fuerit, provideat iuxta avisamentum.

Super supplicacione Johannis de Orio Pampilonensis diocesis, petentis secum super deffectu natalium dispensari, concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicante dispenset ut petitur.

Super supplicacione Dominici Coseti clerici Tullensis diocesis, petentis cum eo super irregularitate excommunicacione infamia etc., quam si forsan incurrisset quendam incarceratum in urbe Romana dudum tempore nocturno liberando et extra urbem liber[t]ati restituendo incurrisset, dispensari: concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii rehabilitet et dispenset, prout sibi videbitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

In causa patriarchatus Aquilegiensis concordant omnes deputaciones, quod domini commissarii in ipsa causa alias dati relacionem suam faciant in proxima generali congregacione, si parati fuerint; si non, preparent se. Quam fieri voluit sacra deputacio reformatorii iuxta commissionem ipsis factam. Quarta autem, videlicet de pace addit „et utrum excepciones date per dominos Venetos sint admissibiles et relevande vel non, sinautem in prima congregacione.“

Lectis huiusmodi concordatis suprascriptis, dominus cardinalis legatus ut alias conclusit, aliis dominis presidentibus tunc absentibus.

Quo ad ambassiatam mittendam ad dominum nostrum papam fuerunt nominati domini Matheus Mainage et Johannes doctor de Hungaria.

Quo ad ambassiatam mittendam ad Grecos fuerunt nominati frater Johannes de Ragusio, Symon Freron canonicus Aurelianensis et dominus H[enricus] Menger canonicus Thuricensis.

Quiquidem ambassiatores placuerunt et de fideliter et diligenter exercendo huiusmodi ambassiatam solitum prestiterunt iuramentum.

De hiis que superius facta sunt a dominis prothonotariis et nobis notariis pecierunt instrumentum et instrumenta, presentibus dominis patriarchis duobus, archiepiscopis Lugdunensi et Turonensi, episcopis Niuernensi Albinganensi, officiali Parisiensi, vicario Frinsingensi, decano Compostellano.

Dissoluta congregacione ante maius altare domini prefati precognitores, ut moris est, in manibus reverendissimi domini cardinalis legati solitum prestiterunt iuramentum, de quibus H[ugo] promotor peciit instrumentum etc.

Ab hac die sabbati XIIII[a] usque ad diem sabbati XXI[am] maii exclusive non fuerunt deputaciones.

Die veneris XX[a] maii M°CCCC°xxxv° in generali congregacione, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinali[bus] de Cipro Arelatensi et de Columpna et duobus patriarchis.

Incorporati fuerunt Gaspar Emenouise pro certis monasteriis canonicorum regularium pro diocesi Salzeburgensi et decanus Nancie diocesis Gebennensis.

Concordata.

In causa S. Poncii Thomeriarum concordant omnes deputaciones, quod loco domini N[icolai] decani Confluencie absentis surrogetur reverendus pater dominus episcopus Papiensis. Addit illa de communibus „usque ad dicti domini decani regressum.“

Super supplicacione nobilium Stephani de Vertembo et Ysabellis de Sabuz Cabilonensis diocesis, petencium cum ipsis super impedimento affinitatis in quarto gradu dispensari, ut contrahere possint etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Lectis concordatis domini presidentes per organum domini legati conclusernnt. Sed super quodam alio concernente preceptoriam in Ristorf Maguntinensis diocesis ordinis S. Antonii, licet fuerit lectum, nichil tamen super eodem fuit conclusum, ymo placuit quod dominus decanus Compostellanus faciat relacionem in prima deputacione de communibus etc., et interim domini vicecancellarius et precognitores supersedeant in negocio huiusmodi.

Dominus episcopus Niuernensis pro et nomine domini ducis Burgundie exhortatus est dominos de sacro concilio ad pacem Francie, requirens ut incepta ad finem concupitum deducantur. Inter cetera dixit, se habere in mandatis a domino, ut omnibus petentibus habere salvum conductum illum dare habeat.

Dominus legatus regraciatus est domino duci in personis suorum ambassiatorum.

Domini deputati in materia pacis regni Francie ambassiatores ituros ad dietam Attrebati celebrandam nominaverunt, videlicet reverendissimos dominos cardinales de Cipro et S. Crucis tanquam legatos sacri concilii, Vexionensem Albinganensem episcopos, dominos Nicolaum prepositum Cracouiensem et archidiaconum Metensem, quiquidem domini fuerunt pronunciati per reverendissimum dominum cardinalem legatum, qui omnes placuerunt.

Domini ambassiatores domini K[aroli] regis Francie non contradixerunt, ymo se humiliarunt ad voluntatem sacri concilii, supplicantes ut electi velint taliter laborare, quod finis optatus consequatur.

Placuit quod in primis deputacionibus deliberetur de deputandis ad componendum litteras mandata et instructiones dandas ambassiatoribus mittendis pro pace regni Francie.

Dominus cardinalis legatus duo narravit: primum quod quelibet pars habeat nominare unum ambassiatorem, qui transire debeant cum dominis deputatis et habeant eandem facultatem auctoritate concilii; et quod deputaciones deliberent dare plenam potestatem deputatis conficiendi mandata et instructiones.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus et presidens in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti auctoritate et nomine sacri concilii pronunciavit supradictos dominos cardinales legatos sacri concilii et alios ambassiatores ituros ad dietam Attrebatensem.

Quiquidem domini sic pronunciati iuraverunt fideliter et diligenter laborare pro consummacione huiusmodi sacri operis pacis etc.

Domini promotores et Niuernensis episcopus de premissis pecierunt instrumentum etc.

Placuit quod domini deputati super materia semidecime conveniant et videant de modo reperiendi pecunias pro expensis dominorum legatorum et ambassiatorum.

Dominus cardinalis legatus excusavit et dedit testimonium de fidelitate domini Francisci de la Cruce super aliis sibi impositis, videlicet de expedicione bullarum.

Licenciatus, qui prosequitur materiam domini electi Maclouiensis, habuit audienciam, in qua notavit dominum archiepiscopum Turonensem.

Ipse dominus archiepiscopus Turonensis respondit ad puncta iiij^{or} proposita contra eum.

Dissoluta generali congregacione, instante domino vicario Cluniacensi, reverendissimus dominus cardinalis legatus admisit in scriptorem litterarum sacri concilii Petrum Martelli baccallarium in legibus clericum Viennensis diocesis, qui de fideliter huiusmodi officium exercendo in manibus eiusdem domini cardinalis legati solitum prestitit iuramentum.

Die sabbati XXI^{a} maii in sacra deputacione pro communibus loco domini S[ymonis] Freron pro distribuendis sermonibus fuit deputatus magister Thomas Francisci.

Ad examinandum causas excusacionum dominorum vocatorum ad concilium loco dominorum Johannis Pulcripatris, provincialis Anglie ordinis Carmelitarum et Hernesti fuerunt deputati G[uido] de Versellis, M[atheus] Nithardi et Johannes doctor de Anglia.

Super supplicacione provisi monasterii Maristelle placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de reformatorio et de pace.

In causa ecclesie Albiensis loco domini episcopi Albinganensis commissarii in eadem causa, transire debentis ad dietam Attrebatensem, fuit surrogatus dominus vicarius Frinsingensis.

Quo ad supplicacionem domini archidiaconi Metensis, petentis quod in causa cuiusdam sui consanguinei supersedeatur usque ad eius reditum et quod loco sui per dominum vicecancellarium surrogetur unus iudex per eum nominandus, cora[m] quo notarii sui habeant scribere etc.: placuit huiusmodi supplicacio in forma, ita tamen quod si iudex sit suspectus in aliqua causa, alius loco sui surrogetur.

Quo ad relacionem faciendam in causa patriarchatus Apuilegiensis placuit, quod exhortentur domini commissarii in causa, quod disponant se ad huiusmodi relacionem faciendam ante recessum reverendissimi domini cardinalis de Cipro, et quando erunt ipsi domini parati ad huiusmodi relacionem, significent reverendissimis dominis presidentibus, ut habeant indicere ob hoc generalem congregacionem.

Quo ad factum bullarum expeditarum in preiudicium prelatorum regni Hungarie placuit, quod committatur domino auditori camere sacri concilii seu eius locumtenenti, qui habeat presbiterum solicitatorem easdem bullas, abreviatorem scriptores et alios de quibus sibi videbitur evocare et de et super earum expedicione se informare cum potestate easdem bullas, [si] exhorbitantes reperiantur, cassandi et anullandi ac delinquentes in earum expedicione puniendi. Et ad prosequendum huiusmodi materiam fuit deputatus procurator fiscalis. Et huiusmodi bulle tradantur domino auditori vel eius locumtenenti, eciam cum originalibus.

Super supplicacione abbatisse et conventus monasterii in Sbogh ordinis Cisterciensis Upsalensis diocesis placuerunt avisamenta sacrarum deputacionum de reformatorio et de fide in forma, dempta clausula ubi dicitur „decernentes eas“.

Quo ad requestam domini abbatis S. Anthonii Viennensis, concernentem preceptoriam S. Antonii in Rostorg Maguntine diocesis etc., placuit quod huiusmodi causa advocetur de curia Romana ad sacrum concilium et committatur alicui ex iudicibus, qui vocatis partibus iusticiam faciat.

Quo ad instructiones componendas et litteras dandas dominis legatis ituris ad dietam Attrebatensem pro pace regni Francie etc. placuit, quod detur facultas dominis deputatis componendi huiusmodi instructiones et litteras et mandata cum potestate concludendi de consensu parcium.

Quo ad requestam domini Ludouici episcopi Massiliensis etc. placuerunt avisamenta de fide et de pace in forma.

Die veneris XXVII[a] maii M°CCCC°xxxv° in generali congregacione, presidentibus in eadem dominis cardinali[a)] legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro Arelatensi et de Columpna, presentibus duobus patriarchis.

Incorporatus fuit Johannes de Lisura decretorum doctor.

Lecte fuerunt littere domini K[aroli] regis Francie in favorem domini translati ad ecclesiam S. Poncii Thomeriarum.

Item lecte fuerunt littere dominorum archiepiscoporum Coloniensis et Maguntini et cleri Maguntini, concernentes conservacionem decreti de electionibus.

Lecta fuit requesta concernens protestacionem per ambassiatores serenissimi domini regis Castelle super materia sedium etc., petendo a nobis notariis instrumentum.

Reverendus pater dominus episcopus Londoniensis, asserens huiusmodi protestacionem non esse iustam etc., eidem contradixit et eam nomine ambassiatorio reiecit etc., non recedendo a protestacionibus alias per eum et suos collegas factis etc. De quibus etc.

Item quia dominus Londoniensis tetigit dominum patriarcham non potuisse concludere, attenta conclusione facta per dominum cardinalem legatum etc., ipse dominus patriarcha dixit, se conclusisse iuxta ordinaciones concilii etc.

Item dixit dominus Londoniensis, quod huiusmodi conclusio facta fuerat per dominum patriarcham in occulto et dissoluta congregacione.

[a)] cardinalibus *P.*

Item dixit ulterius, quod promotores deberent petere, quod huiusmodi conclusio per sacrum concilium decerneretur nulla etc., petens instrumentum.

Dominus episcopus Lubicensis et H[enricus] auditor de gestis per eos nomine sacri concilii in dieta nuper per dominos electores imperii et alios celebrata suam ad plenum fecerunt relacionem, dividendo dictam relacionem in quinque partes.

Dominus cardinalis legatus regraciatus est nomine concilii dominis ambassiatoribus de laboribus etc.

Die sabbati XXVIII[a] maii non fuit deputacio.

Die dominica XXIX[a] fuit missa solemnis more solito.

Die lune penultima maii M° etc. xxxv in sacra deputacione pro communibus super requesta domini Bernardi de[a)] Pfeffingen et Mente nobilis etc., petencium dispensari super iij° gradu etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur, ita tamen quod littere per dominos deputatos in materia Grecorum expediantur.

Dominus scolasticus Seguntinus, attento quod ambassiatores serenissimi regis Castelle non erant presentes, requisivit quod super materia sedium nichil innovaretur, alias protestatus est etc., de quibus etc.

Placuit quod in causis concernentibus dominos ituros ad dietam pro pace Francie et eorum familiares supersedeatur usque ad eorum regressum et committatur domino patriarche Antiocheno, qui procedat ut petitur.

Super materia annatarum etc., nemine contradicente, dempto domino Londoniensi episcopo, qui pro nonnullis diocesibus regni Anglie se opposuit conclusioni, placuit ut sequitur: Statuit sancta synodus, quod nec in curia Romana nec alibi pro confirmacione dignitatum aut collacione beneficiorum vel sacrorum ordinum quicquam solvatur ante vel post nec racione annatarum nec bulle seu sigilli aut portu[u]m vel deportu[u]m seu quocunque alio titulo vel colore directe vel indirecte nec racione cuiuscunque consuetudinis, solum solito competenti salario notariis et scriptoribus [persolvendo].

Dominus Londoniensis se opposuit huic deliberacioni nomine aliquarum diocesum de Anglia, petens instrumentum etc.

Reverendus pater dominus episcopus Bellicensis pro se et suis familiaribus obtinuit licenciam recedendi a reverendissimo domino cardinali legato et domino Londoniensi presidente deputacionis pro communibus.

a) de in *P.*

Ad idem pro domino Johanne Grossi, prout michi constitit per cedulam supradictorum dominorum signatam.

Item placuit quod hac ebdomada fiat sessio iuxta avisamentum sacre deputacionis reformatorii, in qua pronuncientur decreta de causis, de pacificis possessoribus, de cultu divino etc.

Die martis ultima maii in sacra deputacione pro communibus super requesta domini cardinalis de Columpna, petentis quod scribatur sanctissimo domino nostro pape, quod mandet omnibus impedientibus eum, ut remaneat pacificus etc., placuit quod committatur reverendissimis dominis cardinalibus et presidentibus iuxta avisamenta aliarum trium deputacionum.

Domini episcopi Londoniensis et Aquensis, abbas Eboracensis et miles ordinis S. Johannis ambassiatores domini regis Anglie accesserunt ad sacram deputacionem pro communibus unacum domino S[ymone] de Theramo et ad proposita et data in scriptis per dominos ambassiatores serenissimi domini regis Castelle quandam cedulam in scriptis continentem duo folia obtulerunt.

Statuit sancta synodus, quod nec in curia Romana nec alibi pro confirmacione electionum seu presentacionum, provisione collacione electione presentacione institucione de quibuscunque ecclesiis, eciam metropolitanis, dignitatibus beneficiis officiis ordinibusque ecclesiasticis de cetero quicquam penitus ante vel post solvatur racione bulle vel sigilli, annatarum, communium et minutorum serviciorum, portuum deportuum retribucionis aut quocunque alio titulo vel nomine, pretextu cuiusvis consuetudinis aut alia quavis causa vel occasione, directe vel indirecte, solum scriptoribus et registratoribus litterarum seu minutarum pro ipsorum labore competenti salario persolvendo etc.

Super materia annatarum etc. scrutatis singulariter votis dominorum placuerunt forma et avisamentum in forma suprascriptum, ita tamen quod addantur pene.

In causa ecclesie Maclouiensis loco domini episcopi Vexionensis recedere debentis fuit surrogatus dominus episcopus Lubicensis cum potestate simili alias ipsi domino Vexionensi attributa.

Placuit quod ista ebdomada fiat sessio publica, in qua pronuncientur decreta de causis, de pacificis possessoribus, de intrusis et cultu divino etc., iuxta avisamentum sacre deputacionis de reformatorio.

Super cedula oblata per dominos Anglicos, lecta huismodi cedula et petita copia eiusdem per dominum decanum Compostellanum, ipse dominus decanus requisivit, quod non fiat conclusio super avisamentis concernentibus sedes, nisi prius audiantur domini ambassiatores regis Castelle,

non recedendo a protestacionibus in ultima generali congregacione factis etc.; alias protestatur de denegata iusticia.

Super materia sedium, licet maior pars sacre deputacionis fuit oppinionis cum avisamento dominorum de xij^{cim} concernente sedes etc., nichilominus tamen fuit suspensa conclusio usque ad diem crastinam, in qua domini ambassiatores serenissimi domini regis plene audiantur.

Die mercurii prima iunii in sacra deputacione pro communibus super materia annatarum etc. placuit deliberacio heri capta iuxta avisamentum domini cardinalis legati. Eciam similiter avisamentum dominorum xij super huiusmodi materia pridie sacris deputacionibus oblatum.

In causa ecclesie Maclouiensis loco domini episcopi Vexionensis fuit surrogatus dominus decanus Compostellanus cum potestate simili alias ipsi domino Vexionensi attributa.

In causa civium Leodiensium placuit, quod reverendissimus dominus vicecancellarius signet commissiones de iusticia, prout sibi videbitur.

Pro presidente fuit deputatus dominus Galeacius de Mantua Italice nacionis.

Pro dominis xij fuerunt deputati domini episcopus Niuernensis continuatus, scolasticus Seguntinus et Matheus Nythart.

Miles et dominus decanus Compostellanus accesserunt ad deputacionem, exhortantes eandem ut nollet deliberare super avisamento dominorum de xij concernente sedes etc., nisi ipsis ad plenum auditis, attento eciam quod non sunt intencionis prosequi ius suum nisi via iuris etc. et non per scandalum. Alias protestantur de iusticia denegata etc. Item quod conclusio, que fiet, pro nulla habeatur etc.

Pro custodia clavis dominus Albertus prepositus Misnensis.

Pro referendario dominus Guillermus de Constancia.

In causa patriarchatus Aquilegiensis placuit, quod indicatur pedominos presidentes generalis congregacio ad diem crastinam pro relacione fienda per dominos commissarios in materia patriarchatus Aquilegiensis dumtaxat.

Super supplicacione magistri Guidonis de Necheriis subdiaconi, per tentis non promoveri ad ulteriores ordines, placuit ad duos annos immediate sequentes dumtaxat.

Quo ad supplicaciones concernentes dispensaciones in iiij^{to} gradu etc. placuit, quod committantur reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset, prout sibi videbitur, ita tamen quod littere expediantur per dominos commissarios in materia Grecorum etc., videlicet pro Johanne Kimensore laico et Hilla coniugibus Coloniensis diocesis, Balduino Odonis [et] Perrotella muliere Rothomagensis diocesis, pro Petro Militoris

Relimalet[a)] Warmaciensis diocesis, pro Colardo de Huyencourt Aymergaudis muliere[b)] Tullensis diocesis et pro Nicodo filio Humberti de Cupilino Gebennensis diocesis in iiij^to^ gradu.

Super supplicacione nobilis Petri de Funechon et relicte quondam Johannis de Biauuoir Nouiomensis diocesis placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset ut petitur, ita quod littere expediantur per dominos deputatos in materia Grecorum.

Placuit quod domini de sacro concilio et eorum familiares possint eligere confessorem in forma alias consueta, et duret huiusmodi facultas usque ad octabas solemnitatis Corporis Christi inclusive.

Placuit quod domini deputati ad reaptandum decreta de causis, de pacificis possessoribus, de intrusis et de cultu divino conveniant hodie et cras et provideant taliter, quod fiat sessio ante Pentheconstas, in qua pronuncientur etc.

Quo ad avisamenta domini cardinalis legati et dominorum xij concernencia sedes etc. placuerunt huiusmodi avisamenta, quodque domini alias deputati provideant et disponant, ne oriatur scandalum, et inhibeant viam facti.

Quo ad ij^um^ avisamentum domini cardinalis legati de deputandis cum dominis Lubicensi et H[enrico] auditore camere etc. fuit deputatus pro ista deputacione dominus Niuernensis et referat.

Quo ad avisamentum de instructionibus dandis dominis ambassiatoribus ituris ad papam, concernens[c)] scandala exorta racione decreti de electionibus etc., placuit in forma, eciam quo ad alia decreta.

Quo ad avisamentum concernens registrum bullarum placuit, quod quecunque bulle, que deinceps non registrabuntur, pro nullis habeantur, quodque si que exhorbitanter iam fuerint expedite, revocentur, de quibus constet.

Quo ad avisamentum de dando ordinem dominis duodecim de admittendis vel repellendis ad incorporacionem etc., placuit quod videantur deliberaciones et conclusiones super hoc facte.

Die iovis II^da^ iunii M^o^iiij^C^xxxv^o^ in sacra generali congregacione, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro et de Columpna et Arelatensi.

Lecta fuerunt concordata dominorum de xij pro congregacione nunc celebranda, ut sequitur.

In causa ecclesie Aquilegiensis concordant omnes deputaciones, quod per dominos presidentes huius sacri concilii indicatur generalis congre-

[a)] *so P, lies* et Elisabet. [b)] mulieris *P.* [c)] continens *P.*

gacio ad diem crastinam, que erit dies iovis secunda iunii, pro relacione facienda in ipsa causa ecclesie Aquilegiensis dumtaxat.

Quibusquidem concordatis lectis et petito per promotores concludi, dominus cardinalis legatus respondit non esse appellandum concludi, nam propter hanc causam domini erant congregati.

Dominus Franciscus advocatus requisivit dominos commissarios, ut suam relacionem facerent ad longum, nichil omittendo, ne adversarii habeant causam querelandi.

Deinde de mandato sacri concilii suam in scriptis in huiusmodi causa Aquilegiensi per organum Erardi Rousselli fecerunt relacionem.

Quaquidem relacione facta, allegaciones hincinde fuerunt lecte tam per dominum Symonem de Valle quam dominum F[ranciscum] de Bossis advocatos.

Quibus lectis Ysidorus peciit Venetos declarari incidisse penas contentas in monitorio aut saltem remitti ad deputaciones et mandatum factum partibus, quod recederent. Quibus absentibus domini deputati dederunt in scriptis allegaciones iuris, continentes vota eorum, lectas ut supra. Quibus lectis dominus cardinalis legatus remisit hanc materiam ad deputaciones deliberandam etc.

Die veneris III[a] iunii in sacra deputacione pro communibus super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati de dandis deputatis, qui cogitent de modo provisionis faciende domino nostro pape, dominis cardinalibus et aliis prelatis, scrutatis votis dominorum etc. placuit avisamentum in forma, ita tamen quod non impediatur conclusio hodie capienda, nec fiat mencio de huiusmodi avisamento in eadem. Et ad videndum de modo provisionis huiusmodi faciende fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis, Lubicensis et Londoniensis et Niuernensis episcopi, decanus Compostellanus et Galeacius de Mantua presidens deputacionis, qui referant etc.

Super avisamentis dominorum xij et reverendissimi domini cardinalis legati in materia annatarum et aliorum contentorum in eisdem avisamentis concordant omnes deputaciones in ipsis avisamentis cum addicione penarum. Quarta vero, videlicet de fide, addit quod ex utroque avisamento fiat unum decretum.

Dicta die veneris III[a] iunii M[o]iiij[C]xxxv[o] in generali congregacione, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinali de Cipro Arelatensi et de Columpna et duobus patriarchis.

Incorporati fueruni dominus Guillermus Piati archipresbiter de Merutana Cabilonensis diocesis pro abbate S. Cornelii et pro ipso, dominus

Christianus Vernisi decanus de Graueyo, dominus Petrus de Baussellis canonicus Maclouiensis, magister Johannes de Bramaste archidiaconus Starpensis in ecclesia Caminensi et P. Martini canonicus Seguntinus.

Lecte fuerunt littere domini cancellarii domini ducis Burgundie unacum salvoconductu dato per dominum ducem Burgundie ituris ad dietam Attrebatensem. Quodquidem mandatum de vulgari galico in latinum fuit expositum.

Quibus lectis, quia in eadem littera salviconductus etc. dominus Burgundie nominavit serenissimum dominum imperatorem illum qui se nominat imperatorem, reverendus pater dominus episcopus Lubicensis ambassiator dicti domini imperatoris protestatus fuit contra dominum ducem, primo de superbia sua, de machinacione contra dominum suum imperatorem et de usurpacione terrarum suarum sine iusto titulo.

Ex adverso dominus Niuernensis nomine suo et domini Rothomagensis et magistri Johannis Lamelin[a] coambassiatorum suorum protestatus fuit contra dominum Lubicensem et non contra dominum imperatorem de iniuria per eum in personam domini ducis Burgundie dicta et prolata.

Dominus episcopus Albinganensis narravit, qualiter ante congregacionem dominus Symon de Valle in presencia plurium dixit, quod ambassiatores domini ducis Mediolani voluerunt interficere dominum nostrum papam; unde idem dominus Albinganensis ut ambassiator etc. protestatus fuit de iniuria contra ipsum dominum S[ymonem] de Valle.

Lecte fuerunt littere prioris et conventus monasterii Bonecumbe in favorem sui electi in abbatem, de cuius lectura dominus Ysubeus peciit instrumentum.

Concordata.

Concordant tres deputaciones, quod domini prelati et alii, quibus de iure vel consuetudine debetur visitacio, presentes in hoc sacro concilio valeant visitare per procuratores et racione visitacionis huiusmodi procuraciones suas recipere cum eadem integritate, qua reciperent si personaliter visitarent, nichil tamen recipiendo a suppositis huius sacri concilii. Quarta vero, videlicet de pace, contradixit.

Concordant similiter omnes deputaciones, quod domini huic sacro concilio incorporati et eorum familiares possint in hiis festis Pentheconstes usque ad octavas Corporis Christi inclusive confessores ydoneos eligere, qui eos absolvant in forma alias concessa.

In causa monasterii Maristelle concordant tres deputaciones, quod domini iudices in ipsa causa alias dati causam resumant et litteras monitoriales decernant, si et prout de iure, et iusticiam faciant; quodque

[a]) *hierauf* eius *scheint durch Punkte getilgt P.*

patres de illo ordine hic existentes cum reverendissimo domino cardinali de Cipro conveniant et monachos extra ipsum existentes infra spacium octo dierum ad monasterium reducant. Quarta autem, videlicet de fide, remisit eam ad consistorium huius sacri concilii.

Super avisamentis reverendissimi domini legati et dominorum de xij in materia annatarum et aliorum contentorum in eisdem avisamentis concordant omnes deputaciones cum addicione penarum in eisdem avisamentis. Quarta, videlicet de fide, addit quod ex utroque fiat unum decretum.

In facto bullarum emanatarum ab hoc sacro concilio in preiudicium nonnullorum prelatorum regni Hungarie et precipue episcopi Quinqueecclesiensis concordant omnes deputaciones, quod committatur dominis episcopo Farensi pro deputacione fidei, abbati de Scocia pro deputacione reformatorii, auditori camere pro deputacione de communibus et officiali Patauiensi pro deputacione pacis, qui habeant presbiterum solicitatorem easdem bullas, abreviatorem scriptores et alios, de quibus ipsis videbitur, [citare] et de et super earum expedicione se informare cum potestate easdem bullas, si exhorbitantes reperiantur, cassandi et anullandi ac delinquentes in earum expedicione puniendi. Et ad prosequendum huiusmodi materiam fuit deputatus procurator fiscalis. Item quod huiusmodi bulle cum originalibus tradantur eisdem deputatis, qui postmodum referant in deputacionibus, iuxta deliberaciones deputacionum de fide et de reformatorio et de pace.

Super supplicacione reverendi patris domini cardinalis de Cipro, petentis causas suorum familiarium, que in hoc sacro concilio agitantur, suspendi[a)] usque ad reditum ipsius de dieta Attrebatensi pro pace regni Francie celebranda, concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino patriarche Antiocheno, qui procedat ut petitur.

Super supplicacione reverendissimi domini cardinalis de Columpna, petentis committi oratoribus concilii ad sanctissimum dominum nostrum papam transmittendis, quatenus habeant instare apud sanctitatem suam, ut revocet de novo ad cautelam omnes concessiones per sanctitatem suam factas de beneficiis ipsius reverendissimi domini cardinalis etc.: concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendisssimis dominis cardinalibus et presidentibus, qui conficiant litteras et procedant ut petitur.

Super supplicacione domini Ludouici postulati ad ecclesiam Marsiliensem, petentis scribi sanctissimo domino nostro pape, ut processus factos auctoritate huius sacri concilii non casset neque annullet etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

a) suspendantur *P.*

Super supplicacione domini archidiaconi Metensis, petentis supersederi in causa Metensi prebende, quam hic intentavit Genetus de Villonia, usque ad regressum suum a dieta Attrebati pro pace regni Francie celebranda, concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Illa tamen de pace postmodum certam supplicacionem per ipsum Genetum in ipsa deputacione porrectam pro sua informacione tradi fecit domino Thome de Polonia ad videndum et examinandum eandem et postea referendum in prima deputacione.

Concordant eciam omnes deputaciones, quod ad ipsius domini archidiaconi nominacionem reverendissimus dominus vicecancellarius habeat deputare et deputet unum notabilem doctorem et ipsum surrogare in officium iudicature unacum aliis dominis iudicibus usque ad regressum ipsius domini archidiaconi, coram quo scribant notarii ipsius domini archidiaconi in omnibus causis suis et aliis distribuendis, que prefato surrogando committantur cause.

Super supplicacione porrecta pro parte ville de Wadington et aliarum vicinarum in parrochia de Mitton Eboracensis diocesis, in qua petitur erectio capelle ad instar parrochialis ecclesie etc., concordant tres deputaciones, quod committatur archiepiscopo Eboracensi, qui vocatis vocandis absque preiudicio parrochialis ecclesie et alterius cuiuscunque procedat iuxta formam iuris. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Petri de Fumechon alias Galois et Gelete Gourdite coniugum Nouiomensis diocesis, petencium cum ipsis super cognacione spirituali dispensari etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus auctoritate sacri concilii dispenset ut petitur.

Ad idem super supplicacione Petri Molitoris et Elizabeth filie Conrardi Ruttersz coniugum Augustensis diocesis.

Ad idem super supplicacione Balduini Oddonis et Perrotelle relicte Jacobi Vasselin Rothomagensis diocesis super iiij^{to} affinitatis gradu.

Ad idem super supplicacione Johannis Rygmaydin et Ysote Mydilton Eboracensis diocesis super quarto consanguinitatis gradu, qui per quadraginta annos et ultra simul vixerunt.

Ad idem super supplicacione Oliuerii Sockthеworth et Alicie Flech coniugum eciam Eboracensis diocesis super quarto consanguinitatis gradu.

Super supplicacione magistri Guidonis de Nescheriis subdiaconi, petentis secum dispensari ut ad certum tempus non promoveatur ad alios ordines, concordant omnes deputaciones, quod [non] teneatur ad ulteriores ordines promoveri usque ad duos annos immediate sequentes.

Lectis concordatis dominorum xij^{cim} reverendissimus dominus Tarentinus et episcopus Paduanus presidentes protestati fuerunt, prout in cedula per magistrum Ludouicum lecta.

Qua lecta multi adheserunt, videlicet archiepiscopus Cretensis, Petragoricensis Pergamensis Rosensis episcopi.

Dominus [archi]episcopus Cretensis protestatus est, quod non est libertas in concilio etc., tam nomine proprio quam suorum suffraganeorum.

Dominus archidiaconus Anglicus pro et nomine dominorum suorum, quorum est procurator, pro et nomine domini archiepiscopi Cantuariensis et toto clero illius provincie protestatus est adherere protestacioni dominorum presidencium. De quibus etc.

Procurator fiscalis requisivit, quod faciat fidem de mandato, alias protestatur contra eum de agendo etc.

Domini presidentes, attenta protestacione facta per procuratorem fiscalem, protestati fuerunt quod non erat libertas.

Dominus episcopus Lubicensis protestatus est, quod est bona libertas etc.

Et tandem post plures exhortaciones hincinde per reverendissimos dominos cardinalem legatum et alios super provisione facienda domino nostro pape etc., antequam concluderetur domini et patres responderunt per verbum „placet“, velle providere domino nostro, cardinalibus et prelatis aliis.

Reverendissimi domini Tarentinus et Paduanus presidentes, non recedentes a sua protestacione, descendentes et recedentes de congregacione, expresse contradixerunt et quantum in eis erat auctoritate presidencium.

Nichilominus lectis concordatis dominorum xij in materia annatarum etc., reverendissimus dominus cardinalis legatus presidens in nomine Spiritus paracliti auctoritate universalis ecclesie et huius sacri concilii ipsam representantis, non obstante contradictione cuiuscunque, conclusit, quod nec in curia Romana nec alibi pro confirmacione electionum seu presentacionum, provisione collacione electione presentacione institucione de quibuscunque ecclesiis, eciam metropolitanis, dignitatibus beneficiis officiis ordinibusque ecclesiasticis de cetero quitquam penitus ante vel post solvatur racione bulle vel sigilli, annatarum, communium et minutorum serviciorum, portuum, deportuum, primorum fructuum, retribucionis aut quocunque alio titulo vel nomine, pretextu cuiusvis consuetudinis aut alia quavis causa vel occasione directe vel indirecte, solum scriptoribus et registratoribus litterarum seu minutarum pro ipsorum labore competenti precio persolvendo, eciam cum addicione penarum pro conservacione huiusmodi decreti.

Item tam super annatis quam aliis concordatis reverendissimus dominus cardinalis legatus et presidens conclusit iuxta concordata etc.

Die sabbati vigilia Penthecostes non fuerunt deputaciones nec lune sequenti.

Die dominica V^{a}, que fuit dies Penthecostes, fuit missa solemnis in ecclesia maiori.

Die martis VII^{a} iunii in sacra deputacione pro communibus placuit, quod venerabiles viri domini Symon Freron et Matheus Mainage ituri ad dominum nostrum papam et Grecos possint et valeant promoveri ad gradum magistratus in theologia ante ipsorum recessum, et quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui assumptis secum aliquibus doctoribus in theologia, de quibus sibi videbitur, provideat ut petitur etc.

Super primo avisamento domini cardinalis legati de facultate danda reverendissimo domino cardinali de Cipro, qui transiturus est ad Franciam, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato et aliis dominis cardinalibus, qui videant de facultate danda non solum reverendissimo domino cardinali de Cipro, sed eciam domino cardinali S. Crucis, et quod fiant due littere facultatum, una videlicet generalis pro ipsis duobus dominis cardinalibus simul et una alia specialis pro ipso domino cardinali de Cipro.

Item eciam quod prefatus dominus cardinalis legatus videat de facultate danda aliis dominis ambassiatoribus ituris ad dietam Attrebatensem.

Quo ad secundum avisamentum placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus possit cum quodam rustico de Almania dispensare in iij^{o} gradu consanguinitatis, prout sibi videbitur.

Super iij^{o} avisamento, concernente priorem generalem ordinis Cartusiensis et salutem anime cuiusdam fratris Cartusiensis, placuit quod committatur domino cardinali legato, qui possit agere iuxta consilium dicti prioris in quibuscunque concernentibus provisionem et salutem dicti fratris.

Super primo et tercio avisamentis dominorum de xij^{cim}, concernentibus decreta de annatis tollendis et sessione celebranda pro publicacione decreti huiusmodi, placuerunt huiusmodi avisamenta et quod hodie hora iij^{a} post meridiem domini deputati ad conficiendum huiusmodi decretum conveniant cum reverendissimo domino legato, ut huiusmodi sessio possit celebrari ante recessum dominorum ambassiatorum

iturorum ad dietam Attrebatensem. Et ad conficiendum huiusmodi decretum deputati fuerunt domini deputati super provisione fienda domino nostro, dominis cardinalibus et prelatis.

Super secundo avisamento, concernente provisionem domini nostri pape, dominorum cardinalium et prelatorum, placuit avisamentum in forma, et quod cessetur per x dies ab omnibus aliis actibus communibus, excepta causa Aquilegiensi.

In causa Traiectensi placuit, quod loco domini Vexionensis ituri ad dietam Attrebatensem surrogetur et surrogatus est dominus episcopus Lausanensis. Cui deliberacioni procurator domini Rodolphi de Diepholt se opposuit.

Die mercurii VIII[a] iunii in deputacione pro communibus in causa Traiectensi placuit, quod infra iiij[or] dies partes conveniant de dandis confidentibus ad videndum de causis, quare dominus Lausanensis non sit commissarius.

Placuit et admissa fuit supplicacio domini prioris de Roa Ispani, petentis quod expediantur sub bulla sacri concilii littere super signatura per eum obtenta a domino nostro vel de mandato.

Super supplicacione Colardi de Fontaines et Johannete relicte quondam Johannis le Leu Ambianensis diocesis, petencium dispensari in iiij[to] gradu affinitatis, placuit huiusmodi supplicacio et committatur domino legato, qui dispenset ut petitur; et expediantur littere per dominos deputatos in facto Grecorum.

Similiter de supplicacione Willermi Laurencii laici Traiectensis diocesis et Margarete Johannis vidue eiusdem diocesis.

Similiter de supplicacione Barrondi Monik et Elizabeth filie quondam Johannis Petri eiusdem diocesis.

Super supplicacione Johannis Martini canonici Roskildensis et aliorum, petencium absolvi et dispensari super irregularitate, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui absolvat et dispenset ut petitur.

Placuit instante magistro N[icolao] Amici promotore causarum fidei, quod die veneris proxima fiat relacio de libello nuncupato „De Christo integro“ per dominos deputatos ad visitandum huiusmodi libellum, et propterea non immutetur congregacio ordinaria.

Item eodem instante, loco domini cardinalis bone memorie S. Eustacii, deputati ad visitandum processum super canonizacione S. Petri de Lucemburgo, deputatus fuit dominus cardinalis Arelatensis.

Lecta forma decreti de annatis tollendis, placuit materia et forma, ita tamen quod si alie sacre deputaciones aliquid addiderint, domini de-

putati in hac materia, antequam celebretur congregacio generalis, addant et corrigant huiusmodi formam, ut eis videbitur.

Placuerunt eciam forme decretorum de possessoribus pacificis et de cultu divino, que similiter revideantur.

Item placuit quod domini ambassiatores recessuri affigant seu affigi faciant in valvis ecclesiarum locorum, per que transibunt, copias huiusmodi decretorum, et quod ipsi exhortentur principes ad observacionem huiusmodi decretorum.

Dicta die mercurii VIII[a] iunii M[o]iiij[C]xxxv[o] in generali congregacione, presidente reverendissimo domino çardinali legato, lecta fuerunt concordata que sequuntur.

Concordata.

Concordant omnes deputaciones, quod committatur domino legato facultas danda domino de Cipro.

Item similiter quod domini deputati super paçe Francie habeant conficere instructiones dandas ambassiatoribus ituris Attrebatum.

Concordant eciam omnes deputationes super facultate eligendi confessores et de indulgenciis concessis oratoribus concilii ituris ad Greciam et aliis, que in eorum supplicacione continentur.

Item quod hodie fiat congregacio generalis, in qua concludantur decreta decretanda, et cras fiat sessio solemnis, in qua publicentur et decretentur huiusmodi decreta.

Concordant eciam omnes deputaciones in materia et forma decretorum de annatis, pacificis possessoribus et cultu divino, et tres, quod ambassiatores concilii ituri ad papam Greciam et Attrebatum affigant copias eorum valvis ecclesiarum in eorum itinere et instent apud principes, ut ea faciant et mandent observari et observent.

Quibusquidem dominorum de xij concordatis lectis, ex parte sacri concilii missi fuerunt ad dominos Tarentinum et Paduanum magister Johannes Spasserii procurator fiscalis et magister H[ugo] Barardi promotor sacri concilii unacum magistris Petro Bruneti, Ludouico Scaec, Johanne Dieulefist, Georgio Frey et Michaele Galteri notariis sacri concilii, ad requirendum eos, ut veniant ad congregacionem generalem.

Qui procurator fiscalis cum magistris Petro Bruneti, Ludouico Scaec et Georgio Frey revertens ad congregacionem retulit, se in presencia ipsorum notariorum requisivisse et rogasse dominum Paduanum, ut veniret ad ipsam congregacionem et cras ad sessionem publicam. Qui discoperto capite regraciatus est dominis de sacro concilio, respondendo quod si materia, super qua agebatur in generali congregacione, esset illa, super qua nuper protestatus fuerat unacum domino Tarentino etc., ipse

non recedebat a suis protestacionibus, sed eis adherendo de novo protestabatur; et si alie materie essent, ignorabat. Et tunc declarato eidem per ipsum promotorem, quod essent decreta publicanda unacum decreto annatarum decreta de pacificis possessoribus et de cultu divino, et tunc dixit se non vidisse formas, attamen placent, sine tamen preiudicio domini nostri pape.

Postea missi fuerunt ipse procurator et notarii ad dominum Cretensem archiepiscopum, qui statim post eorum regressum ad generalem congregacionem accessit.

Ibidem lectum fuit decretum Toletanum, incipiens „Undecime occasionis.“ [1]

Postmodum redierunt magister Hugo Barardi promotor unacum magistris Johanne Dieulefist et Michaele Galteri, referentes quod ipse promotor requisivit dominum Tarentinum ex parte sacri concilii, quatenus vellet ad congregacionem venire et cras sessioni publice interesse. Qui dominus Tarentinus satis humiliter primo verbo eis respondit et postea in scriptis, quam responsionem dedit promotor, ea prius per eum lecta in ipsa congregacione, nobis notariis in actis sacri concilii registrandam, cuius tenor sequitur et est talis: „Ego libenter complacerem sacre congregacioni generali in hac requisicione, nisi crederem et timerem, quod aliquid ibi tractari debeat de materia introducta annatarum et communium serviciorum et aliorum iurium prelatorum tollendorum. Sed quoniam ad illa facienda non consensimus, ymo expresse contradiximus nomine sanctissimi domini nostri pape Eugenii, sancte sedis apostolice et aliarum sedium, et alia fecimus et diximus, quibus nullatenus intendo contravenire, ymo protestacionibus et aliis per nos factis inherendo venire recuso, ne per presenciam in aliquo predictis derogarem.“ De quibus peciit instrumentum. Actum in camera dicti domini, presentibus domino Francisco abbate S. Bone de Vidolio Senetensis diocesis, domino Johanne Peregalli canonico ecclesie S. Johannis de Anio Cumane diocesis et Nicolao Mergey clerico Trecensis diocesis.

Quibus peractis instante promotore dominus legatus [presidens] sacri concilii iuxta concordata dominorum xij conclusit.

Deinde lecte fuerunt forme decretorum cras in publica sessione publicandorum, videlicet de annatis tollendis, de pacificis possessoribus et cultu divino.

Quibus lectis dominus legatus in et super eisdem formis conclusit in nomine Patris etc.

[1] *Der Text ist verdorben, es soll heissen* „In loco benedictionis“, *vgl. das Decret der 1. Session, Mansi 29, 15. M. C. 2, 56.*

Die[a)] iovis IX[a] mensis iunii anno Domini M°iiij[C]xxxv° celebravit missam dominus episcopus Vexionensis de Sancto Spiritu, qua celebrata peractis letaniis, hymno „Veni creator“ et cantato euvangelio secundum Matheum „Cum intrasset Jhesus Jherosolimam“ etc.[1], celebrata fuit xxj[a] sessio, in qua fuerunt publicata decreta de annatis, pacificis possessoribus et cultu divino per reverendissimum patrem dominum episcopum Lectorensem, presentibus ambassiatore Castelle, Jordano Morini et Radulpho de Porta magistris in theologia.

Die veneris X[a] eiusdem mensis iunii exiverunt et recesserunt per aquam reverendissimi domini cardinalis de Cipro, episcopi Vexionensis et Albinganensis, Nicolaus de Polonia et archidiaconus Metensis ambassiatores sacri concilii transeuntes ad dietam Attrebati celebrandam pro pace regni Francie, et cum ipsis ex parte obedienciarum contendencium in ipso regno domini Vticensis episcopus et abbas Virziliacensis. Cum quibus eciam recessi.

Dicta die veneris in congregacione generali, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, medio iuramento incorporati fuerunt magister Arnoldus de Gisnes prepositus de Mersen Leodiensis diocesis, Jacobus Vileti magister in theologia ordinis Carmelitarum, Andreas Borkau canonicus et thesaurarius Coloburgensis nomine domini episcopi Caminensis, Symon de Bergeriis pro magistro Egidio de Campis decano Rothomagensi.

Lecte fuerunt littere domini imperatoris concernentes civitatem Leodiensem et causam inter ipsos et illos Datin motam.

Item lecte fuerunt littere civitatis Leodiensis regraciatorie ex eo, quod causa est remissa ad forum civitatis Leodiensis.

Concordata.

In facto sedium concordant deputaciones, quod domini deputati habeant auctoritatem providendi in materia sedium inter partes nunc contendentes et ad tempus sine preiudicio parcium.

Concordant eciam omnes deputaciones, quod hodie fiat congregacio ordinaria, in qua fiat relacio eorum, que facta sunt in facto libri Augustini de Roma.

Concordant eciam omnes deputaciones, quod in facto canonizacionis S. Petri de Lucenburgo loco bone memorie domini cardinalis S. Eustacii surrogetur reverendissimus pater dominus cardinalis Arelatensis.

[a)] *am Rande* XXI[a] sessio *P.*

[1] *Matth 21, 10.*

Concordant similiter omnes deputaciones, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus, vocatis secum aliquibus doctoribus in sacra pagina de quibus sibi videbitur, conferat gradum magisterii in eadem facultate theologie magistris Symoni Freron et Matheo Mainage ambassiatoribus ituris ad sanctissimum dominum nostrum et ad Greciam, propter honorem ambassiatarum.

Super dispensacione cuiusdam rustici de Alamania super impedimento consanguinitatis in quarto gradu, et super dispensacione concernente provisionem et salutem anime cuiusdam Cartusiensis commisse sunt per omnes deputaciones reverendissimo domino cardinali legato, qui cum ipsis auctoritate concilii dispenset, ut sibi videbitur.

Super supplicacione reverendi patris domini Aluari de Ysorna Conchensis episcopi, petentis facultatem testandi etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma solita et consueta concedi in Romana curia usque ad summam xij milium florenorum de camera. De communibus requisita non deliberavit.

Ad idem super supplicacione reverendi patris domini episcopi Londoniensis usque ad summam duorum milium, quodque attenta senectute eiusdem absolvatur a visitacione liminum apostolorum et generalium conciliorum quoad vixerit.

Super supplicacione magistri Pugni de Pugnis clerici Veronensis, petentis certam confirmacionem cuiusdam beneficii in ecclesia S. Georgii a domo Verone, concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Roderici Gundissalui clerici Oxomensis diocesis, petentis certam provisionem de seculari prioratu collegiate ecclesie de Roa dicte diocesis sibi a summo pontifice factam sub bulla huius sacri concilii expediri etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur, dummodo in cancellaria constiterit de signatura et debitis signis curie Romane. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Super supplicacione certorum fratrum Minorum Salamantine diocesis, petencium ipsis licenciam dari recipiendi certam domum in sua dotacione in dicta diocesi noviter fundatam etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur, dummodo tamen ipsi supplicantes in ipsa domo de presenti resideant de consensu generalis et provincialis ministri ipsius ordinis, prout narratur in supplicacione. Quarta, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Concordant eciam deputaciones, quod omnino vacetur circa provisionem domino nostro pape, cardinalibus et aliis prelatis faciendam,

omnibus aliis postpositis. Et ad hoc dederunt deputatos suos reverendissimos ac reverendos patres Tharentinum et Turonensem archiepiscopos, episcopum Conchensem, vicarium Frinsingensem et dominum Robertum de Anglia pro deputacione reformatorii, Bituricensem Cretensem archiepiscopos, Lectorensem et Bangerensem episcopos et Raymundum Talonis pro deputacione pacis, archiepiscopum Lugdunensem, Lubicensem Londoniensem Niuernensem et Lausanensem episcopos, decanum Compostellanum et Galeacium de Mantua pro deputacione de communibus, Mediolanensem et Pharensem archiepiscopos, Aurelianensem et Aquensem episcopos, abbatem Bonevallis, elemosynarium Aragonum, inquisitorem Maguntinum, Johannem Celi, Johannem Coralli et Hugonem de Spira pro deputacione fidei. Qui quolibet die de mane et post prandium conveniant in S. Francisco, usquequo modum providendi invenerint, et referant in deputacionibus.

Lectis huiusmodi concordatis, reverendissimus dominus cardinalis legatus iuxta huiusmodi concordata et deliberaciones trium deputacionum more solito conclusit.

Deinde domini deputati in materia cuiusdam libri Augustini de Roma, intitulati „de Christo integro“, per organum reverendi patris domini episcopi Dignensis suam in materia huiusmodi fecerunt relacionem, concludens quod huiusmodi materia quantocius est exterminanda eciam in sessione publica. De quaquidem relacione magister Nicolaus Amici procurator fidei fieri peciit per dominos prothonotarios et nos notarios instrumentum et instrumenta etc.

Item peciit dari facultatem dominis deputatis concipiendi sentenciam, secundum quod eis visum fuerit in hac materia fiendum, et suppleri deffectus, si qui in observacione terminorum et in modo procedendi intervenissent, et quod deputetur dies ad huiusmodi sessionem fiendam et sentenciam ferendam.

Provincialis Lombardie aliqua voluit in hac materia dicere et inter cetera dixit, quod omnes iste proposiciones sunt absurdissime et conclusiones, unde promotor peciit instrumentum; et postmodum continuando dixit idem provincialis, quod aliqui doctores pro honore sacri concilii voluerunt videre Augustinum super psalterio et alios doctores, et quia pauci libri reperiuntur et non omnes simul possent videre unum librum insimul, commiserunt fratri Johanni de Turrecremata, ut videret. Et idcirco petebat audiri ipsum fratrem Johannem de Turrecremata, et postea fiat iusticia.

Predictus magister N[icolaus] Amici dixit, Augustinum et psalterium fuisse visos in omnibus passibus, et idcirco petebat, prout supra peciit.

Dominus Arelatensis narravit, hanc materiam non esse de novo introductam, sed iam ventilatam fuisse coram domino Martino bone memorie et domino nostro moderno per iiij^{or} annos et in hoc concilio fere per duos annos, tam coram domino S. Petri et ipso domino Arelatensi; concludens, ut res ipsa maturius expediatur, quod audiatur idem frater Johannes de Turrecremata, saltim per et inter dominos deputatos, antequam feratur sentencia.

Dominus legatus dixit, quod vellet ante sentenciam informari de illo, ubi dicit quod dixit, quod Christus non habet super hoc vicarium in terris etc., utrum intelligatur dei Christus[a)] caput corporis mistici etc.

Tandem fuit conclusum, quod die martis proxima idem de Turrecremata audiatur.

Ab huiusmodi feria sexta usque ad feriam sextam sequentem non fuerunt deputaciones, ex eo quia domini deputati super provisione sedis apostolice etc. convenerunt.

Die mercurii XV^{a} mensis iunii ante prandium intravit Basileam dominus cardinalis S. Crucis, transiens Attrebatum tanquam legatus ex parte domini nostri pape, et fuerunt multi domini de concilio sibi honorifice obviam.

Die iovis XVI^{a} mensis iunii fuit festum Corporis Christi. Qua[b)] die dominus Biturícensis celebravit missam et dominus Johannes de Romiroy fecit sermonem.

Notandum est, quod eadem die non fuit processio conciliaris propter controversiam ortam inter ambassiatores dominorum regum Yspanie et Anglie occasione sedium etc.

Die veneris XVII^{a} mensis iunii in deputacione pro communibus dominus Galeacius de Mantua presidens deputacionis obtinuit licenciam recedendi ad partes, reversurus prout cicius poterit.

Placuit quod reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis vicecancellarius loco ipsius surroget in iudicem dominum M[atheum] Nithart usque ad regressum dicti domini Galeacii.

Item loco ipsius domini Galeacii tam in presidencia quam circa provisionem fiendam sedi apostolice, dominis cardinalibus et prelatis etc. surrogatus fuit dominus abbas de Verona.

In causa ecclesie Traiectensis pro parte domini Rodolphi episcopi Traiectensis dati fuerunt confidentes, videlicet Londoniensis Glasguensis

a) *so P.* b) quia *P.*

Niuernensis Pergamensis episcopos, decanum Compostellanum, abbatem Veronensem, Galeacium de Mantua.

In causa ecclesie Albiensis placuerunt avisamenta dominorum de sacris deputacionibus fidei et pacis, videlicet loco domini Aquensis commissarii surrogetur dominus archiepiscopus Mediolanensis et loco domini Rothomagensis surrogetur dominus Thomas de Polonia.

Super suppliacione Hillebrandi Wekhyncusen laici et Godele Rubeaci civium Tarbatensium, petencium secum dispensari in iiij^{to} gradu affinitatis, placuit quod committatur reverendissimo domino legato, qui cum eisdem dispenset auctoritate sacri concilii ut petitur, ita tamen quod littere expediantur per dominos deputatos in facto Grecorum.

Super supplicacione magistri Johannis de Ragusio, missa per dominum legatum, cuius tènor sequitur: „Quia gracia Jhesu Christi offertur facilis occasio reductionis regni Bosne, quod iam a trecentis aňnis et ultra fuit infectum heresi Manicheorum et Arianorum, ideo supplicatur, ut detur plena facultas dominis legato et cardinali Arelatensi, qui de ambassiata et aliis opportunis et neccessariis circa hoc provideant, precipue cum nulle expense ad hoc pro presenti requirantur", — placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Quia pauperes multum gravantur ex eo, quod domini iudices propter festa et ferias occurrentes a tribus septimanis citra non sederunt et imposterum eciam sedere forsan non poterunt, placuit sacre deputacioni de communibus, ut si contingat festum aliquod in diebus, quibus ipsi domini iudices ordinarie sedere solent, evenire, suas audiencias ad alias dies precedentes vel sequentes, prout eisdem videbitur, mutare et ordinare debeant et possint, notificata per cedulas huiusmodi mutacione. Et ad hoc faciendum exhortata est alias deputaciones.

Super primo avisamento dominorum de xij, concernente verberacionem et incarceracionem soldani, placuit quod reverendissimus dominus cardinalis legatus, vocatis secum quos voluerit, contra culpabiles procedere possit cum auctoritate fulminandi quascunque sentencias et censuras ac privandi dignitatibus beneficiis et officiis, eciam notariatus, et inhabilitandi et citandi per edictum, et presertim illum, qui exigere volebat pecunias pro ordinibus.

Super secundo avisamento dominorum de xij, concernente provisionem sedis apostolice, placuit avisamentum in forma, videlicet quod domini deputati in hac materia simul conveniant et se expediant, quodque omnes aliqua avisamenta habentes velint ea ipsis dominis deputatis communicare.

Eadem die veneris recessit a Basilea circa ix^{am} horam dominus cardinalis S. Crucis legatus tam concilii quam pape, tendens Attrebatum pro pace regni Francie.

Die sabbati XVIII[a] mensis iunii M°CCCCxxxv° in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus dominis cardinali de Columpna, patriarchis Anthioceno et Aquilegiensi.

Medio iuramento fuit incorporatus magister Petrus Juuenis persona personatus etc. Cameracensis diocesis.

Lecte fuerunt littere dominorum S. Crucis et S. Petri ad vincula super facto pacis Ytalie,[1] de quibus dominus Dignensis peciit copiam sibi decerni, que decreta fuit.

Item lecte fuerunt littere dominorum Constanciensis episcopi et suorum collegarum.[2]

Item littere domini ducis Britanie, eius primogeniti, domini comitis de Laual et certorum aliorum, concernentes causam ecclesie Maclouiensis in favorem domini abbatis electi.

Item lecta fuit littera patens revocacionis magistri Petri Pichon et intimata per magistrum G. Grongneti procuratorem ad hoc per dominum ducem constitutum.

Lecte eciam fuerunt littere domini ducis, in quibus nominat dominum Maclouiensem olim Trecorensem sub eodem titulo Maclouiensi, directe eidem domino Maclouiensi.

Dominus archiepiscopus Turonensis, excusando quendam heraldum vocatum Montfort, delatum per litteras nonnullorum apud eundem dominum ducem Britanie, peciit quod sacrum concilium dignetur dare litteras testimoniales super innocencia eiusdem heraldi, et si aliquis in congregacione existens voluerit dicere, quod ipse heraldus aliquid in generali congregacione contra honorem domini ducis et electi dixerit, surgat in medium et sibi respondebitur; petens super hoc instrumentum.

Magister Johannes Leodegarii procurator domini B[artholomei] de Rocali olim generalis Carmelitarum et episcopi Massiliensis excusavit eundem dominum B[artholomeum] de Rocali et allegavit, dominum Albinganensem decrevisse certas litteras inhibitorias ex parte et auctoritate sacri concilii contra dictum dominum B[artholomeum], antequam haberet commissionem sacri concilii et de data anteriori date litterarum sacri concilii, offerens se premissa probaturum, et si premissa non sint vera, puniri pena falsi.

Concordata.

Super primo avisamento dominorum xij de verberacione soldani etc. concordant omnes deputaciones, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus pro deputacione de communibus, episcopus Lectorensis pro deputacione pacis, inquisitor Maguntinus pro deputacione fidei et vicarius

[1] *Mansi 30, 915.* [2] *l. c. 916.*

Frisingensis pro deputacione reformatorii procedant et provideant iuxta huiusmodi avisamentum. Voluit tamen illa de reformatorio, quod procedant cicius quo poterunt.

Super secundo avisamento eorundem dominorum xij^{cim} de exhortando dominos deputatos super provisione domino nostro pape, cardinalibus et aliis prelatis facienda, concordant omnes deputaciones in ipso avisamento, videlicet quod exhortentur ipsi domini deputati, ut simul conveniant et se expediant, quodque habentes aliqua avisamenta super huiusmodi provisione ea communicent ipsis dominis deputatis.

Super supplicacione magistri Johannis de Ragusio, concernente reductionem regni Bosne, concordant omnes deputaciones, quod detur plena facultas reverendissimis dominis legato et Arelatensi cardinalibus de ambassiata et aliis neccessariis et opportunis providendi. Addit tamen ipsis illa de reformatorio presidentes domini nostri et pro ipsa deputacione abbatem de Scocia et vicarium Frinsingensem.

Super supplicacione Huberti et Henrrici Boenman Leodiensis diocesis, petencium cum ipsis ut non obstante deffectu natalium ad omnes ordines, eciam sacros promoveri possint et beneficia obtinere, eciam si curam habeant animarum etc., dispensari: concordant tres deputaciones, quod committatur domino legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super avisamento sacre deputacionis de communibus de iudicibus et eorum audienciis transferendis feriis occurrentibus etc. concordant omnes deputaciones, quod si contingat festum aliquod in diebus, quibus ipsi domini iudices ordinarie sedere solent, evenire, suas audiencias ad alios dies precedentes vel sequentes, prout eisdem videbitur, mutare et ordinare debeant et possint, notificata per cedulas huiusmodi mutacione.

In causa ecclesie Albiensis concordant omnes deputaciones, quod loco reverendi patris domini episcopi Aquensis surrogetur archiepiscopus Mediolanensis, loco domini archiepiscopi Rothomagensis surrogetur dominus Thomas de Polonia decretorum doctor, et loco domini episcopi Albinganensis absentis surrogetur vicarius Frinsingensis; quodque termini coram duobus ex eis vel uno et altero deputato servari possint.

Super supplicacione monialium in Schogh ordinis Cisterciensis Upsalensis diocesis, petencium cum ipsis super irregularitate dispensari, concordant omnes deputaciones, quod committatur revendissimo domino cardinali, qui de meritis cause informatus est, [quod] auctoritate sacri concilii provideat ut petitur.

Lectis huiusmodi concordatis dominorum de xij, reverendissimus dominus cardinalis legatus exhortatus est dominos deputatos circa pro-

visionem domini nostri pape et dominorum cardinalium et prelatorum etc., ut faciant diligenciam, et iuxta huiusmodi concordata et deliberaciones trium sacrarum deputacionum concorditer deliberancium more solito conclusit.

Die dominica XIX[a] mensis iunii celebravit missam dominus episcopus Lectorensis, et complevit sermonem, quem in die sanctissimi sacramenti inceperat, magister Johannes de Romireyo magister in theologia.

Lune martis nec mercurii non fuerunt deputaciones, quoniam domini deputati circa provisionem pape et cardinalium ac aliorum prelatorum etc. vacabant circa modos reperiendos in huiusmodi provisione.

Die veneris XXIIII[ta] mensis iunii fuit festum beati Johannis Baptiste. Dominus Johannes episcopus Lubicensis celebravit missam in loco sessionis sive congregacionis. Sermonem fecit quidam magister in theologia de ordine fratrum Carmelitarum.

Die sabbati XXV[a] eiusdem mensis non fuerunt nec deputaciones nec congregacio generalis, quoniam domini prelati convenerunt de mane in unum.

Dominica XXVI[a] celebratum fuit capitulum generale monachorum nigrorum provincie Maguntine in ecclesia fratrum Predicatorum Basiliensium, convocatum per reverendissimum dominum legatum. In quo capitulo missam celebravit dominus episcopus Lausanensis, sermonem fecit quidam monachus de Anglia, inibique interfuerunt domini legatus et Arelatensis cardinales, patriarcha Aquilegiensis et plures alii prelati necnon omnes abbates et monachi in sacro concilio existentes tam de ordine S. Benedicti quam de ordine Cluniacensi.

Lune et martis sequentibus non fuerunt deputaciones, quoniam abbates et alii de ordine nigrorum monachorum fecerunt processiones et eciam domini deputati in materia provisionis domini nostri pape et dominorum cardinalium ac aliorum prelatorum simul eisdem diebus convenerunt.

Die mercurii XXIX[a] iunii fuit festum beatorum apostolorum Petri et Pauli. Celebravit eadem die missam dominus Londoniensis, inquisitor Maguntinus fecit sermonem.

Eadem die intraverunt duo notabiles viri Greci, venientes de Florencia cum sex equis.

Die iovis ultima iunii in deputacione pro communibus super supplicacione dominorum ambassiatorum serenissimi domini regis Castelle, petencium dari deputatos, qui eos audiant super certis concernentibus reformacionem et provisionem fiendam in certis provinciis regnorum predictorum et aliorum domin[i]orum eidem domino regi subiectorum etc., placuit quod reverendissimus dominus Lugdunensis, dominus abbas de Cerreto audiant eosdem dominos ambassiatores, informent se et referant in deputacionibus.

Super supplicacione Guillermi Raoullelli clerici Pictauensis diocesis, petentis committi domino Thome de Strampino alteri ex iudicibus, ut in causa inter eundem Guillermum et quendam Guillermum Tenodi mota procedere possit in vim commissionis per dominos precognitores huius sacri concilii priori de Latis alias facte procedere possit, placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione notariorum sacri concilii, conquerencium de domino Arelatensi, placuit quod dominus decanus Compostellanus inquirat causas, quare non sunt admissi, et referat.

Super supplicacione Johannis de Huepte et Nuni[a] Aluari, petencium committi domino episcopo Conchensi, ut pro extinctione litis recipiat resignacionem causa permutacionis etc., placuit supplicacio in forma.

Super supplicacione domini Anthonii de Bernuciis, petentis committi alicui in partibus, qui de causis et racionibus contentis in instrumento cuiusdam investiture sibi facte per dominum Nicolaum abbatem Fontisuiui Parmensis diocesis [se informet], et si contenta in supplicacione repererit fore vera, eandem investituram approbet et confirmet etc.: placuit deliberacio sacre deputacionis pacis in forma.

Super supplicacione procuratoris fiscalis contra Fructusmontes, qui in curia Romana fuit promotor contra aliqua supposita sacri concilii, placuit quod domini Lugdunensis archiepiscopus et decanus Compostellanus cum reverendissimo domino legato et aliis dominis deputatis aliarum deputacionum videant de provisione et super omnibus contentis in eadem supplicacione et concludant.

Super supplicacione ipsius procuratoris, petentis requiri ex parte sacri concilii et ortari reverendissimum dominum cardinalem de Columpna, ut non recedat, hec materia commissa fuit dominis Lugdunensi et decano Compostellano[b], qui cum deputatis aliarum deputacionum requirant et rogent dictum cardinalem, ut non recedat a sacro concilio etc.

Super supplicacione prioris et conventus religionis Celestinorum in Auinione existencium, concernente fratrem Guidonem Boissardi, qui petit

[a]) Nucii *P.* [b]) Compostellanus *P.*

dispensari super irregularitate etc. et quod possit promoveri ad sacros ordines etc., placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Placuit quod domini Hugo Barardi promotor et Johannes Spaserii procurator fiscalis adeant dominum legatum, ipsum rogando, ut circa vocacionem dominorum prelatorum absencium dignetur attendere, et si non possit vacare, quod eligatur unus alius loco sui, qui huiusmodi vacet negocio.

Supplicaciones infrascripte matrimoniales sunt expedite et commisse domino legato, ut cum supplicantibus dispenset auctoritate sacri concilii ut petitur.

Et primo supplicacio Theoderici Kemer et Hille eius uxoris Coloniensis diocesis super cognacione spirituali.

Supplicacio Johannis Kenenesone et Hille coniugum Coloniensis diocesis super iiij^{to} gradu affinitatis.

Supplicacio Guillermi de Sanctis et Marie filie Johannis Mallart Morinensis diocesis, non obstante iij^{o} gradu consanguinitatis, in quo Johanna filia Alexandri de le Barre, ex qua dictus exponens prolem genuit, et Maria se attingunt.

Supplicacio Johannis de le Ruelle et Marie de Santunes Morinensis diocesis, non obstante impedimento [spiritualis] cognacionis. [a)]

Supplicacio Johannis de Villageis et Petronille Auberti Nannetensis diocesis, non obstante cognacione spirituali.

Supplicacio Herboldi de Berstad et Alheudis Maguntinensis diocesis, non obstante impedimento cognacionis spiritualis.

Supplicacio Hermanni Klentzer et Gutte Gutzonis Padeburnensis diocesis, non obstante impedimento spiritualis cognacionis.

Supplicacio illustris Enerwini comitis de Bennthem et Susberte Otonis Monasteriensis diocesis, non obstante quarto gradu affinitatis.

Supplicacio Egidii Ysen et Aleudis eius uxoris, non obstante quarto gradu consanguinitatis.

Supplicacio Hermanni de Zuer et Fye filie quondam Hermanni Stellmok Traiectensis diocesis, non obstante quarto gradu consanguinitatis.

Supplicacio Guillermi Piedeuache et Philippe Thomas Maclouiensis diocesis super iij^{o} et iiij^{to} gradibus consanguinitatis.

Supplicacio Conrardi Wisscher de Yotishassen et Righe mulieris Constanciensis diocesis, qui fuerunt in matrimonio per xxx annos, non obstante iiij^{to} gradu consanguinitatis.

Supplicacio Johannis de Ghale et Beatricis filie Johannis Colenerens Leodiensis diocesis, petencium dispensari super impedimento consanguini-

[a)] cognicionis *P.*

tatis in iiij^to^ gradu, commissa fuit dicto domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset ut petitur.

Supplicacio Henrrici Goten et Catherine de Scolen laicorum Leodiensis diocesis, non obstante quod dicta Catherina et Margarita[a)] Calsterem, cum qua alias idem H[enrricus] matrimonium contraxit, se attingunt in tercio gradu consanguinitatis, similiter fuit commissa.

Adidem de supplicacione Johannis Brestvelt et Melthuldis Vadeyberghe, non obstante simili impedimento, similiter fuit commissa domino legato.

Similiter supplicacio Johannis Mutonis et Orrie Cenomanensis [diocesis], qui iam contraxerunt et prolem procrearunt in iij° gradu consanguinitatis.

Super supplicacione ‹dominorum ambassiatorum serenissimi domini Karoli regis Francie, concernente concordata inter felicis recordacionis dominum[b)] Martinum papam quintum et ipsum christianissimum dominum regem, videlicet quod cause concernentes ipsa concordata propter advocacionem generalem non advocentur nec sub huiusmodi advocacione fuisse comprehensas, sed apud reverendissimum dominum cardinalem Arelatensem iudicem causarum predictarum remanere debere: placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Supplicacio Petri de Hegunhen laici Basiliensis, petentis quod dominus cantor Leodiensis, cui est commissa causa inter ipsum et quendam Wernlinum de Hegnheim eciam laicum dicte diocesis, in qua processum est usque ad conclusionem et registrum visum, non obstante dissensu partis adverse, in hac causa de consensu dominorum de rota sentenciam ferre possit etc., placuit in forma.

Supplicacio illustris domini Johannis lantgravii in Leutchemberg et Johannis Furter prepositi ex una contra reverendum patrem dominum Leonardum episcopum Patauiensem ac dominum Sezel comitem de Ottemberg reos de et super appropriacione monasterii S. Osvaldi etc., petencium per dominum Anthonium de Bernuciis pronunciari, non obstante dissensu dictorum episcopi et Ezel comitis etc.: placuit in forma.

Super supplicacione Luberti Rosmit ex soluto et soluta geniti, qui sub eadem data diversas a sede apostolica de dispensando commissiones a sede apostolica in forma consueta impetravit et earum vigore plura beneficia assequtus est, petentis ut perinde habeatur ac si secum vigore litterarum, in quibus scolaris dicebatur, dispensatum fuisset etc.: placuit huiusmodi supplicacio, absque tamen preiudicio iuris cuiuscunque.

Super supplicacione Johannis Clerici diaconi rectoris porrochialis ecclesie S. Sepulcri in opido Montisdesiderii Ambianensis diocesis, pe-

[a)] *folgt sinnlos* eandem *P.* [b)] et dominum *P.*

tentis dispensari de non promovendo ad presbiteratus ordinem, donec ipse, qui cum domino archidiacono Metensi magistro suo ad dietam Attrebatensem pro pace regni Francie indictam ivit, ad hoc sacrum concilium reverteretur, aut saltim usque ad iiij^{or} tempora proxima post festum beati Luce[1]: placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Dominus Lambertus Wigler procurator domini Rodolphi episcopi Traiectensis peciit sibi deputari pro iudice loco dominorum commissariorum absencium unum ex confidentibus per eum nominatis.

Super supplicacione Willermi Bordesay, Johannis Thopelif, petencium dispensari, ut possint promoveri ad omnes sacros ordines, non obstante quod sint in xxj^{o} sue etatis anno, placuit huiusmodi supplicacio, dumtamen ad hoc ydonei reperiantur.

Die veneris prima iulii in deputacione pro communibus pro presidente fuit deputatus dominus Niuernensis.

Pro xij^{cim} fuerunt deputati domini episcopus Pargamensis et scolasticus Lubicensis et continuatus dominus scolasticus Seguntinus.

Ad evitandum multas falsitates et scandala, que sepius procedunt ex bulla, placuit quod de qualibet deputacione eligatur unus, qui quatuor insimul eligant unum solum notabilem prelatum aut alium probum virum pro custode clavis ipsius bulle, et hoc solum pro uno mense. Et pro ista deputacione electus fuit dominus episcopus Lausanensis, qui iuravit.

Item placuit quod domini habentes claves eiusdem bulle hodie conveniant hora secunda post meridiem ad bullandum et expediendum quasdam bullas pro factis concilii neccessario expediendas.

Pro referendario supplicacionum fuit deputatus dominus Johannes Tinelli.

Domini ambassiatores illustris domini[i] Venetorum venerunt ad deputaciones, narrantes se prescivisse, quod dominus patriarcha Aquilegiensis quandam supplicacionem exhorbitantem a iure presentare intendebat; et idcirco dixerunt eandem supplicacionem non esse exaudiendam, quoniam ipse dominus patriarcha recessit a voto dominorum referencium per huiusmodi supplicacionem. Item dixerunt, quod domini commissarii erraverunt in eorum relacione in facto, et idcirco pecierunt deputari unum vel duos, coram quibus debeant hodie per totam diem allegare et ostendere illos errores, et referant in deputacione. Ac alia dixerunt et fecerunt et protestati fuerunt, prout in cedula, quam dixit se daturum.

Dominus Franciscus de Bossis advocatus domini patriarche, presente eodem domino patriarcha, produxit quandam supplicacionem, qua

[1] *Oktober 18.*

producta ipsi domini oratores protestati fuerunt, quod per huiusmodi supplicacionem productam de novo dictus dominus patriarcha recessit a prima supplicacione.

Dominus Franciscus ad proposita per eosdem dominos ambassiatores respondit et inter cetera dixit, quod ipse credit, quod per relacionem dominorum referencium nullum ius acquiritur domino patriarche. Conclusit idem dominus Franciscus, quod supplicacio per eum porrecta est iusta sancta et honesta, quoniam per supplicacionem non petit, nisi quod super liquidato pronuncietur.

Dominus decanus Compostellanus unus ex dominis commissariis referentibus respondit ad allegata per dictos dominos commissarios super erroribus in facto etc., presente reverendissimo domino Lugdunensi et de suo consensu.

Et tandem post plures altercaciones, quia dominus Johannes Francisci allegavit quoddam instrumentum productum per dominum Franciscum de Bossis fuisse, et obtulit se inscribere, et tandem verbo se inscripsit idem dominus Johannes Francisci, concludens iuxta peticionem suam primam, quod dentur deputati prout supra.[a)]

Dominus Franciscus de Bossis produxit copiam instrumenti per eum alias in generali congregacione productam, signatam per E[rardum] Rousselli.

Super supplicacione domini Mathie episcopi Wilnensis, petentis absolvi a iuramento per eum prestito de visitando limina apostolorum de biennio in biennium et dispensari cum eo, ex eo quia iam per quadriennium non visitavit, placuit et admissa fuit in forma. Item similiter fuit concessum pro dominis prelatis in concilio presentibus.

Super supplicacione Johannis Studer plebani opidi Padensis Constanciensis diocesis, petentis quod loco dominorum archiepiscopi Cretensis absentis et Auximani episcopi iudicum in causa inter ipsum et quendam Leonardum Riser eidem domino Auximano episcopo soli committatur[b)] huiusmodi causa audienda et terminanda: placuit huiusmodi suplicacio ut petitur.

Super supplicacione trium rusticorum pauperum, qui ignoranter contraxerunt duo in tercio et quarto gradibus consanguinitatis, alter prius cognovit consanguineam sue uxoris, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum ipsis rusticis dispenset, prout sibi videbitur.

Super supplicacione Pauli Bernd et Katherine relicte quondam Nicolai Sculteti laicorum Brandeburgensis diocesis, petencium secum dis-

[a)] *hier scheint ein Satzteil zu fehlen.* [b)] committantur *P.*

pensari super cognacione spirituali, placuit et commissum fuit domino legato, ut dispenset auctoritate concilii, prout sibi videbitur.

Productis certis avisamentis, que dicebantur de xij^{cim}, de tollendis commendis et reservacionibus etc., dominus Niuernensis, qui tempore confectionis eorundem erat presidens inter ipsos dominos xij, protestatus est, quod non fuit presens in conficiendo huiusmodi avisamenta.

Quo ad supplicacionem domini patriarche placuit, quod committatur reverendissimo domino legato, episcopo Lubicensi et Walramo de Moersa electo Traiectensi, qui cum dominis deputatis aliarum deputacionum habeant tractare de concordia cum partibus, et si possit fieri concordia, feratur eciam cum concordia sentencia.

Super supplicacione domini Rabani archiepiscopi Treuerensis, petentis committi reverendissimis dominis cardinalibus legato et Arelatensi et precognitoribus, qui prouideant contra adversarios suos in ecclesia Treuerensi intrusos, placuit huiusmodi supplicacio in forma, ita tamen quod si dictus dominus legatus nolit vel non possit in huiusmodi materia vacare, alii domini sine ipso possint vacare.

Super supplicacione domini Johannis episcopi Gurcensis, petentis reici appellacionem interiectam pro parte domini Laurencii, et quod execucio sentencie pro eo late non impediatur, placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Dominus abbas Clareuallis obtinuit licenciam a sacra deputacione pro sex mensibus.

Placuit quod pro pace regni Francie lune proxime futura celebretur una solemnis missa in ecclesia cathedrali Basiliensi.

Ad instanciam nacionis Germanice placuit eidem deputacioni, quod hodie celebrentur vespere solemnes ob reverenciam festi Visitacionis beate Marie virginis, quod ipsi Germani colunt.

Super supplicacione Johannis Henkart et Aelidis mulieris Leodiensis diocesis, cuius Johannis prima uxor eidem Aelidi in tercio gradu consanguinitatis attingebat, petencium dispensari super matrimonio iam contracto et prole subsequta, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum eisdem supplicantibus auctoritate sacri concilii dispenset, prout sibi videbitur.

Eadem die veneris prima iulii fuerunt vespere solemnes in honorem Visitacionis beate Marie virginis.

Sabbati sequenti celebravit missam solemnem dominus episcopus Gurcensis in loco sessionis.

Die lune IIII^{ta} mensis iulii pro pace regni Francie fuit celebrata missa solemnis.

Die martis V^ta^ eiusdem mensis hora xj^a^ vel circa fuit suspensus unus Judeus per pedes et unus canis iuxta eum, hora vero ix^a^ vel circa de nocte, ipso adhuc pendente in patibulo et humiliter petente, fuit baptizatus et canis remotus.

Die mercurii VI^a^ mensis iulii ex parte deputacionis pro communibus fuerunt missi ad consulatum civitatis Basiliensis domini archiepiscopus Lugdunensis, episcopus Lubicensis, abbas de Chereto et decanus Compostellanus ad requirendum ipsum consulatum, ut intuitu fidei velint donare sacro concilio eius mortem, et quod ipse liberetur. Quod post aliquas difficultates obtinuerunt, et circa xj horam fuit desuspensus et a patibulo liberatus vivus et satis incolumis. Qui narravit in patibulo et extra, quod postquam nóminaverat virginem Mariam et se ei commendaverat, nunquam canis eum momorderat, qui prius multas angustias sibi inferebat.

Eadem die mercurii in deputacione pro communibus super supplicacione domini archiepiscopi Turonensis placuit, quod loco dominorum archiepiscopi Tarentini et episcopi Paduani iudicum in causa inter ipsum et capitulum beatissimi Martini Turonensis, qui pro presenti non veniunt ad actus conciliares, fuerunt surrogati domini patriarcha Anthiocenus et episcopus Ebroicensis, et si pars alia velit unum alium vel duos habere, habeat.

Quo ad supplicacionem reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis, concernentem causam inter ipsum et illustre dominium Venetorum motam ultimate producta[m] placuit avisamentum in presenti deputacione sacra nuper deliberatum, ita tamen quod per totum mensem presentem iulii expediatur huiusmodi avisamentum.

Quia plures abusus fiunt tam circa distribuciones quam eciam circa taxaciones bullarum, quia eciam plures scriptores pessime scribunt, dignentur sacre deputaciones aliquos deputare, qui videant de ipsis abusibus tollendis et de moderando numero ipsorum scriptorum saltim male scribencium et aliis ad reformacionem huiusmodi officii concernentibus. Et pro ista deputacione de communibus fuit deputatus dominus episcopus Lausanensis.

Quo ad supplicacionem domini Marsilliensis, petentis surrogari in locum domini cardinalis de Cipro absentis usque ad eius recessum dominum prothonotarium de Yspania, placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Quo ad supplicacionem concernentem concordiam inter reverendissimum dominum cardinalem Rothomagensem archiepiscopum Bisuntinum necnon cives Bisuntinos etc. super confirmacione huiusmodi con-

cordie placuit, quod committatur domino episcopo Ebroicensi et domino H[enrico] Rascop, qui videant et expediant iuxta formam et stilum cancellarie etc.

Lecte fuerunt littere vicarii notarii et procuratoris curie episcopalis Basiliensis, concernentes iniurias factas sacro concilio in personam soldani, petencium salvumconductum, ut possint venire ad causam contra eorum personam propter huiusmodi iniurias motam etc.

Quibus lectis et habita super eisdem deliberacione, placuit quod huiusmodi littere portentur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum aliis dominis iudicibus in hac causa deputatis provideant, prout sibi videbitur.

Quo ad materiam provisionis domini nostri pape et dominorum cardinalium et aliorum prelatorum gravatorum ex decreto annatarum etc. placuit, quod domini alias deputati necnon domini N[icolaus] Gehe, magister T[homas] Francisci, vicedominus Monasteriensis et scolasticus Lubicensis habeant videre de modo provisionis fiende et referant.

Placuit quod domini deputati in materia Grecorum hodie hora iij[a] conveniant cum reverendissimis dominis cardinalibus legato et Arelatensi ad videndum de satisfactione fienda domino episcopo Sudensi super expensis per eum factis in viagio per ipsum ad Greciam facto.

Item placuit quod dominus auditor camere seu eius locumtenens supersedeat de procedendo contra eundem dominum Sudensem in causa mota contra eum ad instanciam cuiusdam campsoris usque ad xv dies.

In causa Maclouiensi de consensu parcium fuit surrogatus loco domini episcopi Placentini dominus archiepiscopus Mediolanensis.

Die iovis VII[a] iulii M°CCCC°xxxv° in deputacione pro communibus super supplicacione Johannis de Dolen militaris, petentis quod ad duo simplicia beneficia, uno videlicet ad altare beate Marie Magdalene et alio ad S. Georgii martiris sitis in Tabartensi ecclesia, ad que ius presentandi habet, [ipse] et sui heredes possint interdum pauperes clericos presentare, ita quod superiores clericos ipsos in beneficiis ipsis nisi tunc teneantur [a)], statutis dicte ecclesie non obstantibus: placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super peticione pro parte reverendissimi domini Rabani archiepiscopi Treuerensis facta placuit, quod in causa Treuerensi possit procedi per edictum contra rebelles et inobedientes mandatis apostolicis et huius sacre synodi.

Super supplicacione domini Florii de Pindamontibus, petentis causam coram domino scolastico Andegauensi pendentem inter ipsum et

[a]) *so P.*

quendam Angelum Bono advocari et ad partes remitti, attento quod neuter ipsorum est huic sacro concilio incorporatus, placuit huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Lecta deliberacione sacre deputacionis fidei in causa patriarchatus Aquilegiensis die mercurii vj^{a} iulii habita, per Johannem Dieulefist signata, dominus abbas de Verona protestatus fuit, quod domini de illa sacra deputacione fidei non sic deliberarunt, subiungens quod notarii eiusdem deputacionis sunt contrarii in huiusmodi deliberacione.

Super peticione domini episcopi Lausanensis placuit, quod domini Auximanus episcopus et prepositus Januensis tempore absencie dominorum Bellicensis et Albinganensis ad hoc alias deputatorum videant compota sua et aliorum, qui fuerunt in ambassiatis pro sacro concilio et pecunias suas sacro concilio exposuerunt, et eisdem assignaciones debitas faciant.

Super supplicacione domini Karoli de Teruisio in causa per eum mota contra dominum episcopum Posnaniensem placuit huiusmodi supplicacio in forma.

In causa Aquilegiensi placuit maiori parti dominorum avisamentum sacre deputacionis fidei, quod sequitur: Die mercurii vj^{a} iulii anno Domini M^{o}iiij^{c}xxxv^{o} in sacra deputacione fidei super propositis et supplicatis pro parte reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis et ambassiatorum Venetorum placuit iuxta avisamentum dominorum de deputacione pro communibus, quod concordia tractetur per totum istum mensem; et pro ista deputacione deputatus est dominus cardinalis Arelatensis; quo mense pendente prefati domini ambassiatores Venetorum possint et valeant coram reverendissimis patribus dominis Lugdunensi et Turonensi ac venerabili et egregio viro domino decano Compostellano primis commissariis et qui iam fecerunt relacionem ostendere errores consistentes in facto, quos pretendunt esse factos coram eisdem, necnon quecunque alia iura producere, non obstante relacione iam facta et absencia reverendissimi domini cardinalis de Cipro alterius commissariorum. Demum predicti domini commissarii, prefatis ambassiatoribus auditis in dictis erroribus et iuribus productis eorum, habeant referre in congregacione, et demum sive cum concordia sive non feratur sentencia lapso presenti mense.

Super supplicacione domini Francisci de la Cruce primicerii ecclesie Mediolanensis, petentis posse resignare beneficia sua in manibus legatorum de latere vel cuiuslibet sui ordinarii, non obstante quod sit abreviator etc., placuit et concessa est huiusmodi supplicacio ut petitur.

Super supplicacione eiusdem, petentis supprimi tres aut plures canonicatus et prebendas in ecclecia S. Genezii de Dayrago, quousque saltim

ex redditibus ipsorum canonicatuum et prebendarum extinguendorum communis mensa capitularis fuerit constituta in redditibus LX^ta^ florenorum auri de camera annuatim pro duobus saltem canonicis aut capellanis inibi residenciam facturis: placuit huiusmodi supplicacio in forma et commissa fuit domino archiepiscopo Mediolanensi vocatis vocandis.

Super supplicacionibus in causa ecclesie Maclouiensis hincinde datis, scrutatis votis singulorum dominorum, placuit maiori parti, quod committatur et commissum fuit reverendissimo domino cardinali legato, qui vocatis et auditis partibus hincinde cognoscat de causis et suspicionibus, quas partes ipse hincinde dicere et allegare voluerint tam contra dominum Rodulphum quam contra reverendissimum dominum patriarcham Antiocenum, quare non debeant in hac causa esse commissarii.

In causa ecclesie Albiensis scrutatis votis singulorum dominorum placuit maiori parti, quod domini commissarii in hac causa dati decernant remissionem, si et prout de iure eisdem videbitur fiendum.

Super supplicacione Petri de Attrio soldani concilii, petentis disponi et ordinari, quod ipse a camera sacri concilii vel alio quovismodo de salario suo sibi satisfaciat, placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Quo ad supplicacionem fratris Protasii de Riuola ordinis Humiliatorum, petentis declarari minime teneri ad contribucionem fiendam certis prepositis[a)] sui ordinis, attento maxime quod huic sacro concilio est incorporatus et in eodem residet: placuit huiusmodi supplicacio in forma et commissum fuit domino Rodolpho Rudeysem, qui procedat, ut petitur in eadem supplicacione.

Supplicaciones matrimoniales infrascripte commisse fuerunt reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus dispenset auctoritate sacri concilii, prout secundum Deum et consciencium suam sibi videbitur dispensandum.

Et primo supplicacio Johannis Lupsinger de Bloczhem et Nese Neltors [Basiliensis] diocesis, non obstante cognacione spirituali.

Supplicacio Gerardi Alberti et Belle filie Theoderici Truawe coniugum Traiectensis diocesis super matrimonio contracto, non obstante tercio gradu consanguinitatis et affinitatis.

Supplicacio Johannis Maden et Gele Eckelki coniugum de opido Nidensten Maguntine diocesis super matrimonio contracto, non obstante tercio gradu consanguinitatis.

Supplicacio Ottonis Muller laici Augustensis diocesis et Elizabet eius uxoris super matrimonio contracto, non obstante tercio gradu affinitatis.

[a)] propositis *P.*

Supplicacio Achacii de Trybs et Lucie[a] filie Slatoslachii[b] de Lauffen Aquilegiensis diocesis super matrimonio non contracto, non obstante iiij^to^ gradu affinitatis.

Super supplicacione Leonardi Pilakcz de Yban laici et Katherine filie Slemaschach de First Aquilegiensis diocesis super matrimonio non contracto, non obstante iiij^to^ gradu consanguinitatis.

Supplicacio Johannis Werdemberg et Grede Gutzwilr Basiliensis diocesis super matrimonio contracto super impedimento cognacionis spiritualis.

Supplicacio Frederi[ci] Vossel laici Eystetensis et Magarite eius uxoris super matrimonio contracto, non obstante cognacione spirituali.

Supplicacio Leonhardi Pistoris et Catherine Pistoris Eystetensis diocesis super cognacione spirituali.

Supplicacio Hermanni Buppesleson laici et Katherine filie Rodulphi de Vispach Maguntine diocesis super matrimonio contracto, non obstante tercio et [quarto] consanguinitatis gradu etc.

Supplicacio Johannis Pads et Bertrande coniugum Traiectensis diocesis super matrimonio contracto, non obstante tercio et quarto consanguinitatis gradibus.

Supplicacio Arnoldi Comitis et Elizabet Connemberchs coniugum Leodiensis diocesis super iiij^to^ gradu consanguinitatis.

Supplicacio Nicolai Gredens et Elizabeth de Male coniugum Leodiensis diocesis super matrimonio scienter, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Supplicacio Andree Honnd et Elizabet filie Conrrardi Abkensz Vormaciensis diocesis super matrimonio clandestine celebrato, non obstante tercio vel iiij^to^ gradu affinitatis.

Supplicacio Ztelai Ludebana et Ywolee Trammana Monasteriensis diocesis super matrimonio contracto super cognacione spirituali.

Supplicacio Johannis de Brannilla et Agnetis mulieris Mediolanensis super ij^o^ et iij^o^ affinitatis gradu etc. in matrimonio iam contracto.

Dominus Lambertus Wigher procurator domini R[odolphi] episcopi Traiectensis peciit sibi dari iudices in causa ecclesie Traiectensis partibus non suspectos[c], alioquin protestatus fuit de denegata iusticia et de gravamine.

Super supplicacione Guillermi Vallete Ruthenensis diocesis, petentis committi ordinario, ut constito quod cum Sobeyrana uxore propter impedimentum cognacionis spiritualis et odium inter eos exortum non possit remanere, dispenset cum eodem, ut alibi possit matrimonium con-

[a]) Licie *P.* [b]) Slatoslachiñ *P.* [c]) suspectis *P.*

trahere etc.: placuit quod committatur dicto ordinario, ut constito sibi de assertis procedat ut petitur.

Die veneris VIII[a] mensis iulii M[o]iiij[c]xxxv[o] in congregacione generali, presidente in eadem domino cardinali legato, assistentibus dominis Arelatensi et de Columpna, duobus patriarchis.

Dominus Lubicensis narravit progressum liberacionis Judei suspensi, deinde baptizati et demum post vel circa diem naturalem, qua in patibulo pependerat, liberacionem totalem. Narravit igitur primo, quod aliqui primo retulerunt sibi, quod ipse Judeus in patibulo petebat baptizari, et tunc ipse unum notabilem virum misit, qui ad patibulum accessit et incepit cum eodem loqui de fide christiana, sine qua non est salus, et tandem abnegata heresi et ipso aliquantulum, quantum tempus paciebatur, de fide catholica instructo, ipse baptizatus fuit. Narravit preterea, quod de mane reverendissimus dominus legatus misit ad sacram deputacionem de communibus et ad ipsum dominum Lubicensem, ut ire vellet ad consulatum ad rogandum ex parte sacri concilii pro liberacione ipsius Judei; et tunc domini Lugdunensis, ipse dominus Lubicensis, abbas de Cherreto et decanus Compostellanus iverunt ad dictum consulatum et tandem obtinuerunt liberacionem. Narravit preterea, quod ille qui eum baptizavit retulit, quod postquam invocavit nomen Jhesu Christi et virginis gloriose, nunquam canis, qui cum eo suspensus fuerat, eum momordit, ymo quamprimum fuit baptizatus, rupta fuerunt vincula manuum suarum, adeo quod cum manibus gracias egit domino nostro Jhesu Christo.

Et tunc de mandato sacre congregacionis surrexit in medium ille, qui eundem Judeum baptizaverat, et omnia supradicta narrando confirmavit.

Quibus dictis placuit, quod cras pro graciarum actione domino nostro et gloriose virgini, antequam tenea[n]tur deputaciones, celebretur in loco congregacionis missa solemnis de beata virgine gloriosa, et quod postea ipsi domini, qui alias ad consulatum iverunt pro liberacione supradicta, vadant eciam ad regraciandum eidem consulatui nomine concilii.

Dominus Christoforus ambassiator illustrissimi domini ducis Mediolani excusavit dominum ducem Mediolani de verbis dictis per dominum Symonem de Valle, ut dicebat, in generali congregacione, videlicet quod dominus dux prefatus per suos oratores machinatus fuerat ad interitum summi pontificis, rogans et supplicans quod domini non ponerent in cordibus suis talia verba, offerendo tandem ipsum dominum ducem et bona sua ad beneplacita et mandata sacri concilii.

Dominus Symon de Valle respondit, se non dixisse hec verba eo animo, quo relata sunt, sed quia ludendo dominus Ysidorus de Rosate

dicebat sibi, quod dominium Venetorum erat excommunicatum et interdictum propter patriarcham Aquilegiensem, idcirca talia verba iocose dixerat.

Duo Greci in eadem congregacione constituti narraverunt, se dimisisse uxores filias et bona sua pro fide christiana, offerentes se effundere sanguinem pro ipsa fide catholica. Et postmodum unus ipsorum legit quandam epistolam per eum compositam; petentes tandem eis provideri pro eorum victu, quoniam dicebant, quod dominus noster papa solum de centum ducatis voluerat eis providere; et multa alïa de curia Romana dixerunt. Super quo dominus legatus ortatus est dominos, ut deliberarent in deputacionibus.

More solito incorporati fuerunt magister Robertus Magistri decanus Bituricensis, Johannes Turrandi in decretis licenciatus canonicus ecclesie S. Salvatoris de Yrissione Bituricensis diocesis, frater Johannes de Tingonne prior Belne Eduensis diocesis ordinis S. Benedicti, frater Johannes Nobilis et magister Arnoldus Risi ordinis Augustinensis magister in theologia, dominus A[nthonius] de Bernuciis pro episcopo Vratislauiensi.

Concordata.

Super requesta procuratoris fiscalis, petentis litteras monitorias et in eventum citatorias sub bulla huius sacri concilii sibi decerni contra dominum patriacham Jherosolimitanum et Fructusmonte huic sacro concilio incorporatum, quatenus ipse dominus patriarcha quascunque moniciones citaciones etc. contra scriptores litterarum apostolicarum huic sacro concilio incorporatos revocet et revocacionem huiusmodi sacro concilio notificet etc., ipse Fructusmonte personaliter citetur, visurus ipsum declarari incidisse penas in certo decreto huius sacri concilii contentas etc., prout lacius in ipsa supplicacione petitur et narratur: concordant omnes deputaciones, quod reverendissimi ac reverendi patres domini archiepiscopus Lugdunensis et decanus Compostellanus pro deputacione de communibus, archiepiscopus Rothomagensis et episcopus Lectorensis pro deputacione pacis, patriarcha Anthiocenus et vicarius Frinsingensis pro deputacione reformatorii, Aquensis et Dignensis episcopi pro deputacione fidei, qui cum reverendissimo domino cardinali legato videant de provisione et super omnibus contentis in ipsa supplicacione et concludant.

Super supplicacione reverendissimi domini archiepiscopi Turonensis, petentis in causa, quam habet contra capitulum beatissimi Martini Turonensis, loco reverendissimorum patrum dominorum archiepiscopi Tarentini et episcopi Paduani alios surrogari etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio ut petitur, quodque loco prefatorum dominorum archiepiscopi Tarentini et episcopi Paduani surrogentur reverendissimi patres dominus patriarcha Anthiocenus et episcopus Ebroicensis.

Concordant eciam omnes deputaciones super peticione reverendi patris domini episcopi Lausanensis, quod dominus episcopus Auximanus et prepositus Januensis tempore absencie dominorum Bellicensis et Albinganensis episcoporum videant compota sua et aliorum, qui fuerunt in ambassiatis pro sacro concilio et pecunias suas pro eodem sacro concilio exposuerunt, et eisdem assignaciones debitas faciant.

Super supplicacione reverendi patris domini episcopi Gurcensis, petentis per sacrum concilium decerni et declarari circa appellacionem per partem suam adversam, ut dicitur, a sentencia huius sacri concilii interpositam nullam fuisse ipsosque appellantes tamquam synodo[a] legum prevaricatores fore puniendos: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Roberti translati ad eccleciam Albiensem concordant tres deputaciones, quod domini commissarii in ipsa causa decernant remissionem ad partes, si et prout de iure. Qarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini Henrrici episcopi Tullensis, petentis sibi facultatem concedi visitandi per procuratorem et suos subditos reformandi, concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio secundum iuris disposicionem.

Super supplicacione pro parte reverendissimi domini cardinalis Rothomagensis archiepiscopi Bisuntini et civium civitatis Bisuntine, petencium concordiam inter ipsos factam per hoc sacrum concilium ex certa sciencia confirmari etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendo patri domino episcopo Ebroicensi et H[enrico] Rascop, qui videant et expediant iuxta formam et stilum cancellarie. Illa tamen de fide addidit ipsis duobus dominum electum Albiensem et magistrum R[adulphum] de Porta.

Super supplicacione reverendissimi patris domini Rabani archiepiscopi Treuerensis, petentis committi reverendissimis ac reverendis patribus dominis legato et Arelatensi cardinalibus ac precognitoribus huius sacri concilii, quatenus processum continuent contra dominum Vlricum de Mandescet et alios rebelles etc.: concordant omnes deputaciones, quod committatur prefatis dominis legato et Arelatensi cardinalibus et precognitoribus, eciam cum potestate procedendi per edictum, ita tamen quod si dominus legatus nolit vel non possit vacare, alii domini sine ipso possint procedere.

Super supplicacione domini Petri de Porres archidiaconi de Camazes huic sacro concilio incorporati, petentis certis attestacionibus fidem adhi-

[a]) *so P, lies* synodalium *?*

beri, concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Francisci Delacruce primicerii Mediolanensis, petentis ut sua beneficia in manibus legatorum de latere et ordinariorum simpliciter et ex causa permutacionis resignare possit etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur.

Super alia supplicacione eiusdem, petentis in collegiata ecclesia S. Genesii de Dayrago, in qua ipse est canonicus, aliquos canonicatus cum totidem prebendis, quociens eos vacare contigerit, supprimi et extingui, quousque saltim ex reddi[ti]bus ipsorum canonicatuum et prebendarum sic extinguendorum communis mensa capitularis fuerit constituta pro duobus saltem canonicis aut aliis capellanis ibidem residenciam[a] facturis: concordant omnes deputaciones, quod concedatur ipsa supplicacio ut petitur, et inter alios committatur reverendissimo domino archiepiscopo Mediolanensi vocatis vocandis.

Concordant eciam omnes deputaciones, quod cause concordatorum inter felicis recordacionis dominum Martinum papam quintum et christianissimum regem Francie alias reverendissimo domino cardinali Arelatensi per sacrum concilium commisse remaneant sibi commisse, non obstante generali advocacione causarum ad rotam noviter facta.

Super supplicacione Johannis Studer presbiteri Constanciensis diocesis, petentis causam inter ipsum et quendam Leonardum Riser laicum alias per sacrum concilium dominis archiepiscopo Cretensi et episcopo Auximano commissam ipsi domino Auximano soli propter absenciam archiepiscopi Cretensis etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione prioris et conventus Celestinorum in Auinione, petencium cum fratre Guidone Boissardi ibidem professo super irregularitate dispensari etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur.

Ad idem super supplicacione prioris et conventus Celestinorum S. Anthonii de Ambianis pro fratre Roberto de Masengarbe.

Super supplicacione domini Anthonii de Bernuciis vicarii Parmensis concordant omnes deputaciones, quod committatur dominis abbati S. Martini de Bociis Parmensis diocesis et preposito batisterii Parmensis cum clausula „quod si non omnes“ etc., qui vocatis vocandis procedant confirment et cetera faciant auctoritate sacri concilii, prout in ipsa supplicacione continetur.

[a]) residentibus *P.*

Super supplicacione Johannis Huepte clerici Conchensis diocesis et Nunii Aluari eiusdem diocesis, petencium committi reverendo patri domino episcopo Conchensi, ut lites inter eos extinguat etc., concordant omnes deputaciones, quod de consensu parcium admittatur supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Johannis Mutonis laici et Katherine Orrien mulieris Cenomanensis diocesis coniugum, petencium cum ipsis super impedimento consanguinitatis in iij° et iiij^to^ gradibus dispensari, concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur.

Ad idem super supplicacione Hermanni Klentzer de Twiste laici et Gutte Gutzonis mulieris Padeburnensis diocesis coniugum super cognacione spirituali, quia pater Gutte dictum Hermanum de sacro fonte levavit, concordant tres deputaciones. Illa de pace requisita non deliberavit.

Ad idem super supplicacione Herboldi de Berstad laici et Alhedis mulieris coniugum Maguntine diocesis super cognacione spirituali, quia pater Alheudis dictum Herboldum de sacro fonte levavit, concordant tres deputaciones. De pace requisita non deliberavit.

Ad idem super supplicacione Johannis de Villageis et Petronille Auberti coniugum Nannetensis diocesis super cognacione spirituali, quia mater Johannis Petronillam de sacro fonte levavit, omnes concordant.

Super supplicacione Johannis Lupsinger de Bloczheim laici et Nose Notters coniugum Basiliensis diocesis super cognacione spirituali, quia mater Johannis predictam Nosam de sacro fonte levavit, omnes concordant, ut proxime supra.

Ad idem super supplicacione Johannis Verdemberg de Magstart laici et Grede de Gultwil mulieris Basiliensis diocesis super cognacione spirituali, quia pater Grede ipsum Johannem de sacro fonte levavit, omnes concordant.

Ad idem super supplicacione Acharii de Trybs laici et Lucie filie Slatolaschii[a)] de Lavffen mulieris Aquilegiensis diocesis super iiij^to^ affinitatis gradu, quia Lucia per alium virum ipsi Achaio iiij^to^ consanguinitatis attinentem cognita carnaliter fuerat, concordant omnes.

Ad idem super supplicacione Leonardi Pylilicz de Yvan laici et Katherine filie Slemachik de Frist mulieris coniugum Aquilegiensis diocesis super iiij^to^ affinitatis gradu; et ipsa Katherina prius carnalitate cognita fuerat per alium virum ipsi Leonardo in iiij^to^ consanguinitatis gradu attinentem.

[a)] Slatolaschn̄ *P.*

Ad idem super supplicacione Barwoudi Monick et Elizabet filie Johannis Petri super affinitate in 3 gradu, quia ipse Barwoudus Margaretam et Elizabet filias[a] Petri Detter ipsi Elizabeth in iij° et iiij^to^ consanguinitatis gradu attinentes[b] carnaliter cognovit, omnes concordant.

Ad idem super supplicacione Hermanni Buppelson laici et Katherine filie Rodolphi de Wispac mulieris coniugum Maguntine diocesis super iij° affinitatis gradu, quia uxor Hermanni ipsi Katherine in iij° consanguinitatis gradu attinebat, concordant tres deputaciones. De pace requisita non deliberavit.

Ad idem super supplicacione Theoderici Kemer laici et Hille coniugum Coloniensis diocesis super cognacione spirituali, quia pater Hille levavit ipsi Theoderico unam prolem de sacro fonte, omnes concordant.

Ad idem super supplicacione Hildebrandi Velkinclusen laici et Godeleruberti Calues mulieris civium Tarbatensium super iiij^to^ affinitatis gradu, volunt contrahere, omnes concordant.

Ad idem super supplicacione Andree Hund laici et Elizabeth filie Conrardi Ablinsz coniugum Vormaciensis diocesis super impedimento affinitatis in iij° et quarto gradibus ex utraque parte omnes concordant.

Ad idem super supplicacione Colardi de Fontanis laici et Johanne relicte quondam Johannis le Leu coniugum Ambianensis diocesis super iiij^to^ affinitatis gradu, quod Johanna prima uxor Colardi ipsi Johanne secunde uxori in iiij^to^ consanguinitatis gradu attinebat, omnes concordant.

Ad idem super supplicacione Johannis Henkar laici et Aelidis mulieris coniugum Leodiensis diocesis super iij° affinitatis gradu, quia prima uxor Johannis ipsi Aelidi in iij° gradu consanguinitatis[c] attinebat, ignoranter contraxerunt, omnes concordant.

Ad idem super supplicacione Johannis de le Ruelle et Marie de Santunes coniugum Morinensis diocesis super cognacione spirituali, quia ipse Johannes iam pridem ad instanciam nobilis viri Walrandi de Dampierre prolem eiusdem Marie de sacro fonte levavit, tres concordant, de fide requisita non deliberavit.

Ad idem super supplicacione Guillermi de Sanctis clerici et Marie filie Johannis Mallart Morinensis diocesis, desiderant contrahere, obstat impedimentum affinitatis in iij° gradu, quia ipse Guillermus quandam Johannam filiam Alexandri de le Bare dicte diocesis eidem Marie in iij° consanguinitatis gradu attinentem[d], tres concordant, de fide requisita non deliberavit.

In facto ecclesie Aquilegiensis super supplicacione reverendissimi domini patriarche concordant omnes deputaciones, quod tractetur con-

[a]) M'g. et Eliz. filie *P.* [b]) attinen̄ *P.* [c]) *folgt* gradu *P.* [d]) *ergänze* carnaliter cognovit.

cordia per totum mensem, et si fieri possit concordia, feratur sentencia cum concordia. Et ad hoc deputati fuerunt reverendissimi ac reverendi patres domini cardinalis legatus, episcopus Lubicensis et Walramus de Moersa postulatus Traiectensis nominati per deputacionem de communibus, cardinalis Arelatensis per deputacionem fidei, patriarcha Anthiocenus et episcopus Gurcensis per deputacionem reformatorii et episcopus Lectorensis per deputacionem pacis. Quo mense pendente domini [ambassiatores] Venetorum possint et valeant coram reverendissimis patribus dominis Lugdunensi et Turonensi archiepiscopis ac decano Compostellano primis commissariis, et qui iam fecerunt relacionem, ostendere errores consistentes in facto, quos pretendunt[a] esse factos coram eisdem, et alia quecunque iura producere, non obstante relacione facta et absencia reverendissimi domini cardinalis de Cipro, quibus auditis referant in generali cogregacione, et demum lapso mense, si non fuerit concordia, feratur nichilominus sentencia. Sacra deputacio reformatorii adiunxit cum dominis relatoribus eosdem suos deputatos pro concordia tractanda, eciam ad audiendum errores facti. Sed quia domini xij^{cim} ambiguunt alias sacras deputaciones velle eciam suos deputatos pro concordia tractanda concurrere cum dominis relatoribus super erroribus audiendis, sicut fecit illa de reformatorio, ideo eisdem dominis xij consultum videtur, quod sacrum concilium super hoc se declaret.

Lectis huiusmodi concordatis, reverendissimus dominus cardinalis legatus more solito iuxta huiusmodi concordata et deliberaciones trium sacrarum deputacionum concorditer deliberancium conclusit.

Lecte fuerunt littere missive per dominum Johannem de Polomar reverendissimo domino cardinali legato super novis Boemicalibus, videlicet quod fideles obtinuerunt opidum de Colonia et certa alia castra.

Item lecte fuerunt littere civium Bisuntinensium super concordia facta inter eos et reverendissimum dominum cardinalem legatum[b] et archiepiscopum Bisuntinensem.

Item lecte fuerunt littere marchionis Misnensis super remissione cuiusdam cause prophane.

Item littere officialium domini episcopi Basiliensis, concernentes causam iniuriarum illatarum per eosdem in personam soldani.

Quibus lectis procurator fiscalis narravit omnia perpetrata per ipsos delatos scribentes et repeciit litteras predictas ut premittitur lectas, si et nquantum faciunt pro se et contra dictos delatos.

Lecte fuerunt littere concernentes dominum Lausanensem et contra eum ex parte ducis Sabaudie.

[a]) pretendant *P.* [b]) *so P, lies* Rothomagensem.

Item littere imperatoris concernentes captivacionem Johannis de Orland.

Die sabbati IX[a] non fuerunt deputaciones, sed convenerunt domini deputati in materia provisionis domini nostri pape et dominorum cardinalium etc.

Dominica sequenti celebravit missam dominus episcopus Massiliensis.

Lune non fuerunt deputaciones causa qua supra.

Martis fuit missa solemnis pro pace regni Francie.

Mercurii XIII[a] eiusdem mensis iulii fuit festum S. Henrici fundatoris ecclesie Basiliensis, in qua celebrata fuit missa solemnis per dominum episcopum Gurcensem.

Die iovis XIIII[a] mensis iulii in deputacione pro communibus super supplicacione concernente confirmacionem certorum bonorum venditorum hospitali opidi Repersterk Constanciensis diocesis, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii confirmet, prout sibi videtur.

Super supplicacionibus Johannis de Breu civis Valentinensis provincie Viennensis, petentis pro se et fideiussoribus suis terminum quinquennii et sommam L ducatorum converti ad opus Grecorum loco peregrinacionis S. Sepulcri, placuit quod committatur reverendissimo domino archiepiscopo Lugdunensi, qui se de contentis in eisdem supplicacionibus informet et provideat et dispenset cum supplicantibus convertique mandet in pios usus, maxime in facto Grecorum, prout sibi videbitur.

Super supplicacione Danielis Fabri clerici Cameracensis diocesis, concernente nullitatem sui processus, placuit huiusmodi supplicacio et concessa est in forma, sine tamen preiudicio partis adverse quo ad expensas propterea per ipsam aliam partem factas.

Super supplicacione domini episcopi Patauiensis et illustris domini comitis de Ortemberg ex una et nobilem Johannem lantgravium in Leutemberg et fratrem Johannem Furter etc., placuit quod domini Gurcensis et Raymundus Taloni iudices sacri concilii unacum domino Anthonio de Bernuciis huiusmodi causam in rota terminent.

Supplicacio Ade Nicolai de Chygnon Argentinensis[a)] diocesis, qui in pluribus annis monasterium beate Marie domus Theutonicorum intravit et deinde parentum suorum imperio professionem emisit, commissa extitit

[a)] Argen̄ *P.*

domino abbati de Chereto, qui secundum Deum et conscienciam suam in huiusmodi materia cum supplicante dispenset et procedat, prout sibi visum fuerit expedire.

In causa ecclesie Lausanensis placuit, quod per sacrum concilium reiciatur appellacio interiecta per dominum Johannem de Prangino, capitulum et clerum civitatis et diocesis Lausanensium a sentencia lata per sacrum concilium pro domino L[udouico] episcopo Lausanensi et contra dominum Johannem de Prangino super dicta ecclesia.

Super supplicacione domine Annete abbatisse monasterii Eslacie ordinis Cisterciensis Claromontensis diocesis, petentis ex eo quia ordinarius recusat seu differt, petentis per alium quam ordinarium per eam eligendum munus consecracionis sibi impertiri in partibus, placuit et admissa fuit huismodi supplicacio in forma, sine tamen preiudicio ordinarii et iuris alieni.

In causa ecclesie Massiliensis placuit, quod quo ad ferendum sentenciam dominus episcopus Lausanensis adiungatur reverendo domino prothonotario, qui simul ad eandem sentenciam ferendam procedant.

Super supplicacione Johannis Sansonis et Guillemette Pinelle Turonensis diocesis, petencium secum dispensari super matrimonio contracto et procreata prole, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur.

Super supplicacionibus decani et capituli ecclesie S. Patrocli[a)], petencium confirmaciones etc. vicarie per canonicum eiusdem ecclesie etc., placuit in forma.

Super supplicacione domini abbatis electi Maclouiensis, petentis declarari dominum Petrum episcopum Maclouiensem incidisse penas in instrumento inhibicionis contentas et sibi dari iudices super attemptatis, placuit quod dominus episcopus Pargamensis audiat partes hincinde et referat in deputacione.

Super supplicacione mei Thome Chesneloti, petentis posse de notis magistri Petri Bruneti notarii sacri concilii, cuius protocolla et note penes me existunt, ad opus quorum interest conficere subscribere et signare instrumenta etc., placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Supplicacio domini episcopi Glasguensis, petentis quedam honorem et salutem ipsius ac utilitatem ecclesie sue concernencia committi reverendissimis dominis cardinalibus legato et Arelatensi cum potestate providendi etc., placuit in forma, ita tamen quod ipsi domini rogent et efficaciter exhortentur dictum dominum Glasguensem, ut non recedat ab hoc sacro concilio.

a) Patrochi *P.*

Dominus Johannes Hulpsen plebanus ecclesie S. Odlrici Brunswicensis Hildeshemensis diocesis obtinuit licenciam recedendi ad partes.

Die veneris XV[a] mensis iulii in sacra deputacione pro communibus super supplicacione Hugonini Brandini alias Mermei parroci[a)] de Aquis Gracionopolitane diocesis super matrimonio contrahendo cum Johanneta filia Petri Gaillardi, non obstante impedimento cognacionis spiritualis, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicante dispenset ut petitur.

Quo ad avisamentum dominorum de sacra deputacione reformatorii contra inpetrantes beneficia incorporatorum sacro concilio vel alias eosdem molestantes, placuit avisamentum in forma, et alias extendatur ad decreta „Ambiciosorum“ et „Ut sacri“,[1] eciam ad dantes et recipientes.

Super primo avisamento dominorum de xij, quod reverendissimi domini legatus et Arelatensis cardinales expediant litteras opportunas collectoribus apostolicis pro habendis pecuniis ad satisfaciendum dominis prelatis et aliis, qui mutuaverunt pro facto Grecorum etc., placuit quod scribant dictis collectoribus, sed de pecuniis ab eis recipiendis satisfaciant inclite nacioni Germanice de pecuniis per ipsam inclitam nacionem in huiusmodi facto Grecorum mutuatis.

Super secundo avisamento dominorum de xij, videlicet quod iniungatur dominis prelatis in concilio existentibus, attento quod est eis concessum ut possint visitare per procuratores, quod debeant remanere, alioquin ea que a procuratoribus receperint tradant ad opus Grecorum, fuerunt facta avisamenta sequencia:

Quia nuper concessum est dominis prelatis in concilio sacro presentibus, ut possint visitare per procuratores, et forsan aliqui domini metropolitani possent intelligere, quod possent eciam suas provincias per procuratores visitare, sacra deputacio pro communibus declarat, mentem eiusdem deputacionis non fuisse nec esse, quod predicti domini metropolitani provincias visitent, sed solum suas dioceses, per huiusmodi procuratores.

Item videtur eidem sacre deputacioni, quod domini prelati non debeant recipere a subditis in sacro concilio existentibus racione visitacionis nisi solum victum et non ultra.

Item quod domini prelati recipiendo litteras super huiusmodi concessione iurent, quod remanebunt in concilio per unum annum, alioquin restituant illud quod ex huiusmodi visitacione per procuratores a suis subditis receperint et que iam habuerunt ad restituendum compellendo, ad opus Grecorum.

[a)] perroci *oder* parroci *P.*

[1] *Vgl. S. 304.*

Super tercio avisamento dominorum de xij^{cim} de clericis tonsuram publice deferentibus, qui carceribus mancipantur per satalites civitatis, placuit quod de qualibet deputacione deputetur unus, qui vadant ad consulatum civitatis ad requirendum ipsos, quatenus tales non permittant carceribus civitatis mancipari, sed remitti mandent domino auditori camere vel ducant ad carceres soldani. Et pro hac deputacione electus fuit reverendissimus dominus Lugdunensis.

Super iiij^{to} avisamento, continente quod presbiteri vel in sacris ordinibus constituti non debeant scribere in causis, non placuit huiusmodi avisamentum pro presenti, sed supersedeatur in huiusmodi avisamento.

Quo ad v^{um} avisamentum, concernens taxacionem salariorum scriptorum abbreviatorum et registratorum bullarum, placuit huiusmodi avisamentum in forma. Et pro hac deputacione deputatus fuit reverendissimus pater dominus episcopus Lausanensis.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus venit unacum certis aliis dominis deputatis in facto patriarchatus Aquilegiensis, narrans quod ipsi domini deputati in hac causa conceperunt aliquem tractatum utilem ecclesie Aquilegiensi et domino patriarche. Idcirco petebant committi ipsis et aliis dominis, Germanis vel aliis de quibus videbitur, qui habeant convenire et huiusmodi tractatum videre, et quod dominus patriarcha cogatur ad acceptandum huiusmadi tractatum, ita quod unacum concordia feratur sentencia.

Dominus patriarcha protestatus fuit, quod si ipse cogatur, ipse exnunc recipit licenciam a sacro concilio recedendi.

Super supplicacione magistri Johannis de Billy, petentis procedi in causa vertente inter ipsum et magistrum Oliuerium Rolandi de et super canonicatu et prebenda ecclesie Dolensis perinde ac si advocacionem cause intimasset etc., placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione Arnoldi Amici cursoris commissum fuit domino auditori camere, ut videat ipsam supplicacionem et iura per eundem Arnoldum producta et referat in deputacione.

Quo ad avisamentum reverendissimi domini cardinalis legati, concernens materiam Aquilegiensem, verbotenus factum, continens in effectu, quod committatur reverendissimis dominis deputatis et deputandis in hac materia, maxime de nacione Germanica et parentela dicti domini patriarche Aquilegiensis, quod inducant et, si opus est, compellant partes ad concordiam finalem, quam ipsi domini deputati iudicaverint expedire, cuius concordie unum capitulum est, quod sentencia feratur pro domino patriarcha: fuerunt xvij vota quod placet avisamentum dicti domini legati, xiiij vota quod fiat iusticia et feratur sentencia et postea tracte-

tur de concordia, duo vota quod domini Veneti remittant ecclesiam Aquilegiensem in manibus sacri concilii et feratur sentencia, postea tractetur per ipsos dominos deputatos et deputandos concordia cum potestate partes compellendi ad concordiam, et unum aliud votum fuit, quod aut fiat iusticia aut extrahatur patriarchatus de manibus dominorum Venetorum aut tractent domini deputati de concordia et referant in deputacione, et aliud votum fuit cum maiori parte. Et pro hac sacra deputacione nominati fuerunt cum aliis dominis deputatis domini vicedominus Monasteriensis, G[uillermus] de Constancia et Johannes de Herbipoli.

Die sabbati XVI[a] mensis iulii de mane ante congregacionem generalem in deputacione pro communibus super avisamento concernente magistrum Johannem de Monte canonicum Leodiensem collectorem in Leodio, qui verberavit dominum prepositum Albinganensem et magistrum Angelotum de Pisis et impedivit, quominus dominus cardinalis de Cipro receptus fuerit ut legatus in Leodio: placuit quod committatur domino auditori camere, ut citet ipsum personaliter ad comparendum in hoc sacro concilio et puniat, prout de iure fuerit faciendum, eciam per edictum, si opus sit, atque procedat contra omnes et singulos, qui in premissis culpabiles reperientur.

Quo ad factum domini patriarche placuit sacre deputacioni, quod deliberacio heri in hac causa Aquilegiensis ecclesie habita suspendatur usque ad diem lune vel alium etc.

Petatur[a)] declaracio a domino Lugdunensi.

Dominus episcopus Pargamensis alter dominorum deputatorum ad audiendum excusaciones dominorum prelatorum abscencium etc. admisit ad incorporacionem magistrum Petrum de Diutauilla pro domino episcopo Paduano.

Dicta die sabbati XVI[a] iulii M[o]iiij[C]xxxv[o] post deputacionem pro communibus de mane tentam fuit generalis congregacio, presidente in eadem reverendissimo domino legato, assistentibus de Columpna, patriarchis Aquilegiensi et Anthioceno, Lugdunensi Turonensi Bituricensi Rothomagensi et Mediolanensi archiepiscopis, Aurelianensi Niuernensi episcopis etc., presentibus G[eorgio] Frey et Galteri.

More solito fuerunt incorporati frater Guido Oliuarii infirmarius ecclesie Arelatensis, frater Guido Furnerii prior prioratus de Cristello ordinis S. Benedicti Vabrensis diocesis, magister Goffridus Berneblas pro ordine S. Guillelmi et monasteriorum[b)] eiusdem, abbas in Benedicten Augustensis diocesis.

[a)] *dieser Absatz am Rande P.* [b)] *so P.*

Lecte fuerunt littere domini archiepiscopi Treuerensis etc.

Item similiter lecte fuerunt littere domini Bernardi comitis Pardriaci in favorem provisi S. Poncii, episcopi Carcassonensis et aliorum plurium prelatorum coniunctim Lingue Auxitane, et eciam civitatis Leodiensis super remissione cause eiusdem.

Concordata.

Super supplicacione Ludouici et Humberti de Chereil fratrum ordinis Cluniacensis expresse professorum concordant tres deputaciones, quod committatur dominis abbati Cluniacensi, priori maiori, priori claustrali et archidiacono Cluniacensibus et eorum cuilibet insolidum, ut predictos duos fratres ab omnibus peccatis suis et delictis, maioris excommunicacionis sentencia, apostasia, irregularitate etc. absolvere et ad gremium sancte matris ecclesie reducere possint. Quarta autem, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini Karoli de Adelmaro de Teruisio legum doctoris concordant omnes deputaciones, quod dominus Rodolphus de Rudeshem auditor in rota potuit et potest in causa, quam ipse dominus Karolus habet contra dominum episcopum Posnaniensem, procedere secundum commissionem et potestatem factam et traditam per sacrum concilium domino Galeacio de Mantua ante ipsius recessum, non obstante generali causarum advocacione, ac alias prout in supplicacione petitur et continetur.

Super supplicacione reverendi patris domini Johannis episcopi Glasguensis, petentis aliqua salutem sue anime et utilitatem sue ecclesie concernencia committi reverendissimis dominis legato et Arelatensi cardinalibus cum potestate providendi etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio, exhortentur tamen prefati reverendissimi domini ipsum dominum episcopum, ut ab hoc loco sacri concilii non recedat, ut voluerunt due sacre deputaciones, de communibus videlicet et de pace, que[a)] eciam voluit quod sibi hoc mandaretur.

Super supplicacione domine Annote abbatisse monasterii Eslacie ordinis Cisterciensis Claromontensis diocesis, petentis sibi munus consecracionis per quemcunque antistitem impendi suo ordinario remittendum etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur supplicacio sine preiudicio ordinarii et iuris alieni. Quarta autem, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini episcopi Wilnensis dudum huic sacro concilio per procuratorem incorporati, petentis absolvi a iuramento in consecracione sua de visitando limina apostolorum in Urbe[b)] prestito[c)],

[a)] qui *P.* [b)] orbe *P.* [c)] prestiti *P.*

attentis periculis itineris et guerrarum ac distancia etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio ut petitur.

In causa ecclesie Maclouiensis concordant omnes deputaciones, quod loca reverendi patris domini episcopi Vexionensis surrogetur dominus decanus Compostellanus, et loco domini episcopi Placentini eciam absentis surrogetur reverendissimus dominus archiepiscopus Mediolanensis. Quo ad surrogacionem reverendissimi domini patriarche Anthioceni loco domini Rodolphi Rudeshey propter suspicionem allegatam commissum est per omnes deputaciones reverendissimo domino cardinali legato, qui auditis partibus et causis suspicionum concordet partes et iudicem ipsis ex illis duobus deputet aut det alium. Illa vero de reformatorio similiter addidit de domino Raymundo Talonis loco domini episcopi Parmensis etc. surrogati.

Super cedula missa ad deputaciones per procuratorem fiscalem, concernente iniuriam factam huic sacro concilio in personam reverendissimi domini cardinalis de Cipro, prepositi Albinganensis et Angeloti de Pisis, concordant omnes deputaciones cum ipso avisamento, attento quod in eadem cedula habetur illa clausula „si et prout de iure“.

Super requesta promotorum huius sacri concilii, concernente ecclesiam Lausanensem, concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa requesta, videlicet quod appellacio pro parte cuiusdam domini Johannis de Praugino necnon prepositi et capituli ecclesie ac cleri civitatis et diocesis Lausanensium a sentencia diffinitiva per hoc sacrum generale concilium Basiliense pro parte reverendi patris domini Ludouici episcopi Lausanensis et contra dictum dominum Johannem lata ut dicitur interposita, declaretur et decernatur nulla et frivola et reiciatur.

Item concordant omnes deputaciones, quod loco domini Galeacii de Mantua iudicis in rota surrogetur[a] dominus Matheus Nithard, et processus per eum facti et inchoati validi sint et validi decernantur ex parte auctoritatis.

Super supplicacione magistri Petri de Mena familiaris reverendissimi domini cardinalis S. Petri ad vincula, petentis ut beneficia sua in manibus reverendissimi domini cardinalis legati vel reverendi patris domini episcopi Conchensis simpliciter vel ex causa permutacionis resignare possit etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma.

Super supplicacione fratris Pascasii de Riuola decretorum doctoris prepositi de Ottaciis Mediolani ordinis Humiliatorum, petentis per sacrum concilium declarari ipsum ad contribucionem aliorum sui ordinis pro-

[a]) surrogatur *P.*

curatoribus hic existentibus faciendam non teneri, ex quo ipsemet presens est et incorporatus: concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio ut petitur.

Super supplicacione Guillermi Raoulelli clerici Pictauensis diocesis familiaris reverendi patris domini episcopi Dignensis, petentis committi iudici, coram quo pendet causa, quam hic habet, ut certam surrogacionem faciat et recipiat iuxta litteras legati apostolici desuper confectas: concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur.

Quibus concordatis lectis, prior Chamberiaci nomine ducis Sabaudie supplicavit sacro concilio, ut antequam concluderetur in causa Lausanensi, concilium sanius deliberaret, domino legato eidem respondente, sane fuisse deliberatum, raciones debitas allegando.

Post hec reverendissimus dominus legatus nomine et auctoritate sacri concilii iuxta huiusmodi concordata dominorum xij, deliberaciones trium deputacionum concorditer deliberancium more solito conclusit.

Dominica XVII more solito fuit missa solemnis.

Die lune XVIII[a] iulii in deputacione pro communibus super supplicacione Mich[a]elis Diuitis et Marie Petri de S. Eugendo, petencium dispensari cum ipsis super affinitate etc., commissa est huiusmodi supplicacio domino legato, qui dispenset cum ipsis supplicantibus.

Placuit eciam quod bulla licencie reverendissimi domini cardinalis de Columpna, que expedita est sine scitu ipsius deputacionis, repetatur ab ipso domino cardinali. Dedit eciam deputatos reverendos patres dominos patriarcham Aquilegiensem et episcopum Lausanensem, qui cum deputatis aliarum deputacionum requirant reverendissimum patrem dominum cardinalem predictum, quatenus non recedat sine licencia omnium deputacionum.

Super litteris reverendissimi domini cardinalis de Cipro et aliorum ambassiatorum ad Franciam placuit avisamentum ipsius domini legati, scriptum in pede ipsarum litterarum. Et ad hoc fuerunt deputati reverendissimus pater dominus patriarcha Aquilegiensis et episcopus Pergamensis.

Super primo avisamento dominorum de xij[cim], videlicet quod deputaciones requirere placeret suos deputatos in materia provisionis domini nostri pape, reverendissimorum dominorum cardinalium et aliorum prelatorum, ut se expediant et postea referant in deputacionibus: placuit sacre deputacioni pro communibus, quod deputati conveniant die crastina post missam in sacristia maioris ecclesie et eciam aliunde et referant in deputacionibus vota sua etc.

Super secundo avisamento dominorum de xij^{cim}, videlicet quod requirantur deputati in facto reformacionis decreti de electionibus, ut avisata per eos similiter producant in deputacionibus, placuit quod videantur avisamenta domini cardinalis legati et aliorum deputatorum.

Super iij^{o} avisamento dominorum xij^{cim}, videlicet super tollenda quadam consuetudine, ymoverius corruptela, per quam certi prelati et alii presumunt sequestrari fructus beneficiorum litigiosorum et illos sibi appropriare stante huiusmodi litigio, placuit huiusmodi avisamentum dicte sacre deputacioni de communibus, exceptis beneficiis feodalibus.

Super iiij^{to} avisamento dictorum dominorum de xij^{cim}, videlicet quod contendentes super ecclesiis cathedralibus vel abbacialibus dignitatibus omni excusacione cessante teneantur comparere personaliter in concilio generali, ita quod pro nullo absente, donec personaliter comparuerint, sentencia feratur, salvis eciam aliis penis per concilium ordinandis contra contumaces: placuit eidem sacre deputacioni de communibus huiusmodi avisamentum in forma.

Super v^{o} avisamento eorundem dominorum de xij, videlicet quod pretextu cuiuscunque impetracionis facte ab hoc concilio parte non audita non intelligatur fuisse factum preiudicium nec fiendum infuturum quibuscunque personaliter presertim incorporatis in hoc concilio: huiusmodi vero avisamentum dicte deputacioni non placuit.

Placuit sacre deputacioni de communibus, quod loco domini Francisci de la Cruce primicerii ecclesie Mediolanensis iudicis causarum surrogetur dominus archipresbiter Papiensis decretorum doctor in iudicem.

Die mercurii XX iulii in deputacione pro communibus super supplicacione domini Nicolai Huxer rectoris parrochialis ecclesie in Stain Aquilegiensis diocesis, petentis super gracia si neutri in causa vertente inter ipsum et quendam Jacobum de Los assertum clericum in hoc concilio super dicta ecclesia per sanctissimum dominum nostrum papam concessa per cancellariam huius sacri concilii more solito expediri mandare: placuit supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Menaldi de Fauariis et Marie de Aura de Casaberio Aquensis diocesis, petencium invicem matrimonialiter copulari, non obstante cognacione spirituali, et secum dispensari, placuit sacre deputacioni de communibus supplicacio in forma et commissa [est] vicario Aquensi, qui cum supplicantibus dispenset auctoritate sacri concilii.

Super primo avisamento dominorum de xij, videlicet super electione summi pontificis futuri, placuit quod videretur super hoc avisamentum reverendissimi domini cardinalis legati.

Super secundo avisamento, videlicet quod mandetur H[ugoni] promotori concilii, quatenus ex parte concilii adhortetur omnes et singulos presentes, qui fuerint provisi post publicacionem decreti de annatis etc., ut moneat sub penis in decreto huiusmodi contentis, ne racione promocionis eisdem facte aliquid solvant ultra ea que sunt cauta in huiusmodi decreto: placuit avisamentum in forma et quod domino Hugoni promotori daretur adiunctus.

Super sequente, videlicet de prerogativa incorporatorum et eorum familiarium, placuit sacre deputacioni de communibus, quod prerogative seu antelaciones per dominum nostrum papam modernum quibuscunque etc. facte non preiudicarent suppositis huius sacri concilii. Et ad disponendum ac ordinandum de bono modo desuper fuerunt deputati domini Nicolaus Ger decanus Maclouiensis et Henricus de Keppel vicedominus Monasteriensis.

Placuit sacre deputacioni de communibus, quod quia fertur reverendum patrem dominum episcopum Machicanum inducere reverendissimum patrem dominum cardinalem de Columpna ad recessum, arrestetur et tanquam dissolutor concilii, inquantum in eo est, quod citetur coram domino H[enrico] Flekel auditore camere ac procuratoris fiscalis[a)] responsurus posicionibus et articulis contra ipsum proponendis.

Placuit eciam quod intimetur reverendissimo patri domino cardinali de Columpna, quod si ipse recedat, ipse recedit sine licencia sacrarum deputacionum, et bulla, quam fertur habere pro suo recessu, falsa est, cum sine scitu sacrarum deputacionum expedita fuerit. Et ad hoc faciendum sacra deputacio deputavit dominos Franciscum de Bossis et Jacobum Clant, qui cum deputatis aliarum deputacionum, eciam cum procuratore fiscali, vocatis certis ex notariis concilii, ad statim ista exequi habeant.

Die iovis XXI[a] iulii in deputacione pro communibus super supplicacione domini Johannis episcopi Misnensis, qui petit posse absolvere certos armigeros sue diocesis a sentenciis excommunicacionis et penis Karolinis in eos latis et relaxare interdictum propter offensiones[b)] et iniurias personis ecclesiasticis in eorum propriis personis et rebus illatas: placuit sacre deputacioni de communibus supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Nicolai Sartoris et Anne dicte Huglin Eistetensis diocesis, petenciun adinvicem matrimonialiter copulari, obstante quod ipsi supplicantes in iij° gradu affinitatis sunt coniuncti, placuit sacre deputacioni supplicacio in forma et commissa [est] reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus dispenset ut petitur.

[a)] *so P.* [b)] defensiones *P.*

Super supplicacione dominorum abbatum ordinis Premonstratensis in regno Castelle et Legionis existencium, petencium secum dispensari super sentencia excommunicacionis et irregularitate, quas incurrerunt ex eo quod quidam absque habitu et alii cum habitu sue professionis sine licencia suorum superiorum per diversas partes mundi apostate vagarent: placuit sacre deputacioni supplicacio in forma, et quod committatur uni eorum abbatum, qui absolvat et dispenset in forma.

Super supplicacione magistri Rikardi Rikardi[a], petentis super nova provisione quarte porcionis [parrochialis] et secularis ecclesie Herfordensis Padeburnensis diocesis sibi facte per papam sub bulla sacri concilii more solito expediri, placuit sacre deputacioni, quod constito de orginali supplicacione expedirentur littere sub bulla sacri concilii ut petitur.

Placuit sacre deputacioni de communibus, quod reverendus pater dominus Johannes episcopus Gurcensis loco sui nominet vel dominum episcopum Auximanum vel prepositum Januensem, quem voluerit, usque ad eius reditum, et quod notarii ulterius continuent in causis et officio.

Super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati, videlicet quod pro dieta tenenda in crastinum S. Jacobi [1] pro causa ecclesie Treuerensis, in qua dieta debent convenire domini archiepiscopi Maguntinus et Coloniensis et eciam partes hincinde, mittantur ex parte concilii reverendissimus dominus archiepiscopus Turonensis et prepositus S. Severini Coloniensis, deputati autem ex parte inclite nacionis Germanice avisarunt expedire, quod predictis duobus adiungantur in ambassiata reverendus pater dominus Johannes episcopus Gurcensis et dominus Radulphus canonicus Warmaciensis et consentire in ipsos, et quod huiusmodi deliberacio habeatur perinde ac si facta foret in congregacione generali, vel placeat ratifficare in prima congregacione, et quod alias deputati habeant facultatem concipiendi instructiones et convenire in puncto in S. Francisco: placuit sacre deputacioni de communibus presens avisamentum in forma.

Super supplicacione Petri de Hegingen laici Basiliensis diocesis, petentis in causa vertente inter ipsum et quendam Wernlinum de Hesinguen eciam laicum eiusdem diocesis de et super proximioritate successionis hereditarie[b] et rebus aliis in actis cause expressis ante advocacionem generalem causarum vertencium[c] coram domino cantore Leodiensi, coram quo usque ad conclusionem processum extitit, procedi ulterius in causa coram eodem cantore, eciam usque ad diffinitivam sentenciam inclusive de consilio et assensu dominorum iudicum de rota: placuit sacre deputacioni presens supplicacio in forma ut petitur.

[a]) M. Rikardi Ridi *P.* [b]) hereditaria *P.* [c]) vertē *P.*

[1] *Juli 26.*

Super supplicacione domini Raymundi Taloni, petentis procedi in causa sua vertente in concilio inter ipsum ex una ed dominum Dominicum de Varcellis de et super officio vicegerencie Auinionensis partibus ex altera, placuit sacre deputacioni de communibus, quod causa huiusmodi remaneat in hoc concilio et quod procedatur iuxta decreta concilii in eadem et fiat iusticia etc.

Super supplicacione reverendi patris domini patriarche Aquilegiensis placuit sacre deputacioni de communibus, quod procedatur in causa Aquilegiensi iuxta primam deliberacionem alias factam et quod feratur sentencia in fine istius mensis et fiat iusticia.

Super supplicacione domini Johannis de Cassero, petentis procedi in causa vertente inter ipsum et dominos G[uillelmum] episcopum Laudunensem et Petrum de Segano alias de Matha super prepositura de Lesinhano ordinis S. Benedicti Narbonensis diocesis coram dominis episcopo Gurcensi et cantore Leodiensi pendente, non obstante quadam bulla per partem adversam producta, pro qua fit mencio in supplicacione, placuit sacre deputacioni de communibus, quod iudices procedant iuxta formam et tenorem domini cardinalis Arelatensis et vicecancellarii, et iusticiam faciant. Similiter super supplicacione dictorum domino[rum] G[uillelmi] episcopi et Petri de Segano, petencium deputari unum litteratum, qui se informet de narratis in supplicacione sua et postea referat in deputacione, placuit ut supra.

Die sabbati XXIII[a] mensis iulii M°iiij^{C}xxxv° in congregacione generali[a)], presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus dominis Arelatensi et de Columpna, duobus patriarchis, Lugdunensi et Bituricensi.

Dominus Henricus prepositus Thuricensis nomine domini episcopi Basiliensis et civium civitatis Basiliensis supplicavit sacro concilio pro certis notariis et officiariis incarceratis propter verberacionem factam in personam soldani sacri concilii, quatenus sacrum concilium dignaretur relaxari misericorditer mandare.

Tandem placuit dominis per verbum placet, quod ipsi notarii et officiarii relaxarentur, ita tamen quod soldano fiat satisfactio condigna de iniuria sibi illata.

Soldanus protestatus fuit de non sufficienti iusticia pro tam gravi iniuria et offensa sibi facta.

Medio iuramento solito fuerunt incorporati magister Johannes Alabonne decanus ecclesie collegiate de Mortonio Abrincensis diocesis, Ghisbertus Karoli pro abbate S. Amandi in Pabula Tornacensis diocesis,

[a)] in congregacione generali congregacione *P.*

magister Georgius . .[a] pro episcopo Constanciensi noviter electo, Fredericus Deghenart curatus Parve Basilee.

Dominus episcopus Conchensis nomine suo ac aliorum prelatorum et collegarum suorum protestatus fuit, quod de cetero incorporandi habeant vocem consultivam dumtaxat.

Ex adverso magister Dyonisius ambassiator universitatis Parisiensis protestatus fuit, quod inferiores omnes incorporati habeant voces iudicativas, sicuti hactenus habuerant in hoc sacro concilio et in sacro Constanciensi concilio.

Lecte fuerunt littere serenissimi domini imperatoris credenciales in personam domini Lubicensis et domini Georgii militis et doctoris.

Item lecte fuerunt littere serenissimi domini regis Francie concernentes litem seu controversiam ecclesie S. Poncii Thomeriarum.

Lectis supradictis credencialibus litteris domini imperatoris, dominus Lubicensis exposuit suam credenciam in duobus capitulis.

Quorum primum fuit, quod quia aliqui dubitarunt propter diffidacionem per ipsum dominum imperatorem factam contra dominum ducem Burgundie, [ne concilium] aliquomodo turbaretur, disposuit de aliquibus treugis et securitate sacri concilii, ita tamen quod idem dominus dux Burgundie idem faciat.

Secundo ortatus est, quod sacrum concilium maneat firmum, et convocentur prelati qui recesserunt.

Tercio quod sacrum concilium habeat curam de pacificacione ecclesiarum, et presertim de Germania.

Quarto quod sacrum concilium disponat de recuperacione terre seu patrimonii ecclesie Romane, attenta adhesione domini nostri pape.

Quinto de remissione causarum prophanarum ad curiam secularem.

Sexto quod sacrum concilium communicet eidem domino imperatori brachium ecclesiasticum, sicuti ipse communicat brachium seculare.

Septimo quod sacrum concilium habeat recommissos in sua iusticia personas infrascriptas, videlicet dominos patriarcham Aquilegiensem, Walramum electum Traiectensem st abbatem Maristelle et cives civitatis imperialis Cameracensis.

Lectus fuit salvusconductus ipsius serenissimi domini imperatoris pro venientibus ad sacrum concilium et recedentibus ab eodem.[1]

Item lecta fuit copia seu transumptum alterius salviconductus, missi principibus et communitatibus etc., pro eisdem venientibus et recedentibus ad ipsum sacrum concilium et ab ipso, in vulgari theutonico conscripti.

[a]) *Name offen gelassen P.*

1 *Mansi 29, 603.*

Reverendissimus ac reverendi patres domini Rothomagensis archiepiscopus et Niuernensis episcopus ac alii ambassiatores domini ducis Burgundie laudarunt diligenciam factam per dominum Georgium ambassiatorem domini imperatoris et obtulerunt, habita copia salviconductus, laborare pro salvoconductu dicti domini ducis, secundum quod sacrum concilium mandabit.

Item ipsi domini archiepiscopus Rothomagensis pro interesse suo et ipse et dictus dominus Niuernensis ac alii ambassiatores dicti domini ducis Burgundie pro interesse ipsius domini ducis pecierunt, quod sacrum concilium haberet[a] recommissos clerum civitatis Cameracencis.

Reverendissimus dominus cardinalis commendavit favorem domini imperatoris ad sacrum concilium et eciam illustrissimi domini ducis et regraciatus est de illa affectione nomine sacri concilii et respondit ad singula supra proposita.

Concordata.

Super primo avisamento dominorum de xij, concernente visitaciones prelatorum, qui ex concessione sacri concilii per procuratores possunt visitare, quod eis iniungatur ut remaneant in sacro concilio, aut si absentes aliquid receperint ad causam huiusmodi visitacionis, illud tradant ad opus Grecorum etc.: concordant omnes deputaciones cum avisamento. Et ad inquirendum, si qui prelati absentes aliquid receperint, deputatus fuit per sacram deputacionem pacis procurator fiscalis huius sacri concilii.

Super alio avisamento de habendo colloquium cum consulatu huius civitatis, ut incorporati et eorum familiares per ipsius civitatis satellites ad carceres civitatis non ducantur etc., concordant tres deputaciones in effectu cum ipso avisamento. Et ad hoc deputati sunt reverendissimi ac reverendi patres domini cardinalis legatus, archiepiscopus Lugdunensis, prepositus S. Seuerini Coloniensis et vicarius Frinsingensis cum aliis, quos prefatus dominus legatus secum voluerit assumere.

Super alio avisamento, ut aliqui deputentur, qui habeant taxare salarium abbreviatorum scriptorum taxatorum et registratorum, concordant tres deputaciones cum ipso avisamento. Et ad hoc deputati sunt reverendi patres domini Ebroicensis et Lausanensis episcopi, prepositus Barduicensis et prepositus Januensis. Super hiis duobus illa de fide non deliberavit.

Concordant eciam omnes deputaciones, quod domini deputati in materia provisionis etc. et super reformacione decreti de electionibus requirantur, ut se expediant et ea que fecerunt in deputacionibus referant.

Super requesta procuratoris fiscalis de committendo aliquibus potestatem conferendi personis bene meritis beneficia vacancia et imposterum

[a]) haberi *P.*

vacatura per privaciones in hoc sacro concilio factas etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa requesta sive supplicacio in forma ut petitur. Et ad hoc deputati sunt cum reverendissimo domino cardinali legato, si vacare voluerit, reverendissimi ac reverendi patres domini patriarcha Anthiocenus pro deputacione reformatorii, patriarcha Aquilegiensis pro deputacione de communibus, episcopus Aquensis pro deputacione fidei et episcopus Lectorensis pro deputacione pacis. Sed quia illa de fide quo ad huiusmodi facultatem duraturam prefixit tempus tremestre, ideo visum est dominis xij, quod alie tres sacre deputaciones se debeant declarare, an eciam ad huiusmodi tempus tremestre suas velint intelligere deliberaciones.

Super supplicacione magistri Johannis Bili licenciati in legibus huic sacro concilio incorporati, petentis domino Rodolpho Rudesheim iudici cause, quam hic habet, committi, quatenus si sibi constiterit de narratis in ipsa supplicacione, ad ulteriora procedat etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Concordant eciam tres deputaciones, quod loco reverendi patris domini Johannis episcopi Gurcensis iudicis in rota absentis surrogetur dominus prepositus Januensis usque ad ipsius regressum. Quarta autem, videlicet de reformatorio, surrogavit dominum episcopum Auximanum.

Item similiter concordant omnes deputaciones, quod loco domini Francisci de la Cruce primicerii Mediolanensis surrogetur dominus archiepiscopus Papiensis.

Super supplicacione domini Marci de Milo archidiaconi Astensis, petentis confirmari collacionem ordinarii sibi factam de beneficio quod possidet concordant tres deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, non deliberavit.

Super supplicacione Johannis de Breu civis Valentinensis, petentis sibi et suis fideiussoribus inducias quinquenniales ad solvendum suis creditoribus concedi, concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino archiepiscopo Lugdunensi, qui provideat supplicanti, prout sibi videbitur. Quarta autem, videlicet de fide, requisita huiusmodi supplicacionem non admisit.

Super supplicacione cuiusdam Anthonii filii dicti Johannis de Breu super inmutacione voti ad S. Sepulcrum, quod Guillermus Ardenchii nuper defunctus patruus dicti Anthonii dum viveret emisit etc., concordant omnes deputaciones, quod eciam committatur prefato reverendissimo domino archiepiscopo Lugdunensi, qui provideat et dispenset cum supplicante convertique mandet in pios usus, maxime in facto Grecorum, prout sibi videbitur.

Supplicacio Hugoneti Brandini Gracionopolitane diocesis, qui desiderat contrahere cum Johanneta filia Petri Galiardi, sed obstat impedimentum cognacionis spiritualis, quia mater Johannete levavit Hugonem, petit dispensacionem, commissa est per omnes deputaciones domino legato.

Super supplicacione Johannis Sonef et Philippe de Chailliaco Bituricencis et Meldensis diocesum, petencium cum ipsis super cognacione spirituali dispensari, quia ipse Johannes ipsius Philippe et ipsa Philippa eiusdem Johannis de fontibus quilibet unam prolem levavit, et illo non obstante in matrimonio remanere possint: concordant tres deputaciones, quod admittatur suplicacio ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, eam non admisit.

Supplicacio Menaldi de Fauariis et Marie de Aula Aquensis diocesis super dispensacione impedimenti congnacionis spiritualis, quia parentes dicte Marie eundem Menaldum de sacro fonte levaverunt, ut eo non obstante matrimonium contrahere possint etc., concordant tres deputaciones, quod committatur vicario Aquensi, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur. Quarta, videlicet de communibus, simpliciter admisit supplicacionem.

Super supplicacione Johannis de Brannilla et Agnete coniugum Mediolanensis diocesis super ij^{do} et iij^{o} affinitatis gradu, concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset, prout consciencie sue videbitur. Quarta, videlicet de fide, admisit simpliciter.

Super supplicacione Johannis Samsori laici et Guillelmete Pinelle mulieris Turonensis diocesis super duplici cognacione spirituali, quia pater Guillelmete Johannem et pater Johannis Guillelmetam de sacro fonte levaverunt, concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo legato, qui cum supplicantibus dispenset ut petitur. Quarta, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Michaelis Diuitis et Marie Perolerii coniugum Lugdunensis diocesis super cognacione spirituali, quia mater Michaelis Mariam de sacro fonte levavit, ut illo non obstante matrimonium contrahere possint etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur.

Item concordant omnes deputaciones, quod reverendissimus ac reverendi patres domini archiepiscopus Turonensis, episcopus Gurcensis, prepositus S. Seuerini Coloniensis et magister Johannes Rudesheim canonicus Varmaciensis vadant ad dietam pro concordia in causa ecclesie Treuerensis tractanda, quodque deputati super illa materia conficiant instructiones ipsis tradendas.

Quibus concordatis lectis placuit, quod domini missi ad concordiam Treuerensem possint tollere interdictum in loco convencionis parcium et ambassiatorum conveniencium pro huiusmodi concordia, et postea dominus cardinalis legatus iuxta concordata et deliberaciones trium deputacionum concorditer deliberancium conclusit.

Die dominica XXIIII[ta] mensis iulii celebravit missam dominus episcopus Rosensis.

Lune sequenti fuit festum beati Jacobi apostoli, et celebravit missam dominus episcopus Conchensis. Sermonem fecit quidam frater Ispanus de ordine Predicatorum.

Martis missam celebravit dominus episcopus Londoniensis pro pace regni Francie.

Eadem die martis XXVI[a] mensis iulii in sacra deputacione pro communibus placuit sacre deputacioni, quod dominus Matheus Nitardi surrogetur loco domini Rodolphi iudicis absentis usque ad eius regressum ad officium iudicature cum potestate causas resumendi et alia faciendi, que ipse dominus Rodolphus faceret, si presens esset.

Placuit quod reverendissimus dominus cardinalis de Columpna rogetur et requiratur et compellatur, quatenus remanere velit in hoc sacro concilio et non recedere. Et pro hac sacra deputacione deputati fuerunt ad ipsum requirendum et rogandum reverendissimus dominus patriarcha Aquilegiensis et dominus episcopus Lausanensis.

Super supplicacione Petri et Katherine mulieris W[i]lnensis diocesis neophitarum, petencium secum dispensari in matrimonio iam contracto super cognacione spirituali, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur.

Placuit quod deinceps nulli episcopo vel alteri detur licencia recedendi, nisi prius auditis promotoribus sacri concilii etc.

In causa patriarchatus Aquilegiensis iuxta avisamentum sive relacionem dominorum in hac materia deputatorum scrutatis votis singulorum dominorum placuit maiori parti, quod mittatur notabilis ambassiata ad illustre dominium Venetorum cum prefixione termini xxx[ta] vel xxxvj dierum ad inducendum ipsum dominium et obtinendum ab eodem, ut velit temporalitatem et patrimonium ecclesie Aquilegiensis in manibus sacri concilii remittere et restituere, ita tamen quod nichil interim in preiudicium reverendissimi domini patriarche mutetur vel innovetur.

Die iovis XXVIII[a] mensis iulii in sacra deputacione pro communibus dominus abbas de Verona peciit licenciam recedendi ab hoc sacro concilio, qui obtinuit licenciam et revertatur cum Grecis.

In causa Massiliensi, instante magistro Johanne Leodegarii procuratore domini B[artholomei] de Rokali episcopi, placuit quod loco reverendissimi domini cardinalis de Cipro iudicis in eadem causa surrogetur dominus prothonotarius de Ispania per eundem reverendissimum dominum cardinalem nominatus et eciam surrogatus usque ad eiusdem domini cardinalis regressum cum potestate ea faciendi, que ipse dominus cardinalis de Cipro faceret, si presens interesset.

Sacra deputacio mandavit domino Petro de Trillia, ut quedam bulla confirmacionis privilegiorum civitatis Argentinensis cum supplecione defectuum etc. arrestetur, quoniam ipsa sacra deputacio expedicioni eiusdem bulle ac eciam similium se opponit. Dominus episcopus Rosensis protestatus fuit, quod huiusmodi bulla non preiudicet domino episcopo Argentinensi.

Placuit quod supplicaciones de iusticia audiri non debeant in deputacionibus, nisi remisse fuerint per precognitores.

In causa Maclouiensi placuit, quod causa attemptatorum post inhibicionem seu inhibiciones committatur dominis iudicibus principalis cause, et alias prout in supplicacione super hoc pro parte domini Guillermi electi porrecta continetur.

Supplicacio soldani, petentis sibi provideri de salario deservito et quod participet in emolumentis commissionum cum cursoribus, placuit in forma, et quod ad hoc compellantur cursores etc.

Super supplicacione reverendissimi domini archiepiscopi Auxitani placuit, quod super prima peticione reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis et reverendi patres domini Aquensis et Lectorensis unacum ceteris precognitoribus se informent et referant in deputacionibus. Super ceteris vero partibus placuit huiusmodi supplicacio ut petitur, excepto de illo, pro quo petit officium cursoris.

Super supplicacione Bartholomei Medine, petentis secum dispensari super voto tacite et secrete in ordine Minorum emisso, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum eodem supplicante auctoritate sacri concilii dispenset, prout sibi videbitur expedire.

Super avisamentis missis per reverendissimum dominum cardinalem legatum in facto reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis, scrutatis votis singulorum dominorum placuerunt avisamenta, videlicet quod domini deputati possint eligere personam vel personas ambassiatorum Venecias mittendorum et instructiones componere, ita tamen quod si neccessarium eisdem dominis deputatis videatur, possint prorogare terminum ad

aliquos paucos dies infra mensem septembris, prout eisdem dominis deputatis visum fuerit expedire.

Super supplicacione Nicolai Heghon clerici Eboracensis diocesis, petentis secum dispensari, ut non obstante deffectu natalium possit ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere etc., placuit quod committatur reverendissimo domino legato, qui cum supplicante auctoritate sacri concilii dispensare habeat ut petitur.

Super supplicacione fratris Guillermi Vrsewig prioris de Catmell [a] ordinis S. Augustini Eboracensis diocesis, petentis sibi concedi auctoritatem eligendi confessorem, qui ipsum absolvat ab omnibus peccatis suis preterquam sedi apostolice reservatis etc. et sibi remissionem omnium peccatorum in mortis articulo [imperciatur], placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Supplicacio magistri Henrrici Clant decretorum doctoris contra et adversus decanum et capitulum ecclesie Coloniensis de et super subtractione et spoliacione fructuum prebende dicte ecclesie Coloniensis est remissa ad consistorium.

Super supplicacione Bernhardi Astain scolaris Constanciensis, petentis secum dispensari, ut non obstante deffectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum, eciam si curam habeat animarum, obtinere possit etc.: placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicante ut petitur.

Super supplicacionibus Philippi Hilgin et Johannis Arnoldi scolarium Maguntinorum, petencium cum ipsis dispensari, ut non obstante deffectu natalium quem paciuntur ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum retinere possint, eciam si curam habeat animarum: placuit quod committantur domino legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur.

Die veneris XXIX[a] mensis iulii M°CCCC°xxxv° in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus dominis Arelatensi et de Columpna cardinalibus, patriarchis Anthioceno et Aquilegiensi.

Placuit quod die veneris futura celebretur festum S. Dominici, et quod eadem die celebretur solemnis missa et honoretur ordo in S. Dominico, et quod congregacio eadem die celebranda transferatur ad diem sequentem.

Medio iuramento incorporati fuerunt dominus Nicolaus abbas de Prenczahusen Augustensis diocesis, frater Nicolaus prepositus monasterii

[a]) *mit Abbreviatur über dem* ll *P.*

S. Andree prope villam Maguntinam, frater Johannes prepositus monasterii S. Johannis prope Hequeliam Maguntine diocesis, Hillebrandus Griseuitz prepositus Czizensis et canonicus ecclesie cathedralis Nuembergensis, Johannes Hetteler alias Wonluelen canonicus et scolasticus ecclesie S. Sinaci de Wilestat Constanciensis diocesis.

Lecte fuerunt littere serenissimi domini imperatoris, concernentes quandam sentenciam ipsius domini imperatoris in favorem civium Cameracensium contra capitulum et clerum ipsius civitatis latam, nuper per dominum archidiaconum Metensem revocatam.

Quibus lectis dominus Lubicensis nomine cesaree maiestatis peciit advocatum imperialem super eadem materia audiri. Quiquidem advocatus, videlicet dominus Symon de Teramo, proposuit, conclusive petens eandem causam ad tribunal imperiale remitti propter causas per eum allegatas.

Ex adverso dominus Angelus de Perusio advocatus capituli et cleri civitatis Cameracensis replicavit, petens eandem causam hic remanere debere.

Magister Dionisius de Sambreuais magister in theologia ambassiator universitatis Parisiensis nomine suo et dicte universitatis necnon abbatum prepositorum decanorum magistrorum et doctorum etc. huic sacro concilio incorporatorum et incorporandorum sibi adherencium et adherere volencium protestatus fuit, prout in cedula super hoc porrecta, petens exinde fieri sibi publicum seu publica intrumenta per nos notarios sacri concilii.

Exadverso domini Dignensis Niuernensis Mediolanensis Nolensis Maclouiensis Pergamensis et Ebroicensis episcopi protestacioni alias per dominum episcopum Conchensem facte adheserunt, protestantes quod protestacio data per magistrum Dionisium non ponatur apud acta sacri concilii, nisi prius registrata apud eadem acta protestacione nuper facta per dictum dominum Conchensem.

Concordata.

Super supplicacione oratorum regis Castelle et Legionis, petencium ipsis dari deputatos, quibus ipsi nonnulla possent exponere, que [in] provinciis Yspanie et presertim in regnis Castelle et Legionis ad honestum regimen et pacificum statum cleri et populi pertinent etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio. Et deputati sunt reverendissimi ac reverendi patres domini archiepiscopus Lugdunensis et abbas de Chereto pro deputacione de communibus, Bituricensis et Rothomagensis archiepiscopi pro deputacione pacis, archiepiscopus Turonensis et episcopus Ebroicensis pro deputacione reformatorii, episcopus Aquensis

et electus Albiensis pro deputacione fidei, qui audiant et se informent et eis informatis in sacris deputacionibus referant, ut petitur.

Item concordant omnes deputaciones, quod loco domini Rodolphi Rudesheim iudicis in rota propter eius absenciam surrogetur magister Matheus Nitart usque ad ipsius domini Rodolphi regressum.

In causa ecclesie Massiliensis concordant omnes deputaciones, quod loco reverendissimi domini cardinalis de Cipro surrogetur dominus prothonotarius de Yspania per eundem dominum cardinalem nominatus et surrogatus usque eiusdem regressum, et hoc de consensu parcium.

Super supplicacione quorundam fratrum ordinis Premonstratensis regnorum Castelle et Legionis, petencium committi alicui abbati eiusdem ordinis in regno Castelle et Legionis, qui ipsos a reatu et irregularitatis et infamie absolvat et rehabilitet etc., concordant tres deputaciones quod admittatur supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de reformatorio, commisit odinariis eorum eiusdem ordinis, iniuncta ipsis penitencia salutari.

Super supplicacione quorundam, petencium committi domino episcopo Misnensi qui pro tempore fuerit, ut personas vigore processus constitucionis Karoline excommunicatas vel in futurum excommunicandas sue diocesis absolvere et interdicta, si que posita sunt vel in futurum ponentur, relaxare valeat, premissa tamen satisfactione: concordant tres deputaciones, quod admittatur et concessa fuit supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, eam admisit quo ad preterita dumtaxat.

Super supplicacione Petri de Bublant nobilis Traiectensis diocesis, petentis pro se et Henrrico Bloc laico eciam Leodiensis diocesis famulo suo licenciam visitandi S. Sepulcrum dominicum et quedam alia loca sacra ultramarina, concordant tres deputaciones, quod admittatur et admissa fuit supplicacio ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Nicolai Huxer rectoris parrochialis ecclesie in Stain Aquilegiensis diocesis super gracia si neutri, petentis ipsam sub bulla huius sacri concilii expediri, concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio et sub bulla huius sacri concilii huiusmodi gracia expediatur ut petitur.

Super supplicacione Humberti de Cupilino et Jaquette filie quondam Petri de Cupilino Gebennensis diocesis, petencium cum ipsis ut matrimonium contrahere possint quarto consanguinitatis gradu non obstante dispensari auctoritate sacri concilii: concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Petri et Katherine coniugum Wilnensis diocesis neophitorum super impedimento cognacionis spiritualis, quia pater Katherine Petrum et pater Petri Katherinam de sacro fonte levaverunt: concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur.

Super supplicacione Conrrardi Vischer et Righe coniugum Constanciensis diocesis super impedimento consanguinitatis in iiij^{to} gradu concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur. Quarta autem, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

In facto patriarchatus Aquilegiensis concordant tres deputaciones, quod per totum mensem augusti tractetur concordia, infra quem mittantur ambassiatores vel ambassiator Venecias, ut sciatur an domini Veneti contentari velint restituere patriarchatum reverendissimo domino patriarche aut quod sacrum concilium ad se recipiat realiter et vere ipsum patriarchatum et deputet aliquem non probabiliter suspectum ipsis dominis Venetis, fidum tamen ipsi domino patriarche, discretum et sufficientem, qui sciat regere gubernare et custodire in temporalibus omnia bona patriarchatus nomine domini patriarche ad certos annos declarandos, infra quos dominus patriarcha non intrabit terras patriarchatus. Et idem terminus tocius mensis augusti proxime futuri sit prefixus et peremptorie istis dominis Venetis ad producendum in hoc sacro concilio coram ipsis dominis relatoribus ea que producere velint super marchionatu Histrie et aliis bonis. Qui terminus sit communis utrique parti. Et in casu quod domini Veneti noluerint contentari et relaxare ut prefertur, extunc in sacro concilio dicto termino lapso, nulla amplius dilacione data, immediate feratur sentencia, prout iusticia dictaverit. In quibus dominus patriarcha consenciit cum protestacione, quod dilacio ista temporis nullum deberet sibi afferre preiudicium. Quodque domini deputati habeant facultatem eligendi personam vel personas ambassiatorum et conficiendi instructiones super predictis. Illa tamen pro communibus addidit, quod domini deputati huiusmodi terminum infrascriptum ad paucos dies infra mensem septembris prorogare possint, si ipsis visum fuerit. Quarta vero, videlicet de fide, loco tocius mensis augusti statuit terminum quadraginta dierum incipiendorum prima die augusti proxime futuri.

Lectis huiusmodi concordatis dominus cardinalis legatus more solito conclusit.

Die dominica ultima iulii more solito fuit missa solemnis.

Die martis secunda mensis augusti in sacra deputacione pro communibus pro presidente fuit electus dominus scolasticus Seguntinus.

Ad disponendum et ordinandum de reductione scriptorum et cursorum, distributore[a)] et aliis cancellariam bullam et registrum bulle concernentibus, cum aliis dominis deputatis aliarum sacrarum deputacionum fuit deputatus reverendus pater dominus episcopus Lausanensis. Qui domini deputati cum domino vicecancellario hodie hora iij[a] post meridiem conveniant et expediant.

Pro custode clavis fuit continuatus dictus dominus Lausanensis, quousque fuerit ordinatum per ipsum et alios dominos ad hoc deputatos de et super eadem bulla.

Pro precognitore fuit continuatus ad trimestre reverendus pater dominus episcopus Burgensis.

Pro referendario supplicacionum deputatus fuit dominus Jacobus de Attigniaco.

Pro dominis xij[cim] deputati fuerunt reverendus pater dominus Lubicensis, abbas de Chereto et continuatus scolasticus Lubicensis.

Super primo avisamento dominorum de xij, continente in effectu quod cursoribus de cetero nullus addatur aut aliquid innovetur in preiudicium seu diminucionem salarii eorundem preterquam hactenus est fieri solitum etc., placuit huiusmodi avisamentum in forma, sine tamen preiudicio soldani et Arnoldi Amici.

Super secundo avisamento, concernente qualificacionem deinceps incorporandorum, placuit deliberacio et conclusio alias super hoc capta, videlicet quod magistri in theologia et baccallarii formati, doctores et licenciati in altero iurium in dignitate constituti et canonici ecclesiarum cathedralium et nulli alii ad incorporacionem deinceps admittantur.

Super iij[o] avisamento, continente in effectu quod deputentur aliqui, qui provideant de personis mittendis ad principes pro iusticia huius sacri concilii declaranda, et instructionibus ipsis dandis, scrutatis votis singulorum dominorum placuit maiori parti, quod mittatur ad eosdem principes. Et ad providendum de personis mittendis et ad faciendum instructiones neccessarias pro hac deputacione deputati fuerunt reverendissimi domini legatus, Lugdunensis archiepiscopus et Lubicensis episcopus.

Quo ad avisamentum factum per dominos promotores, videlicet quod domini xij conveniant diebus statutis, quod si non omnes conveniant, convenientes nichilominus possint avisamenta ministrare sacris de-

[a)] distributorem *P.*

putacionibus, ne propter deffectum avisamentorum deputaciones cessent: scrutatis votis singulorum placuit maiori parti, quod ipsi domini xij cogantur aut per iuramentum aut per penam pecuniariam ad conveniendum, ita quod maior pars aut saltim sex de eisdem debeant huiusmodi avisamenta ministrare.

Quo ad supplicacionem procuratoris fiscalis, petentis quod in causis commissis vel committendis ad instanciam ipsius procuratoris fiscalis domini iudices deputati vel deputandi aut unus vel duo ipsorum possint citaciones moniciones arresta et inhibiciones decernere et ad alia procedere usque ad sentenciam inclusive: placuit huiusmodi supplicacio solum quo ad observacionem terminorum; quo vero ad alia non placuit, nisi specificatis causis.

Die mercurii tercia mensis augusti in deputacione pro communibus, quia tediosum est ambassiatoribus, qui mittuntur de una deputacione ad alias deputaciones, transire ad deputacionem reformatorii propter eius ab aliis distanciam, placuit sacre deputacioni de communibus, quod exhortentur domini de illa sacra deputacione, quatenus hoc tempore estuvali velint convenire et suam deputacionem tenere in capitulo maioris ecclesie, tempore vero yemali in Augustinensibus.

Super supplicacione incollarum ville de Casterbe Cameracensis diocesis, petencium dotacionem unius altaris fundati in ecclesia parrochiali dicti loci et per quemcunque antistitem consecrari, salvo iure etc., placuit quod committatur ordinario loci aut eius vicario auctoritate sacri concilii, qui procedat, prout in eadem supplicacione petitur.

Die iovis IIII^{ta} mensis augusti in sacra deputacione pro communibus super supplicacione magistri Johannis Tinelli, petentis committi in partibus duobus vel tribus iudicibus, qui eum restituant in suo loco collegiali, quem possidebat Tholose, quo spoliatus extitit de facto, placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Supplicacio domini abbatis de Chereto, petentis committi causam in partibus domino preposito de la Vinea decretorum doctori, ut in certis causis suis dampnorum habeat audire usque ad sentenciam exclusive et postmodum remittat ad sacrum concilium pro sentencia ferenda, placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Placuit iuxta supplicacionem et avisamentum procuratoris fiscalis verbotenus factum, quod Fernandus Vassi clericus camere sacri concilii alias collector semidecime deputetur collector provincie Auxitane et Tholosane ad colligendum huiusmodi semidecimam nomine camere huius sacri concilii.

Quo ad avisamentum primum dominorum de xij de requirendis et monendis dominis Tarentino et Paduano ad manutenendum et observandum decreta Constanciensis et huius Basiliensis conciliorum et revocandum suas protestaciones contra decretum de annatis etc., scrutatis votis singulorum dominorum placuit maiori parti, quod graciose exhortentur et requirantur ipsi domini presidentes, ut velint se unire cum sacro concilio et contenta in avisamento adimplere, antequam huiusmodi avisamentum execucioni rigorose demandetur. Et ad eos exhortandum et requirendum etc. domini patriarcha Aquilegiensis et Lugdunensis deputati fuerunt.

Quo ad secundum avisamentum de iudicibus eligendis, scrutatis eciam singulorum votis placuit, quod deputentur aliqui, qui presentes aut alios novos, prout eis visum fuerit expedire, habeant eligere. Et pro hac deputacione deputati fuerunt domini Lubicensis et Lugdunensis Lausanensis episcopi et dominus abbas de Chereto, dominus scolasticus presidens et Johannes de Anglia.

Super avisamento concernente prerogativas incorporatorum sacro concilio in graciis expectativis placuit huiusmodi avisamentum in forma·

Super supplicacione domini abbatis de Belloloco electi ecclesie Maclouiensis scrutatis votis singulorum dominorum placuit et mentis sue fuisse et esse declaravit ipsa sacra deputacio, quod ipse dominus abbas et quicunque alii super dignitatibus pontificalibus et abbacialibus contendentes personaliter compare[re] teneantur in concilio generali, ita quod pro nullo absente feratur sentencia, nisi prius comparuerit, cessante tamen legitimo impedimento.

Super supplicacione Siczonis Bleuber de Huge et Margarete filie Sifridi Jacobi etc., petencium secum dispensari in matrimonio contracto non obstante iiij^{to} gradu [a] consanguinitatis, placuit quod committatur reverendissimo domino [b] cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset [c] cum supplicantibus ut petitur.

Super supplicacione Thome Harnold et Katherine Whide Coloniensis diocesis, petencium dispensari secum in matrimonio contracto, non obstantibus tercio et iiij^{to} gradibus consanguinitatis, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus auctoritate sacri concilii dispenset ut petitur.

Super supplicacione Johannis Petz de Lewtering et Anne uxoris eius laicorum Augustensis diocesis super matrimonio contracto, non obstante tercio gradu affinitatis, placuit ut supra proxime.

[a]) *wiederholt P.* [b]) reverendissimis dominis *P.* [c]) concilii et dispenset *P.*

Super supplicacione Johannis Brixstens et Katherine Knops Camera-censis diocesis super cognacione spirituali in matrimonio contracto etc. placuit ut supra.

Super supplicacione Andree Hud et Elizabet filie Conrardi Eblunf Vormaciensis diocesis super matrimonio contracto ignoranter et prole subsequta placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus, prout sibi visum fuerit expedire, auctoritate sacri concilii dispenset.

Dominus Dominicus de Betullis decretorum doctor accessit ad deputacionem, petens super supplicacione per eum in causa, quam habet contra dominum Raymundum Talonis super vicegerencia Auinionensi, per sacram deputacionem deliberari, alioquin protestatus est et adhesit protestacioni alias per eum in scriptis facte.

Super supplicacione Ebel de Stedebach laici Maguntine diocesis et Merkel de Ouer eiusdem diocesis, petencium secum dispensari super matrimonio ignoranter contracto in iiij^{to} gradu consanguinitatis, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus auctoritate sacri concilii dispenset ut petitur.

Super supplicacione Petri de Vallarbeti Palentine diocesis, petentis licenciam quod possit recipere primam tonsuram clericalem in hoc sacro concilio, placuit et admissa fuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione Radulphi Stanfelde et Johanne de Rudekliffe[a)] Eboracensis diocesis, petencium secum dispensari super matrimonio ignoranter contracto, non obstante cognacione spirituali, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus auctoritate sacri concilii dispenset ut petitur.

Super supplicacione domini Nicolai abbatis monasterii Montis S. Georgii ordinis S. Benedicti Brixinensis diocesis, petentis absolvi a sentenciis excommunicacionis et censuris ad instanciam quondam Henrrici Scremph monachi eiusdem ordinis quondam defuncti occasione trium diffinitivarum sentenciarum in Romana curia de et super dicta abbacia dudum latarum, placuit quod committatur reverendissimo domino legato aut domino archiepiscopo Lugdunensi, ut constito summarie simpliciter et de plano de morte dicti quondam Henrrici, eundem dominum abbatem et sibi adherentes absolvat et dispenset, ut in ipsa supplicacione petitur.

Super supplicacione Andree Clepinck et Anne relicte quondam Guehardi Caler Coloniensis diocesis, petencium secum dispensari super matrimonio contracto in iiij^{to} consanguinitatis gradu, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus auctoritate sacri concilii dispenset ut petitur.

[a)] Rudeklisse *P.*

Super avisamento domini Galeacii de Mantua de appellacionibus, que fiunt in absencia iudicum et notariorum causarum haberi possit[a], ad obviandum fraudibus, que exinde evenire possunt, placuit sacre deputacioni, quod in hoc sacro concilio appellancium in absencia iudicis vel notarii cause aut partis adverse, cum alterius eorundem presenciam facile habere[b] possint et affecta videatur eorundem aut alterius ipsorum absencia, processus et termini, qui post talem appellacionem tenebuntur et servabuntur, sint validi et ulterius usque ad intimacionem debitam.

Veneris V^ta^ fuit festum S. Dominici, missam celebravit solemnem in S. Dominico dominus episcopus Conchensis.

Die sabbati VI^a^ mensis augusti M^o^iiij^C^xxxv^o^ in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus dominis Arelatensi et de Columpna et duobus patriarchis.

Medio iuramento incorporati fuerunt magister Stephanus de Orba decanus ecclesie collegiate Montisbiligardi Bisuntinensis diocesis suo et capituli sui procuratorio nominibus, fidem faciens de mandato et admissus per dominos deputatos etc., Petrus Dasserii baccallarius in decretis canonicus Pictauensis et Vaurensis ecclesiarum, Anthonius Gundissalui in decretis baccallarius canonicus ecclesie Seguntine, magister Johannes Crumighe magister in artibus scolasticus ecclesie Triuirensis[c], Rogerius Militis prepositus et canonicus ecclesie beati Kiriaci et beate Marie de Prumino Senonensis diocesis.

Concordata.

Super avisamento dominorum de xij de contendentibus in concilio super episcopalibus et abbacialibus ecclesiis et dignitatibus concordant tres deputaciones in ipso avisamento, cessante legitimo impedimento, quod teneantur comparere personaliter in sacro concilio, ita quod pro nullo absente, donec personaliter comparuerit, sentencia feratur. Concordant tres deputaciones cum ipso avisamento cessante legitimo impedimento.

Super alio avisamento, concernente prerogativas suppositorum huius sacri concilii in assecucione beneficiorum vigore graciarum expectativarum, concordant omnes deputaciones cum avisamento. Ille autem de reformatorio et de pace deputatos dederunt ad conficiendum formam, videlicet illa de reformatorio dominos Massiliensem et Auximanum episcopos, Parisiensem et Coloniensem officiales et magistrum Petrum Salomonis, de pace vero prepositum Barduicensem, magistros Nicolaum et Egidium ambassiatores universitatis Parisiensis. Alie due deputatos non dederunt.

[a]) *ergänze* quorum presencia facile *vor* haberi *P.* [b]) haberi *P.* [c]) Crumensis *P.*

Sequitur tenor avisamenti dominorum xij^{cim} super dictis prerogativis.

Item cum pridem sacrum concilium certam ordinacionem in favorem incorporatorum in hoc sacro concilio et suorum familiarium ordinaverit, virtute cuius prerogative sequentibus curiam aut quibusvis aliis per sanctissimum dominum nostrum papam concesse in assecucione beneficiorum vigore graciarum expectativarum, quamdiu incorporati actu in agendis concilii et familiares obsequiis dominorum suorum insisterint, eisdem incorporatis et familiaribus suffragarentur, quodque inter incorporatos et eorum familiares ac Romanam curiam sequentes in assecucione beneficiorum huiusmodi ius commune servaretur, prout in eadem ordinacione, cuius tenorem etc.; sed, reverendissimi patres, in huiusmodi statuto diverse ambiguitates oriri videntur, ex eo quod in huiusmodi statuto verbum illud „iuris communis insecuto tramite“ et eidem subiunctio „eorum familiares et quoscunque alios“ etc. videtur innuere, quod simplex curialis vel familiaris aut incorporatus, eciam non graduatus, doctoribus vel graduatis incorporatis preferrentur contra iuris communis disposicionem, eciam sequi videtur dictam ordinacionem non prodesse illis quibus provideri non continget concilio durante, et sic qui plus laborabit, minus percipiet emolumenti, quod minime creditur fuisse et esse intencionis dominacionum vestrarum: dignentur igitur vestre paternitates declarare, nunquam fuisse intencionis sacri concilii per huiusmodi ordinacionem preiudicare magis graduatis per dicta verba „iuris communis tramite insequto“ etc., quominus stari debuerit dictamini regularum cancellarie apostolice, ut verba huiusmodi dictas regulas comprehendant.

Item ad manutencionem suppositorum sacri concilii, et ut viri litterati nitantur accedere ad concilium, videretur ordinandum, quod omnes et singuli magistri doctores licenciati aut in altero iurium baccallarii huic sacro concilio incorporati personaliter, qui per annum continue operibus sacri concilii se vacasse legitime docuerint, in assecucione quorumcunque beneficiorum vigore unius gracie expectative, non tamen approbando gracias expectativas, omnibus aliis quibuscunque, eciam pocioribus in data seu iam receptis in canonicos aut qui prius presentaverint litteras et diligenciores fuerint, exceptis dumtaxat dominorum cardinalium personis, familiaribus domini nostri pape veris magis vel equaliter graduatis, officialibus sedis apostolice eciam magis vel equaliter graduatis, omnino preferantur, non obstantibus quibuscunque prerogativis antelacionibus nominacionibus etc. quibuscunque aliis personis communitatibus et locis per dominum nostrum papam concessis aut forsan in futurum concedendis sub quacunque verborum forma, eciam si de ipsis

prerogativis eorumque toto tenore ac de verbo ad verbum esset facienda mencio eorumque decreto.

Item quod inter huiusmodi incorporatos servetur talis ordo, ut magis graduatus minus graduato preferatur et inter equales ius commune currat.

Super avisamento de committendo reverendissimis dominis cardinalibus legato et Arelatensi, quatenus dominis prelatis et aliis, qui mutuaverunt in facto Grecorum pecunias et obligati sunt, litteras eciam ad collectores apostolicos pro habendis pecuniis expediant opportunas: concordant omnes deputaciones in ipso avisamento, sic quod de huiusmodi pecuniis colligendis satisfiat inclite nacioni Germanice de pecuniis per ipsam in facto Grecorum mutuatis. Quarta, videlicet de reformatorio, voluit quod servetur concordia inter thesaurarios concilii et domini nostri pape, et de illa parte, que proveniet ad concilium, fiat provisio officialibus concilii, nacioni Germanice et aliis, quorum interest et quibus pecunie debentur.

Concordant omnes deputaciones, quod dentur deputati ad providendum de personis et ambassiatoribus mittendis ad principes pro iusticia sacri concilii declaranda et conficiendum instructiones eis dandas. Et ad hoc faciendum fuerunt deputati reverendi patres domini Lectorensis episcopus, abbas de Castillione et prepositus Barzuicensis pro deputacione pacis, reverendissimi domini legatus Lugduneusis et Lubicensis pro communibus, domini Arelatensis Aquensis Cisterciensis, magister Johannes Concili et Johannes Bloc pro deputacione fidei, patriarcha Anthiocenus, vicarius Frinsingensis et magister Dyonisius de universitate Parisiensi pro deputacione de reformatorio.

Concordant eciam omnes deputaciones, quod Fernandus Vasci clericus camere sacri concilii sit collector deputatus auctoritate sacri concilii in provinciis Tholosana et Auxitana tam a collectoribus semidecime quam apostolicis.

Super supplicacione procuratoris fiscalis, petentis quod in causis quas habet in hoc sacro concilio ad causam sui officii pluribus et diversis iudicibus commissis coram uno aut duobus, ad quos sibi facilior patebit accessus, termini servari possint usque ad sentenciam diffinitivam exclusive ac si per omnes et coram omnibus simul factum et processum fuisset: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Illa autem de communibus concessit ipsam supplicacionem solum quo ad observacionem terminorum, quo vero ad alia, non placuit nisi specificatis causis.

Super supplicacione domini Raymundi Talonis, petentis in causa, quam habet contra Dominicum de Bacellis, committi iudicibus, ut secun-

dum tenorem decretorum huius sacri concilii et secundum commissiones ipsius Raymundi procedant, non obstantibus quibuscunque: concordant tres deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, voluit quod causa remaneat in hoc sacro concilio et quod procedatur iuxta decreta huius sacri concilii in eadem et fiat iusticia.

Super supplicacione reverendissimi domini archiepiscopi Auxitani porrecta, petentis confirmari omnes provinciales constituciones sue ecclesie, conservatores perpetuos earundem dare, facere reconciliari ecclesias sue diocesis per presbiterum ydoneum etc., concordant omnes deputaciones, quod super prima peticione reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis et reverendi patres domini Aquensis et Lectorensis episcopi unacum ceteris precognitoribus se informent et referant in deputacionibus; super ceteris vero peticionibus, quod auctoritate sacri concilii concedatur ut petitur, excepto illo pro quo petit officium cursoris.

Super supplicacione habitatorum et incolarum ville de Casterle Cameracensis diocesis super consecracione unius altaris sub nomine seu vocabulo S. Crucis in parrochiali ecclesia dicte ville per eosdem constructum edificatum et dotatum, concordant tres deputaciones, quod admittatur supplicacio, requisito tamen ordinario loci. Quarta, videlicet de communibus, ipsi ordinario commisit.

Super supplicacione Johannis Bruystens et Katherine Kneps Cameracensis diocesis, petencium cum ipsis super cognacione spirituali dispensari, concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset, prout sibi videbitur.

Ad idem super supplicacione Andree Hund laici et Elizabeth filie Conrardi Eblunsz coniugum Wormaciensis diocesis super tercio consanguinitatis gradu in matrimonio ignoranter contracto.

Super supplicacione magistri Marci decretorum doctoris, petentis ut domino Joseph de Bripio decretorum doctori ordinario loci committatur, quatenus si sibi constiterit, quod locacio cuiusdam domus de consensu rectoris et patronorum ecclesie parrochialis S. Vitalis in emphiteosim assignata redundet in utilitatem ecclesie, mulierem cui est in emphiteosim data investiat: concordant tres deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma. Quarta, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super avisamento dominorum xij in facto cursorum, quod non augmentetur numerus cursorum in diminucionem salarii eorundem etc., concordant tres deputaciones cum ipso avisamento. Quarta autem, videlicet de pace, requisita non deliberavit etc.

Lectis concordatis dominorum xij^{cim} dominus Dominicus de Barcellis decretorum doctor habuit audienciam in causa sua contra dominum R[aymundum] Taloni et inter cetera dixit, quod ubi credebat in sacro concilio reperire sublevamen, ipse reperit gravamen. De quibus promotores pecierunt instrumentum.

Et tandem idem dominus Dominicus peciit non concludi super supplicacione dicti domini Raymundi Taloni et declarari per sacrum concilium, quod per huiusmodi[a)] signaturam nullum sibi preiudicium in petitorio vel possessorio aut expensis generetur.

Ex adverso replicavit dominus Franciscus de Bossis nomine domini Raymundi Taloni, petens concludi.

Quibus omnibus hincinde dictis, dominus cardinalis legatus nomine et auctoritate concilii more solito super dictis concordatis conclusit.

Dictus Dominicus de Bacellis dixit se persistere in suis protestacionibus alias factis.

Lecte fu[eru]nt littere in causa ecclesie S. Poncii Thomeriarum regraciatorie de sentencia lata in ipsa causa.

Quibus lectis magister Johannes Spazerii procurator domini translati ad eandem ecclesiam peciit de huiusmodi lectura instrumentum.

Dominica VII^{a} more solito fuit missa solemnis.

Die lune VIII^{a} mensis augusti in deputacione pro communibus super primo avisamento, concernente prorogacionem treugarum in terra Bauarie usque ad biennium, quod expirat circa festum S. Michaelis, placuit quod de qualibet deputacione deputentur aliqui, qui habeant potestatem eligendi ambassiatores et faciendi instructiones, ut predicte treuge renoventur vel pax fiat: placuit avisamentum in forma. Et pro hac deputacione deputati fuerunt cum reverendissimo domino cardinali legato domini Lugdunensis et Lubicensis.

Super secundo avisamento, concernente guerram que timetur oriri in Franchonia inter dominum episcopum Herbipolensem et coadiutorem suum, videlicet quod sacrum concilium scriberet utrique parti, quod mitterent huc[b)] procuratorem cum sufficienti mandato ad concordandum vel recipiendum iusticiam, et quod interim supersederent a via facti, eciam sub gravibus penis: placuit huiusmodi avisamentum in forma.

Super primo et secundo avisamentis dominorum xij, videlicet de studio generali erigendo et maiori penitenciario instituendo in hoc sacro concilio, non placent avisamenta.

[a)] quod per huiusmodi *wiederholt P.* [b)] hinc *P.*

Super iij° de extensione capituli „Statutum“ [1] ad doctores in sacris constitutos etc. placuit, quod deputentur aliqui notabiles doctores de qualibet deputacione, qui habeant super ipso capitulo et super omnibus aliis capitulis Clementinarum et Sexti eligere omnia dubia et refferre in deputacionibus. Et pro hac deputacione deputati fuerunt domini Lugdunensis et Biturgensis, vocatis secum doctoribus, quos voluerint evocare.

Super iiij^to^ et ultimo de iudicibus dandis curatis contra Mendicantes super quarta legatorum et sepulturarum etc. placuit, quod ad presens supersedeatur in hac materia.

Die veneris XII^a^ augusti M°iiij^C^xxxv° in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus dominis Arelatensi et de Columpna cardinalibus, Anthioceno et Aquilegiensi patriarchis.

Medio iuramento prestari solito incorporati fuerunt Thomas le Piguier canonicus Constanciensis magister in artibus et licenciatus in decretis, Radulphus Fabri magister in artibus curatus de Bornouilla Rothomagensis diocesis, magister Johannes Quentin licenciatus in legibus admissus per dominos deputatos pro domino episcopo Sagiensi.

Lecte fuerunt littere civitatis Aurelianensis, concernentes unionem prioratus S. Sansonis Aurelianensis.

Concordata.

Super primo avisamento reverendissimi domini cardinalis legati de deputandis aliquibus pro qualibet deputacione, qui habeant potestatem eligendi aliquos ambassiatores mittendos ad Bauariam pro treugis sive pace ibidem procurandis et conficiendi instructiones eisdem ambassiatoribus dandas: concordant omnes deputaciones in huiusmodi avisamentis. Et ad premissa pro sacra deputacione pro communibus nominati fuerunt reverendissimi domini cardinalis legatus, archiepiscopus Lugdunensis, episcopus Lubicensis, pro deputacione reformatorii dominus postulatus Traiectensis et abbas Eboracensis, pro deputacione pacis domini prepositus Barduicensis et officialis Patauiensis, et pro sacra deputacione fidei domini Dignensis et Aquensis episcopi.

Super secundo avisamento eiusdem reverendissimi domini cardinalis legati, continente in effectu quod sit expediens scribere dominis episcopo Herbipolensi et coadiutori suo, quod mittant huc procuratorem cum sufficienti mandato ad concordandum vel recipiendum iusticiam, et quod interim supersedeant a via facti, sub gravibus penis: concordant omnes deputaciones in huiusmodi avisamentis in forma.

[1] *Clementin. lib. I tit. 3 cap. 7.*

Super supplicacione Guillermi Andree laici Aurelianensis et Robine la Heusseline, petencium secum dispensari super matrimonio contracto in iij° gradu affinitatis, concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendo domino episcopo Aurelianensi ordinario loci, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset ut petitur.

Super supplicacione abbatis S. Ruphi Valentinensis prioris prioratus beate Marie de Bona Requie alias de Monte Fauesio Auinionensis diocesis propter guerrarum turbines destructi, petentis committi alicui in partibus, qui se informet de certis bonis mobilibus ad ipsum prioratum pertinentibus et in predicto monasterio ad cultum divinum ex ordinacione ipsius abbatis, ad id accedente consensu prioris moderni dicti prioratus, conventus dicti monasterii et tocius capituli generalis dicti ordinis, redactis, ex eo quia secure in dicto prioratu propter huiusmodi guerrarum turbines non poterant conservari, et si premissa repererit veritate fulciri, predictam ordinacionem abbatis et capituli confirmet et predicta bona ad cultum divinum dicti monasterii remanere debere decernat et declaret: concordant omnes deputaciones, quod committatur reverendissimo domino patriarche Anthioceno, qui habita informacione de contentis in eadem supplicacione, confirmet declaret et procedat ut petitur. Quarta vero, videlicet de pace, supperaddit, quod si contingat dictum prioratum adeo reparari, quod dicta bona in eodem possint secrete conservari, quod dicti abbas et conventus ad restitucionem eorum sint astricti.

Quibus concordatis lectis reverendissimus dominus cardinalis legatus more solito iuxta huiusmodi concordata conclusit.

Magister Johannes Lamelin ambassiator domini ducis Burgundie assertus precognitor iuravit huiusmodi officium fideliter exercere.

Dominus abbas Cisterciensis, assistentibus sibi venerabilibus et circumspecto ac religioso viris[a)] magistro Petro de Trillia et fratre Bartholomeo Rubei professore ordinis Celestinorum, narravit commissionem alias factam certis dominis in hoc sacro concilio super canonizacione S. Petri de Luzemburgo; sed quia non habebant processus et informaciones, non potuerant vacare circa huiusmodi factum canonizacionis, et idcirco sacrum concilium scripserat reverendissimo in Christo patri domino cardinali de Fuxo, ut processus et attestaciones testium ad hoc facientes perquireret seu perquiri faceret et fideliter transmitteret. Quiquidem reverendissimus dominus cardinalis, volens mandatis huius sacri concilii obtemperare, omnes et singulos processus ad hoc facientes, ut dicebat idem dominus abbas, perquiri fecit et tandem quos reperit per dictum fratrem Bartholomeum in duobus voluminibus et duobus quinternis tela nvolutis eiusque sigillo sigillatis, ut dicebant, transmisit, quod ibidem

[a)] viro *P.*

facto produxerunt ex parte dicti reverendissimi domini cardinalis de Fuxo, cui sacrum concilium super hoc scripserat, processus factos pro canonizacione S. Petri de Luzemburgo unacum certis bullis domini Martini bone memorie pape V^ti^ et litteris dicti domini cardinalis de Fuxo, que littere ultime lecte fuerunt.[1]

Quibus lectis supplicavit idem dominus abbas Cisterciensis cum omni devocione humilitate et reverencia, ut domini dignarentur ad canonizacionem ipsius S. Petri procedere, committendo dominis in hac causa alias deputatis, ut huiusmodi processus bullas et instrumenta diligenter visitent et sacris deputacionibus postmodum referant. De quibusquidem presentacione et productione et requisicione ac supplicacione ipse dominus abbas peciit per dominum Odonem de Varris prothonotarium et nos T[homam] Chesneloti et E[rardum] Rousselli notarios sacri concilii, aliis absentibus, fieri unum et plura instrumenta.

Similiter reverendissimus dominus archiepiscopus Lugdunensis nomine suo et aliorum ambassiatorum serenissimorum dominorum regum et principum ibidem existencium supplicavit et requisivit.

Similiter magister Dyonisius de Sambreuays ambassiator alme universitatis Parisiensis nomine suo et aliorum coambassiatorum suorum.

Presentes fuerunt in premissis domini Georius ambassiator domini imperatoris, Albertus Varentrap decretorum doctor officialis Coloniensis, Galeacius de Mantua eciam decretorum doctor auditor rote.

Dominus cardinalis legatus exhortatus fuit dominos deputatos, ut cum magna maturitate et gravitate et diligencia velint huiusmodi processus visitare et postmodum refferre in generali congregacione.

Quibus omnibus dictis, idem frater B[artholomeus] instantibus promotoribus iuravit, se fideliter et legaliter huiusmodi processus et instrumenta portasse, nichil innovando vel mutando.

Die sabbati XIII^a^ mensis augusti in deputacione pro communibus placuit, quod domini incorporati huic sacro concilio et eorum familiares possint eligere confessores, qui de eorum peccatis absolvere possint usque ad octavas festi Assumpcionis beate Marie inclusive iuxta formam alias consuetam, et quod cras post missam concludatur in huiusmodi materia.

Ad visitandum et examinandum processum et attestaciones in facto beati Petri de Lucemburgo et referendum in congregacione generali deputati fuerunt domini legatus Lugdunensis Lubicensis Burgensis et Niuernensis episcopi, ita tamen quod si non omnes convenerint, illi qui conveniant, potissime pro maiori parte, possint in huiusmodi negocio procedere.

[1] *Mansi 30, 918.*

Dominus Johannes Herbipolensis pro excusacione sua necnon domini Herbipolensis episcopi aliqua dixit contra et adversus aliqua verba, ut dixit, in inclita nacione Germanica contra eum dicta, et pro verificacione suorum verborum produxit duas copias instrumentorum, ut asseruit cum originalibus collacionatas.

Placuit quod domini deputati in facto ecclesie Aquilegiensis conveniant hodie hora iij[a] in S. Francisco ad videndum instructiones dandas ambassiatori mittendo Venecias.

Placuit quod scribatur ex parte sacri concilii domino abbati S. Ruffi rogando ipsum quod recipiat duos canonicos regulares ad professionem et quod ponat eos in collegio suo Montispessulani studendi causa.

Super supplicacione abbatis monasterii Fabariensis Curiensis diocesis, petentis suppleri deffectum iuramenti in sua electione, licet unanimiter facta fuerit, non prestiti, placuit huiusmodi supplicacio in forma, dum tamen non sit alteri ius quesitum.

Super supplicacione Willermi Bardesay, Johannis Topchif, Roberti Compon[a)] et Henrrici Dale canonicorum prioratus conventualis beate Marie de Marton[b)] ordinis S. Augustini Eboracensis diocesis, petencium ut ipsi et eorum quilibet, qui vicesimumprimum annum peregerint, ad omnes sacros ordines a quolibet fideli antistite et temporibus debitis promoveri valeant, et quatenus indigeant secum dispensari, placuit quod committatur ordinario loci, qui eosdem auctoritate sacri concilii promoveat ad dictos ordines ut petitur, dum tamen ad hoc alias ydoneos eos reperiat.

Super supplicacione porrecta apud dominos xij per aliquos religiosos, petentes revocari et annullari omnes commendas factas et faciendas, exceptis illis que facte sunt reverendissimis dominis cardinalibus et patriarchis, placuit quod huiusmodi avisamentum reiciatur et prohibeatur eisdem religiosis, ne deinceps tales porrigant supplicaciones sine licencia dominorum abbatum in hoc sacro concilio existencium.

Super supplicacione fratris Nicolai de Burro monachi professi monasterii S. Johannis Herliacensis ordinis S. Benedicti Lausanensis diocesis, suspecti de morbo lepre, licet sufficienter probati per medicos et s[ir]urgicos et purgati, petentis sibi provideri per abbatem suum de prebenda sua competenti pro se et servitore suo in loco solitario, si eum ad monasterium suum recipere noluerit, ipsumque et abbatem suum ad hoc per sentenciam excommunicacionis et alia iuris remedia compelli etc.: placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione domini Jacobi de Kamburga perpetui vicarii in Lack[c)] Aquilegiensis diocesis, petentis causam appellacionis unacum negocio

[a)] Componñ *P.* [b)] Martoñ *P.* [c)] Kack *P.*

principali committi dominis, ad quos punicio criminis symoniaci commissa est, placuit quod committatur domino Lausanensi, qui cum aliis dominis deputatis aliarum deputacionum contra huiusmodi symoniacos audiat cognoscat etc. et alias procedat ut petitur.

Super primo avisamento dominorum xij de providendo, ne hoc sacrum concilium dissolvatur, aut iuxta formam decreti concilii Constanciensis, incipientis „Ne ante electionem futuri summi pontificis“ etc.,[1] aut alias, prout sacris deputacionibus videbitur, extendendo decretando et excecucioni demandando etc., scrutatis votis singulorum placuit quod fiat decretum contra querentes inhonestam dissolucionem concilii ac eciam inhonestam et minus longam duracionem eiusdem, et quod committatur aliquibus dominis, qui videant huiusmodi decretum et aptent et eciam de modo providendi, ne dissolvatur, secundum circumstancias et qualitates temporis moderni mutatis mutandis. Et pro hac sacra deputacione deputati fuerunt domini archiepiscopus Lugdunensis et Burgensis episcopus.

Super secundo et iij° avisamentis, continentibus in effectu quod exhortentur domini deputati ad reformacionem decreti de electionibus et reverendissimus dominus cardinalis legatus, ut capitula reformacionis per eum concepta mitta[n]t ad sacras deputaciones, ut sacrum concilium possit vacare circa reformacionem etc., placuit quod exhortetur et rogetur reverendissimus dominus cardinalis legatus, ut totam massam reformacionis adducat vel mittat ad sacras deputaciones per articulos, ut ipsi possint in hac materia reformacionis vacare.

Ex relacione promotoris super supplicacione Euerhardi[a)] Mulner et Elizabeth eius uxoris, petencium secum dispensari super matrimonio contracto in secundo gradu affinitatis, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus dispenset auctoritate sacri concilii, prout eisdem videbitur expedire.

Die veneris XIX[a] mensis augusti in deputacione pro communibus placuit, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, ut ipse habeat expedire litteras regraciatorias certis mercatoribus Ragusinis, qui ambassiatores sacri concilii euntes ad Greciam in Veneciis honorarunt et expensis suis eos receperunt per primos dies, et quod dominus scolasticus Andegauensis transiens Venecias habeat huiusmodi litteras defferre et ex parte sacri concilii eisdem civibus regraciari.

Super supplicacione domini scolastici Andegauensis iudicis etc. placuit, quod ipse dominus scolasticus possit nominare unum notabilem

a) Chiurardi *P.*

1 *14. Session, 1415 Juli 4. Mansi 27, 742.*

virum, qui usque ad eius regressum exerceat loco sui officium iudicature.

Super supplicacione dominorum presidencium, petencium [a] eis prorogari terminum monitorii usque ad adventum dominorum ambassiatorum domini nostri pape et eciam sacri concilii etc., placuit quod huiusmodi terminus prorogetur a fine eiusdem usque ad octo dies immediate sequentes inclusive.

Super supplicacione episcopi Sirmensis, petentis quod possit exercere officium episcopale in quibuscunque diocesibus, de consensu tamen diocesanorum etc., placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione per dominum Lausanensem nomine dominorum episcoporum verbotenus facta placuit, quod omnes domini episcopi, qui in hoc sacro concilio fuerint aut erunt per unum annum integrum, eximantur perpetuo a visitando limina apostolorum, non obstante iuramento per eos super hoc prestito, quodque cum eisdem super huiusmodi iuramento dispensetur.

Super supplicacione Thome Rawklief Eboracensis diocesis, petentis secum dispensari, ut possit ad ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum recipere, non obstante deffectu natalium de soluto genitus et soluta, remissa fuit ad sedem apostolicam.

Placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, ut possit scribere serenissimo domino regi Castelle in favorem illorum de Medicis pro certis [pecuniis] [b] rehabendis eisdem ablatis etc.

Dicta die veneris XIX[a] augusti M°iiij[C]xxxv° in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus Arelatensi et de Columpna, Lugdunensi Bituricensi Rothomagensi Mediolanensi archiepiscopis, Conchensi Niuernensi Dignensi Maclouiensi episcopi[s], presente Jordano Morini.

More solito fuerunt incorporati magister Nicolaus Pare presbiter prepositus in Slengen Misnensis diocesis baccallarius in decretis, dominus Stephanus de Vasz prior prioratus S. Vldarici Basiliensis diocesis ordinis S. Augustini baccallarius in decretis, frater Johannes de Aureliaco prior de Marbosio ordinis Cluniacensis Lugdunensis diocesis baccallarius in decretis familiaris domini Arelatensis, magister Robertus Managny magister in artibus Parisiensis canonicus Ebredunensis, abbas S. Galli Constanciensis diocesis, abbas Husowensis de Espurg ordinis S. Benedicti Augustensis diocesis.

Domini ambassiatores concilii missi pro pace Treuerensi, absente domino preposito S. Seuerini Treuerensis [diocesis], qui non fuit reversus, suam

[a]) domini presidentis petēn *P.* [b]) *ein Wort offen gelassen P.*

singulariter singuli de gestis per eos in huiusmodi ambassiata fecerunt relacionem, ipsam relacionem per tres particulas, ipsorum cuilibet unam assignando, dividentes. Qua facta de eorum laboribus in [huiusmodi ambassiata] et eciam eidem preposito absente fuit per dominum legatum ex parte concilii regraciatum et[a] eciam dominis qui eos favoribus tractaverunt in itinere etc.

Concordata.

Concordant omnes deputaciones, quod per sacrum concilium prorogetur terminus monicionis facte dominis presidentibus pape per deputatos sacri concilii ad requirendum et monendum eosdem, ut a protestacionibus etc., usque ad octo dies inclusive a die finiti termini. Deputacio de pace addit „et non ultra“, deputacio vero de fide addit, „sine preiudicio facultatis date per concilium dominis deputatis“.

Item concordant omnes deputaciones, quod dominus scolasticus Andegauensis possit nominare reverendissimo domino vicecançellario unum notabilem virum in officio iudicature, qui loco sui procedat in causis, resumat audiat etc. usque ad adventum dicti scolastici de Ytalia, qui est acturus pro patriarchatu Aquilegiensi ex parte concilii etc.

Super supplicacione Thome Rakeffy Eboracensis diocesis, petentis secum dispensari, ut non obstante deffectu natalium, quem patitur de soluto et soluta etc., possit ad omnes ordines promoveri et quodcunque beneficium etc. obtinere, concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio ut petitur. Deputacio vero de pace addidit „si ad hoc alias habilis et ydoneus inveniatur.“ Quarta vero de communibus requisita non deliberavit.

Super supplicacione Ebel de Stedebac laici et Merkel de Oruerl Valghem mulieris Maguntinensis diocesis, petencium secum dispensari super matrimonio contracto inter se ignoranter, carnali copula subsequta, in iiij^to^ gradu consanguinitatis etc., concordant tres deputaciones, quod committatur domino legato, qui auctoritate concilii dispenset ut petitur cum supplicantibus. Illa vero de reformatorio requisita non deliberavit.

Super supplicacione Nicolai Hotghton clerici Eboracensis diocesis, petentis secum dispensari, ut non obstante deffectu natalium etc. de soluto et soluta possit promoveri ad omnes ordines et beneficia quecunque obtinere, concordant tres deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur. Quarta vero de communibus commisit reverendissimo domino legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicante ut petitur.

Super supplicacione fratris Guillermi Wiselbing prioris de Cartmellis ordinis S. Augustini Eboracensis diocesis, petentis licenciam eli-

[a]) in et *P.*

gendi confessorem etc., qui eundem absolvat de omnibus peccatis preterquam de casibus reservatis etc., concordant [tres] deputaciones, quod admittatur presens supplicacio in forma ut petitur. De pace requisita non deliberavit.

Lectis huiusmodi concordatis dominorum de xij, reverendissimus dominus cardinalis legatus more solito conclusit.

Die sabbati XX[a] augusti intraverunt ambassiatores domini nostri pape, videlicet dominus Anthonius de S. Vito et generalis ordinis Humiliatorum[a)] hora iij[a] post meridiem per portam Cartusiensium.

Die dominica XXI[a] more solito fuit missa solemnis.

Die lune XXII[a] augusti fuit missa solemnis pro pace Italie, et non fuerunt deputaciones, neque die martis sequente, sed eciam fuit missa pro pace.

Die iovis XXV[a] augusti in deputacione pro communibus super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati, continente in effectu, quod sacre deputaciones dignentur intendere hodie et sabbati et per totam sequentem ebdomadam ad reformacionem, et que pertinent ad iusticiam sive in cathedralibus sive aliis, remittantur ad reverendissimum dominum cardinalem Arelatensem et precognitores, ea que pertinent ad consciencium, ad reverendissimum dominum cardinalem legatum, ea que ad dispensaciones pertinent matrimoniales et similes, committantur alicui saltim per mensem etc.: placuit huiusmodi avisamentum in forma, ita tamen quod dispensaciones matrimoniales et similes commisse fuerunt reverendissimo domino cardinali legato, supplicaciones vero de gracia domino cardinali Arelatensi et dominis precognitoribus per mensem.

Item super avisamento dominorum duodecim, quod decretum „Ut sacri concilii“ etc.[1] extendatur ad procuratores advocatos sollicitatores ambassiatores scribentes contra incorporatos coram papa etc., placuit et admissum fuit huiusmodi avisamentum in forma. Item eciam placuit, quod extendatur ad iudices recusantes facere iusticiam eisdem incorporatis.

Super supplicacione domini Fernandi Vasci canonici Segobiensis olim familiaris bone memorie domini cardinalis S. Eustacii, petentis ut posset permutare beneficia sua in manibus ordinarii loci aut alterius

[a)] *so P, lies* Camaldulensium.

[1] *13. Session, 1433 September 11.*

persone in dignitate constitute etc., placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Idem pro domino scolastico Seguntino.

Super concordia facta inter reverendissimum dominum archiepiscopum Turonensem et capitulum beatissimi Martini Turonensis placuit, quod huiusmodi concordia validetur et approbetur per sacrum concilium de consensu earundem parcium.

Super supplicacione domini Walrami de Moersa postulati ecclesie Traiectensis, petentis ut si constiterit de non iure sui adversarii et inhabilitatibus, confirmari postulacionem suam etc., placuit quod committatur reverendissimis dominis cardinali legato, archiepiscopo Lugdunensi et episcopo Burgensi, qui videant huiusmodi supplicacionem et examinent et in deputacione postea referant.

Super supplicacione domini electi Albiensis, petentis committi dominis commissariis alias in hac causa deputatis, ut se informent summarie de innovatis et attemptatis pendente lite in preiudicium litispendencie et parcium etc., placuit quod domini alias deputati in hac causa ad referendum saro concilio merita cause huiusmodi se de omnibus attemptatis et innovatis lite huiusmodi pendente tam contra huiusmodi prohibicionem et mandata concilii quam in preiudicium litispendencie summarie simpliciter et de plano se informent et ea que per dicta seu deposiciones testium receptorum et recipiendorum vel alias, prout de iure fuerit, veritate fulciri compererint, referant in generali congregacione.

Placuit quod per sacrum concilium scribantur littere sanctissimo domino nostro pape, ut ipse domino Dominico de Barcellis decretorum doctori, pretendenti officium vicegerencie auditoris camere apostolice in Auinione sibi deberi et competere, de aliqua ecclesia in partibus suis provideat, ut Raymundus Taloni decretorum doctor, qui huiusmodi officium per multos annos possedit et exercuit, in huiusmodi officio pacificus remaneat.

Item placuit quod dominus legatus possit scribere nomine sacri concilii certis principibus et nobilibus, qui debent convenire pro pacificacione certorum nobilium parcium Burgundie et Austrie, litteras exhortatorias ad pacem.

Similiter placuit, quod idem dominus legatus possit scribere litteras leves et non preiudicabiles quibuscunque neccessarias.

Super supplicacione Johannis Desiderii Tardi, petentis quod iuxta formam tercie et ultime signature iudex in hac causa procedat perinde ac si per deputaciones et congregacionem generalem concessa fuisset, placuit quod reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis unacum do-

minis precognitoribus possit huiusmodi supplicacionem signare, et quod perinde valeat ac si per sacras deputaciones signata extitisset.

Die veneris XXVI[a] mensis augusti M°iiij[C]xxxv° in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus Arelatensi, de Columpna, Aquilegiensi Lubicensi Lugdunensi Mediolanensi Bituricensi etc.

Medio iuramento fuerunt incorporati magister Lucas de Senis magister in theologia ordinis Minorum inquisitor Marsie Triuisane, Petrus de Gellia licenciatus in legibus magister in artibus decanus ecclesie collegiate S. Sirici Bituricensis diocesis, dominus Jacobus Wisse archidiaconus de Vitello in ecclesia Tullensi de militari genere procreatus, Johannes Hertman canonicus ecclesie Herfordensis, magister P[etrus] de Tintauilla pro domino episcopo Eduensi admissus per dominos deputatos de xij baccallarius in decretis archidiaconus Eduensis, Johannes Efford baccallarius in theologia prior de Folkstan diocesis Cantu[a]riensis, dominus Willermus Frome decretorum doctor, magister Henrricus Weber in decretis baccallarius.

Lecte fuerunt littere ambassiatorum concilii ad Greciam missorum.

Concordata.

Concordant tres deputaciones, quod domini commissarii in facto canonizacionis S. Petri de Luzemburgo possint decernere litteras remissorias et compulsorias neccessarias pro habendis et extrahendis nonnullis iuribus ad causam huiusmodi facientibus tam in hoc sacro concilio quam in partibus. Quarta vero, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super supplicacione episcopi Sirmiensis, petentis absolvi a iuramento prestito in acceptacione litterarum sue promocionis de se transferendo ad dictum episcopatum in terra infidelium situatum, et eciam licenciam ministrandi et exercendi pontificalia extra suas civitatem et diocesim de consensu diocesanorum etc.: concordant omnes deputaciones in ipsa supplicacione. Ille autem de fide et de reformatorio addunt, quod nichil recipiat pro ordinibus.

Super supplicacione Fernandi Vassi canonici Segobiensis olim familiaris bone memorie domini cardinalis S. Eustacii, petentis ut possit permutare beneficia sua in manibus ordinarii loci aut alterius persone in dignitate constitute etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur. Quarta, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Super supplicacione reverendissimi domini archiepiscopi Turonensis, petentis concordiam inter ipsum et magistrum Jordanum Morini magi-

strum in theologia ambassiatorem christianissimi domini regis Francie et dominum scolasticum Andegauensem de et super lite inter ipsum et dictum capitulum mota factam per sacrum concilium validari et approbari de consensu dictarum parcium: concordant tres deputaciones, quod admittatur supplicacio huiusmodi in forma ut petitur. Quarta vero de pace requisita non deliberavit.

Super supplicacione fratris Nicolai de Burro monachi professi monasterii S. Johannis Herbacensis ordinis S. Benedicti Lausanensis diocesis, petentis attento quod litteras purgacionis super morbo lepre sibi imposito per nonnullos dicte abbacie malivolos,[a)] mandari per sacrum concilium abbati suo eciam sub pena excommunicacionis, ut ipsum graciose in monasterio recipiat aut saltim ei provideat de prebenda competenti pro ipso et uno familiari in loco solitario in supplicacione expresso etc.: concordant omnes sacre deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacionibus matrimonialibus concordant omnes deputaciones, quod committantur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus dispenset prout sibi videbitur expedire. Super supplicacione Radulphi Standelphe et Johanne de Ratkliffe, Johannis Perretz de Lanteling et Anne eius uxoris, Frederici Volfel et Margarete Eistetensis diocesis, Ottonis Mulker et Elizabet Augustensis diocesis, Gerardi filii Johannis de Ghale et Beatricis filie Johannis Colemrens laicorum Leodiensis diocesis in iiij^{to} gradu consanguinitatis in matrimonio non contracto, Humberti Vandestraten et Johanne etc. eiusdem diocesis in iij^{o} affinitatis non contracto, Johannis Biestvelt et Meltuldis in iij^{o} affinitatis non contracto.

Lectis retroscriptis concordatis, reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine et auctoritate sacri concilii more solito concludendum duxit et conclusit.

Postquam accesserunt ad congregacionem domini generalis ordinis Camaldulensium et Anthonius de S. Vito ambassiatores domini nostri pape et venerunt ad congregacionem et unacum eisdem domini archiepiscopus Tarentinus et Paduanus, fuerunt lecte littere dominorum Johannis de Ragusio et aliorum ambassiatorum sacri concilii missorum ad Greciam, in quibus in fine scribebant, quod dominus Christoforus Garatonus ibat Constantinopolim.[1]

Quibus lectis dominus archiepiscopus Tarentinus excusavit suspicionem, que habebatur contra dominum nostrum papam ex missione dicti

[a)] *fehlt ein Ausdruck wie etwa* refutantur.

[1] *Mansi 30, 922, vgl. Bd. 1, 130.*

Christofori Garatoni ad Constantinopolim, et legit certas litteras sibi et domino Paduano directas per dominum Ceruiensem, per quas dicebat, quod si imperator et patriarcha Grecorum annuant vie attemptate per sacrum concilium in reductione Grecorum, dominus noster papa consentit; si autem elegerint aliquem locorum nominatorum, dominus noster eciam consentit; et si sit in loco ad quem declinare possit, personaliter intendit interesse et quantum poterit sacro concilio favere.

Quibus dictis dominus generalis ordinis Camaldulensium et Anthonius de S. Vitto sacri palacii apostolici auditor presentaverunt litteras credenciales in eorum personas.[1] Quibus eciam omnibus lectis, idem dominus generalis proposuit primo super caritate mutua in corpore mistico observanda, asserens quod dominus noster nichil optat aliud, quam ornamentum singulare necnon reformacionem, sed suadet caritatis iura tuenda, concludendo orando, quod domini velint conservare corpus misticum, id est ecclesiam catholicam sine scissura, servato semper iure et ordine caritatis.[2] Pecierunt eciam sibi deputari aliquos de omnibus regnis et statibus, quibus referant aliqua specialia eis iniuncta, assserens quod dominus noster non renuit decretum de annatis nuperrime per sacrum concilium publicatum, dumtamen sedi apostolice et sacro collegio reverendissimorum dominorum cardinalium provideatur.

Qua facta oracione, reverendissimus dominus cardinalis legatus ipsam oracionem per particulas repeciit. Primo de bonis et felicibus verbis caritatis. Secundo de auctoritate sedis apostolice. Tercio quod antiquis temporibus multi oppressi recurrerunt ad sedem apostolicam. Quarto adiecit multa sancta ac laudabilia opera, que hec sancta synodus operata et amplexa est, ad que perficienda decet sanctos et sanctissimos viros. Deinde qualiter sanctissimus dominus noster et sacrum collegium dominorum cardinalium sunt affecti ad hec sancta opera et reformacionem ecclesie, dumtamen non ita colligatur zizania, quod evellatur triticum. Amonendo ut nichil fiat nisi cum caritate et assensu domini nostri pape requisito. Postea quod neccessarium est ut ecclesia Romana refugium pauperum habeat uberes fructus, unde pauperibus succurrere possit, collaudando Constantinum et alios reges et principes, [qui] dederunt terras ecclesie, subiungendo quod veteres synodi semper egerunt ea que honorem sancte sedis apostolice concernebant, supplicando ut domini velint conservare ecclesiam sine scissura, narrando eciam que contigerunt Innocencio iij°,[3] Alexandro tertio, Johanni xxiij et domino nostro moderno. Conclusive ortabatur, ut taliter sacrum concilium agat,

[1] *Mansi 30, 921. 922.* [2] *Die Rede bei Mansi 29, 1250 und Ambrosii Traversarii Epistolae ed. Mehus 2, 1143, vgl. Bd. 1, 134.* [3] *So auch im Texte der Rede Mansi 29, 1256. Innocenz II. ist gemeint.*

quod non sit scissura in ecclesia, petendo postremo quod dentur deputati, ut supra petitum est, subiciendo quod dominus noster non renuit decretum nuper de tollendis annatis publicatum, dumtamen fiat provisio congrua domino nostro et sacro collegio reverendissimorum dominorum cardinalium.

Narratis igitur premissis et repetitis, dictus dominus cardinalis legatus eisdem respondit et exhortatus est sacras deputaciones, ut cras super huiusmodi propositis et petitis deliberare velint. Et ut sacre deputaciones melius et liberius deliberare possint, peciit idem dominus legatus, ut suam velint proposicionem communicare. Quod se velle facere dixerunt. De quibus omnibus promotores sacri concilii pecierunt instrumenta.

Placuit quod dominus Walramus postulatus Traiectensis, abbas de Mulbruno et dominus Rodolphus Wormaciensis mittantur ad Nurembergham pro pace in ducatu Bauarie et inter episcopum Herbipolensem et eius coadiutorem.

Item similiter placuit quod domini Niuernensis episcopus, marchio de Ruthelin et Johannes Lamelin ambassiatores domini ducis Burgundie transeant ad dietam indictam pro pace fienda inter certos militares et nobiles ducatuum Burgundie et Austrie.

Deinde lecte fuerunt littere quinque ecclesiarum Traiectensium, quibus lectis dominus Walramus de Moersa electus seu postulatus Traiectensis revocavit ad animum iniurias in eisdem litteris contentas et peciit copiam litterarum predictarum et desuper requisicione et revocacione huiusmodi sibi fieri instrumentum etc.

Ex adverso dominus Petrus de Mera narravit, qualiter idem dominus Walramus heri transivit per deputaciones, petens indirecte unam novam provisionem, ex eo quia in citacione nominavit se electum confirmatum, licet sit solum postulatus; et idcirco peciit iudicari secundum formam citacionis et non alias.

Die sabbati XXVII[a] augusti in sacra deputacione pro communibus super prorogacione termini monitorii facti presidentibus domini nostri pape placuit, quod huiusmodi terminus prorogetur iterum ad octo dies a fine termini, et quod hodie hora iij[a] post meridiem fiat congregacio generalis ad concludendum in huiusmodi materia, ne interrumpatur ordo sacri concilii, et per huiusmodi prorogacionem non derogetur potestati dominorum in hac materia monitorii deputatorum.

Ad audiendum ambassiatores domini nostri pape, qui de novo venerunt, et referendum in sacris deputacionibus deputati fuerunt domini alias deputati pro provisione domini nostri pape, et eciam quicunque voluerint interesse, et loco domini abbatis de Verona absentis surrogatus fuit dominus abbas de Chereto.

Una pars dominorum deliberavit super forma decreti de electione summi pontificis.

Dicta die sabbati XXVII[a] augusti M°iiij[c]xxxv° in generali congregacione tenta post meridiem, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus dominis de Columpna, patriarchis Anthioceno et Aquilegiensi, lecta fuerunt concordata que sequntur.

Concordata.

Super prorogacione termini monicionis dominorum presidencium sanctissimi domini nostri pape concordant omnes deputaciones, quod prorogetur iterum eisdem dominis presidentibus ad octo dies a fine termini inclusive, et quod hodie fiat congregacio generalis ad concludendum super huiusmodi materia, ita tamen quod per huiusmodi prorogacionem non derogetur potestati dominis in hac materia monicionis deputatis attribute, ita quod si non omnes possint in huiusmodi materia vacare, maior pars illorum ceteris absentibus vacare possit. Deputacio fidei addit, quod terminus sit peremptorius.

Ad audiendum dominos ambassiatores domini nostri pape, qui de novo venerunt, et referendum in sacris deputacionibus concordant tres deputaciones quod deputentur domini alias super provisione domini nostri pape etc. deputati, et eciam quicunque voluerint interesse. Quarta, videlicet de fide, cum dominis Biturícensi et Lectorensi alias pro huiusmodi provisione deputatis addidit dominos Rothomagensem archiepiscopum, abbates Eboracensem et de Castillione, priorem Chamberiaci, prepositum Barduicensem, officialem Patauiensem et prepositum Tridentinum, ita tamen quod si non omnes convenire possint, maior pars ad huiusmodi actum procedere possit.

Lectis huiusmodi concordatis, reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine et auctoritate sacri concilii, ut est moris, duxit concludendum pariter et conclusit.

Die dominica XXVIII[a] augusti more solito fuit missa solemnis. Et dicta die in refectorio domus fratrum Minorum Basiliensium, congregatis ibidem dominis deputatis ad audiendum ambassiatores domini nostri et referendum et aliis qui voluerint interesse, ipsi domini ambassiatores per organum domini Anthonii de S. Vitto auditi fuerunt, petentes conclusive post multa narrata de paupertate domini nostri pape et eius adversitatibus ac bona affectione, quam habet ad sacrum concilium ac eciam domini cardinales, quod suspenderetur decretum de annatis tollendis. Qua facta proposicione reverendissimus dominus cardinalis legatus peciit nomine et auctoritate sacri concilii copiam dicte proposicionis, ut sacrum concilium melius in hac materia deliberare possit.

Die martis XXX[a] mensis augusti in deputacione pro communibus super supplicacione reverendissimi domini cardinalis de Columpna et domini Thome Chycele archidiaconi ecclesie Cateruanensis, petencium confirmari compromissum et sentenciam super huiusmodi archidiaconatu etc. latam, resignacionem capitula et convenciones etc. et omnia indesequta etc.: placuit et admissa fuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione domini Hugonis abbatis monasterii Casedei, petentis quod possit reformare auctoritate sacri concilii omnes suo monasterio subditos per se aut subdelegatum suum, delinquentes corrigere iuxta excessuum suorum exigenciam etc., placuit huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Venientes ad deputacionem dominus P[etrus] de Mera et Willermus Gerardi produxerunt supplicacionem domini Walrami et protestati fuerunt, prout in cedula, quam postea dederunt.

Super supplicacione domini Rodolphi episcopi, contraria supplicacioni domini Walrami postulati Traiectensis, placuit quod committatur reverendissimis dominis legato Lugdunensi et Burgensi alias deputatis ad videndum examinandum supplicacionem dicti domini Valrami et referendum in deputacione, ut ipsi eciam huiusmodi supplicacionem domini Rodolphi visitent et examinent et tandem in eadem deputacione referant.

Super supplicacione domini Petri episcopi Londoniensis, petentis unionem de parrochiali ecclesia prioratus nuncupata S. Johannis de Plenis alias de Blaqueria etc. et erectionem vicarie perpetue in et ex eadem ecclesia necnon collacionem per eum de dicta vicaria factas per sacrum concilium confirmari et approbari, placuit et admissa fuit huiusmodi supplicacio ut petitur in forma.

Super supplicacione inclite nacionis Germanice, petentis aggregari numero aliorum cursorum Godefridum Bley de Dursten, qui alias ante incohacionem sacri concilii Constanciensis et in eodem concilio [huiusmodi officium] exercuit, placuit et admissa fuit huiusmodi supplicacio in forma.

Similiter placuit de Alfonso familiari reverendissimi domini cardinalis de Columpna pro cursore, non obstante conclusione alias capta.

Super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati, concernente reformacionem monasterii Watinensis ordinis canonicorum regularium S. Augustini Morinensis diocesis, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali de Cipro et aliis dominis ambassiatoribus sacri concilii existentibus Attrebati, ut huiusmodi monasterium per se vel alios possint reformare in capite et in membris cum plena potestate, non obstantibus quibuscunque sentenciis etc. Et ad conficiendum litteras desuper huiusmodi commissione neccessaria[s] deputati fuerunt ipse reveren-

dissimus dominus legatus et reverendissimus dominus Arelatensis cardinalis.

Relatum est ex parte deputacionis pacis, quod ipsi elegerunt pro iudicibus dominos Raymundum Taloni, prepositum Barzuicensem et Nicolaum de universitate Parisiensi.

Lecta forma decreti electionis summi pontificis et scrutatis votis singulorum dominorum placuit materia, ita tamen quod aptetur forma per dominos ad hoc deputandos, qui videant et examinent addiciones per dominos dictas, aptent secundum quod eis videbitur expedire. Et ad aptandum huiusmodi decretum deputati fuerunt unacum reverendissimo domino cardinali legato et aliis deputatis[a] aliarum deputacionum domini Lugdunensis Lubicensis Burgensis Niuernensis Pergamensis[b] Lausanensis episcopi, abbas de Chereto, provincialis Lombardie et Jacobus de Attigniaco.

Die mercurii ultima mensis augusti[c] in deputacione pro communibus placuit, quod per sacrum concilium scribantur littere illustrissimo domino duci Mediolanensi, rogando ipsum et exortando, ut serenissimos dominos reges Aragonum et Nauarre et alios cum ipsis captivos quantum benigniter et humaniter fieri poterit tractare velit.

Placuit quod mittatur ex parte sacre deputacionis ad sacram deputacionem fidei ad rogandum eandem deputacionem, ut velint habere recommissum dominum archidiaconum Metensem absentem in officio iudicature, attento quod laborat pro sacro concilio et quod est expertissimus in iudicando.

Super supplicacione Martini Pinardi et Laurencii Berruier, concernente sentenciam latam de consensu parcium, ut asseritur in ipsa supplicacione, super decanatu Baiocensi pro dicto domino Martino, petencium huiusmodi sentenciam confirmari per sacrum concilium, placuit huiusmodi supplicacio in forma, dumtamen sentencia de consensu parcium lata sit aut per partem, contra quam lata est, sit emologata.

Ad eligendum novos iudices sive continuandum antiquos, prout visum fuerit expedire, deputati fuerunt reverendissimi domini Lugdunensis Burgensis, abbas de Chereto, Guillermus de Constancia et auditor camere, scolasticus Lubicensis, qui hodie cum reverendissimo domino Arelatensi conveniant hora iij[a] post meridiem ad eligendum vel continuandum huiusmodi iudices.

Suspensa est supplicacio concernens monasterium Vatinense, donec super supplicacione partis adverse deliberatum fuerit.

[a]) deputatatis *P.* [b]) Permagagensis *P.* [c]) augustensis *P.*

Domini legatus Lugdunensis et Burgensis deputati ad audiendum supplicaciones dominorum contendencium in ecclesia Traiectensi et referendum in deputacione retulerunt, se cum domino patriarcha et archiepiscopo Turonensi easdem supplicaciones vidisse et examinasse, sed antequam possint votum suum in hac materia dare, vellent audire dominos commissarios in huiusmodi materia de processu informatos. Quod placuit.

Die iovis prima mensis septembris in deputacione pro communibus super supplicacione domini Egidii episcopi Rosensis placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione fratris Jacobi electi confirmati monasterii S. Jacobi Maguntini, petentis confirmari electionem confirmacionem et assecucionem dicti monasterii, placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione Wigandi[a)] Molitoris de Landenhusen et Katherine Maguntine diocesis super iij° et iiij^to^ affinitatis gradibus in matrimonio non contracto placuit, quod committatur domino legato, qui dispenset, ut sibi videbitur.

Pro presidente electus fuit dominus episcopus Glasguensis.

Pro xij^cim^ continuatus dominus Lubicensis et de novo electi prothonotarius et magister Thomas Francisci.

Pro custode clavis bulle deputatus fuit dominus Guillermus de Constancia et iuravit.

Super supplicacione concernente ecclesiam Massiliensem placuit, quod loco domini prothonotarii de Ispania absentis deputetur iudex in eadem causa dominus Burgensis usque ad regressum domini cardinalis de Cipro.

Pro referendario continuatus fuit dominus Jacobus de Attigniaco.

Lecta forma littere mittende ad illustrissimum dominum ducem Mediolani pro serenissimis regibus Aragonum et Nauarre ac aliis principibus, placuit huiusmodi littera.

Super supplicacione Johannis Malet presbiteri Lexouiensis, petentis commutari votum in alia opera pietatis, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui huiusmodi votum commutet per se vel alium in alia opera pietatis et alias provideat, ut in eadem supplicacione petitur etc.

Super supplicacione Johannis de Oerde et Meynte coniugum Traiectensis diocesis, petencium dispensari super cognacione spirituali, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus dispenset, prout sibi videbitur.

a) Wigardi *P.*

Super supplicacione concernente canonicos et ecclesiasticos Herbipolenses captos et bonis spoliatos placuit, quod committatur domino auditori camere et procuratori fiscali, qui contra perpetrantes procedant citando per edictum etc. et faciant, prout in eadem supplicacione petitur.

Placuit quod reverendissimus dominus cardinalis legatus possit scribere principibus archiepiscopis episcopis civitatibus et aliis nobilibus pro securitate viarum veniencium ad sacrum concilium et recedencium ab eodem.

Super supplicacione Emerici de Carbin militis et Geczele Maguntine diocesis, petencium dispensari in matrimonio contracto super iiij^{to} gradu consanguinitatis, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui dispenset cum supplicantibus ut petitur.

Super supplicacione domini Johannis de Prussia promoti ad ecclesiam Sagiensem, petentis iudicem sive commissarium sibi dari, placuit quod dominus abbas de Chereto cum aliis commissariis aliarum deputacionum huiusmodi causam audiant et refera[n]t, ita tamen quod si videant electionem et confirmacionem esse factas secundum decreta sacri concilii, cito huiusmodi causam expediant.

Dum deliberaretur super supplicacionibus contendencium de ecclesia Traiectensi, dominus Niuernensis protestatus fuit, quod si aliquid fiat in preiudicium domini ducis Burgundie in dando novum ius domino Walramo, protestatur nomine domini ducis, donec et quousque aliud habuerit a domino duce in mandatis.

Super supplicacione domini Walrami postulati ad ecclesiam Traiectensem, petentis si constiterit de non iure et inhabilitate partis adverse, quod confirmetur eius postulacio et confirmacio etc., placuit quod si constiterit de huiusmodi non iure et inhabilitate, [admittatur] huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione Guillermi le Vinaulx in legibus licenciati et baccallarii in decretis Glasguensis diocesis de comite coniugato et nobili soluta, petentis secum dispensari et ad omnes ordines promoveri et beneficium seu beneficia obtinere, non obstante huiusmodi deffectu, placuit supplicacio in forma.

Super supplicacione Sudonis Bacs decani ac Rassonis Wimeel canonicorum monasterii beate Marie Watinensis Morinensis diocesis, petencium quod parito tribus sentenciis pro eisdem contra prepositum eiusdem monasterii in hoc sacro concilio latis, committatur domino Morinensi ordinario loci et domino Virziliacensi nunc cum ambassiata sacri concilii Attrebati existenti reformacio ipsius monasterii in capite et in membris: placuit quod committatur reverendissimis dominis ambassiatoribus sacri concilii necnon domino abbati Virziliacensi Attrebati existentibus, ut ad

huiusmodi reformacionem monasterii procedant, ita quod cum reformacione pareatur iudicato.

Super supplicacione cuiusdam pauperis, petentis dari unum deputatum, qui se de contentis in quadam supplicacione ab utraque parte, videlicet parte sua et adversa, informet et referat fideliter die iovis proxima, placuit quod committatur domino Ni[colao] Gehe archidiacono ambassiatori serenissimi dominis regis Francie, ut de contentis in ipsa supplicacione se informet et die iovis proxime futura referat in deputacione.

Super supplicacione Johannis Bappe presbiteri valitudinarii, petentis ut quoddam altare cum penitenciaria ecclesie parrochialis in Egersterhusen Wormaciensis diocesis, non obstante deffectu natalium quem patitur de soluto genitus et soluta, super quo alias secum ut ad ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum, eciam si curam animarum [haberet], obtinere posset dispensatum extitit, pretextu eiusdem dispensacionis, licet plures permutaciones iam fecerit, obtentum retinere possit secum dispensari et fructus perceptos sibi remitti etc.: placuit huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Andree Triding licenciati in decretis Glasguensis diocesis, petentis quod possit audire legere et quemcunque gradum recipere in quocunque studio generali secum dispensari, non obstante quod decanatum S. Petri puellarum Aurelianensis obtineat etc., et interim ad sacros ordines promoveatur etc.: placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione Stolheinne laici et Elizabeth mulieris Maguntine diocesis, petencium secum dispensari, ut non obstante eo quod dicta Elizabeth quandam filiam dicti Stolhenne dum confirmaretur tenuit, in matrimonio remanere possent etc.: placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus dispenset ut petitur.

Super supplicacione Henrrici Buck de Buscoducis Leodiensis diocesis, petentis ut non obstante deffectu natalium, quem patitur de clerico et soluta genitus, ad omnes sacros ordines [promoveri possit] et beneficium seu beneficia cum cura vel sine cura obtinere, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicante dispenset, prout sibi videbitur.

Die veneris secunda mensis septembris millesimo iiij^{c}xxxv^{o} in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, astantibus dominis Arelatensi et de Columpna, duobus patriarchis, Lugdunensi Bituricensi Turonensi Lubicensi Aurelianensi Aquensi.

More solito medio iuramento incorporati fuerunt magister Johannes Douuille licenciatus in decretis prepositus collegiate ecclesie S. Petri de Miraualle Carcassonensis diocesis, magister Walterus Camelin magister in artibus baccallarius in decretis rector parrochialis ecclesie de Oulain diocesis Tornacensis, magister Gerardus Sucgerade[a] decanus ecclesie collegiate beate Marie Tornacensis, Johannnes de Wydenrode[b] canonicus cathedralium Pragensis et Olomucensis ecclesiarum, frater Seuerus de Forcada pro abbate S. Seueri Aduriensis diocesis admissus per dominos deputatos vigore mandati.

Concordata.

Super supplicacione reverendissimi in Christo patris et domini domini Prosperi S. Georgii ad velum aureum S. Romane ecclesie cardinalis de Colu[m]pna et domini Thome Chichel archidiaconi ecclesie Cantuariensis, petencium confirmari compromissum et sentenciam et indesecuta de et super ipso archidiaconatu etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur. Quarta vero, videlicet de fide, addit quod in confectione litterarum servetur honor sacri concilii.

Super supplicacione sive avisamento concernente decanum canonicos et ecclesiasticos Herbipolenses captos et detentos et bonis spoliatos etc., videlicet quod committatur auditori camere vel eius locumtenenti, ut contra perpetrantes procedat cum potestate citandi personaliter et per edictum usque ad sentenciam diffinitivam inclusive, mandando eciam procuratori fiscali, ut in causa ipsa procedat ex officio, necnon quod in primis et ante omnia capti sive detenti sub gravissimis penis mandentur relaxari etc.: corcordant omnes deputaciones in ipsa supplicacione ut petitur.

Super supplicacione reverendi patris domini episcopi Londoniensis, petentis confirmari unionem de parrochiali ecclesia prioratu nuncupata S. Johannis de Plenis alias de Blaqueria mense sue episcopali dudum factam necnon ipsius ecclesie ad perpetuam vicariam et [e]rectionem et dotacionem necnon collacionem de dicta vicaria domino Johanni Saluiandi factas etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio. Due, videlicet de reformatorio et de pace, addunt quod tollatur clausula „cum suplemento deffectuum“, que eciam a supplicacione est iam sublata.

Super supplicacione domini Bernardi de Casilhaco electi confirmati Albiensis, petentis committi dominis commissariis in huiusmodi causa, ut de attemptatis et innovatis tam lite pendente quam contra prohibicionem et mandata sacri concilii summarie etc. se informent et in generali congregacione referant etc.: concordant omnes deputaciones, quod domini

[a]) Singerade *P.* [b]) Buydenrode *P.*

deputati in huiusmodi causa ad referendum sacro concilio merita cause huiusmodi se de omnibus attemptatis et innovatis lite et appellacione pendentibus tam contra prohibicionem et mandata sacri concilii quam in preiudicium litis pendentis summarie simpliciter et de plano se informent et ea que per dicta seu deposiciones testium receptorum seu recipiendorum vel alias, prout de iure fuerit, veritate fulciri compererint, referant in generali congregacione.

Super supplicacione domini Hugonis abbatis monasterii Casedei, petentis quatenus per se vel subdelegatum suum possit religiosos sibi subiectos utriusque sexus, eciam beneficiatos et administracionem habentes in ipso monasterio aut extra residentes, cuiuscunque dignitatis etc. existant, iuxta statuta et observanciam dicti monasterii et regulam S. Benedicti etc. reformare, et [facultatem] delinquentes iuxta excessuum exigenciam per censuras ecclesiasticas suspensionis privacionis inhabilitacionis et alias penas puniendi et corrigendi etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Petri de Hegingen layci Basiliensis diocesis, petentis committi domino cantori Leodiensi, qui in causa inter ipsum Petrum et quendam Werlinum de Hesinguen eciam laicum dicte diocesis Basiliensis dudum conclusit et registrum habuit, ut in ipsa causa ulterius procedat, eciam diffinitivam sentenciam de consilio et assensu domino[rum] auditorum de rota ferat, non obstante contradictione partis adverse etc.: concordant tres deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma. Quarta vero, videlicet de reformatorio, sepius requisita non deliberavit.

Super supplicacione cuiusdam abbatis monasterii Fabariensis Curiensis diocesis, petentis suppleri deffectum iuramenti non prestiti in sua electione secundum formam decreti de electionibus etc., concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma. Tres addunt: dumtamen non sit in eodem monasterio alicui alteri ius quesitum.

Super supplicacione reverendi patris domini Egidii episcopi Rosensis, petentis quatenus ubique locorum consensu ordinariorum interveniente possit pontificalia libere exercere et de bonis suis patrimonialibus et acquisitis ac acquirendis libere testari etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur prima pars ipsius supplicacionis in forma. Concordant eciam in secunda parte, videlicet de testando, tres deputaciones; illa tamen de fide addit, quod habeat ordinem et conventum suum recommissos; illa vero de reformatorio dicit, quod declaretur collectorem etc. non posse manum apponere ad[a] bona sua, sed ea pertinere ordini.

Super supplicacione inclite nacionis Germanice, petentis Godefridum Bley de Dursten, qui ante concilium Constanciense et in ipso concilio

[a] a de *P.*

officium cursoris exercuit, numero cursorum sacri concilii aggregari cum fructibus et emolumentis etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur in forma huiusmodi supplicacio. Quarta, videlicet de communibus, addit: non obstante conclusione alias in contrarium edita.

Super supplicacione fratris Jacobi abbatis monasterii S. Jacobi Maguntini, petentis electionem de ipso factam necnon confirmacionem et possessionis assecucionem de dicto monasterio factas confirmari, ne in futurum ipsum molestari contingat: concordant tres deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur. Quarta vero, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini Walrami postulati Traiectensis, petentis si constiterit de non iure et inhabilitatibus sui adversarii, declarari postulacionem admissionem et confirmacionem postulacionis huiusmodi auctoritate universalis ecclesie validas fuisse et ad habundantem cauthelam de novo admitti et confirmari: concordant tres deputaciones, quod constito de non iure partis et assertis in supplicacione, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma. Quarta vero, videlicet de fide, placuit quod auctoritate sacri concilii suppleantur deffectus, sine tamen preiudicio iuris partis adverse et alterius cuiuscunque.

Super supplicacione domini Johannis de Perusia promoti ad ecclesiam Sagiensem, concernente causam inter ipsum et dominum Johannem Militis de et super ipsa ecclesia, concordant omnes deputaciones, quod dentur commissarii sive iudices, qui audiant causam et referant. Et deputati fuerunt commissarii pro sacra deputacione reformatorii dominus episcopus Petragoricensis, pro sacra deputacione fidei prepositus Gnesnensis, pro sacra deputacione pacis dominus Raymundus Taloni et pro sacra deputacione de communibus dominus abbas de Chereto. Concordant eciam super eadem tres deputaciones, quod coram uno ex dominis commissariis possint termini usque ad sentenciam diffinitivam exclusive servari et citacio decerni per edictum per ipsos dominos commissarios. Quarta vero, videlicet de communibus, addit quod si videant electionem et confirmacionem fuisse factas secundum decreta sacri concilii, huiusmodi causam cito expediant.

Super supplicacione concernente confirmacionem privilegiorum ordinis S. Vuillermi ac monasteriorum et conventuum ordinis eiusdem in communi forma, que dicitur incipere „Cum a nobis petitur“ [1] vel alias in forma cancellarie solita, attento quod nichil novi nec aliud conceditur, quod quidem iuste et pacifice et racionabiliter per Romanos pontifices et imperatores concessum est: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa suppli-

[1] *Tangl, Die päpstlichen Kanzleiordnungen S. 255.*

cacio. Due addunt: sic quod nichil de novo concedatur. Quarta vero, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Willermi Bardoset et trium aliorum canonicorum prioratus beate Marie de Martono, petencium cum ipsis dispensari, ut in xxj° anno sue etatis possint ad omnes sacros ordines promoveri etc., concordant tres deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio. Due tamen addunt: dumtamen ad hoc alias ydonei reperiantur. Quarta, videlicet de reformatorio, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Henrrici Buk de Buscoducis Leodiensis diocesis de clerico geniti[a] et soluta, petentis secum dispensari, ut non obstante huiusmodi deffectu ad omnes ordines promoveri et beneficium seu beneficia cum cura vel sine cura obtinere possit, concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicante auctoritate sacri concilii dispenset. Due dicunt ut petitur, alia prout sibi videbitur. Quarta vero, videlicet de pace, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Johannis Desiderii Tardi presbiteri, ex eo quia hesitatur, an domini vicecancellarius et precognitores potuerint signare quandam suam supplicacionem absque sacrarum deputacionum et generalis congregacionis licencia, petentis ad tollendum illud dubium, ut committatur iudici cause, quod procedat in causa iuxta tenorem dicte signature perinde ac si per easdem sacras deputaciones et congregacionem generalem concessa fuisset: concordant tres deputaciones, quod reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis unacum dominis precognitoribus possit huiusmodi supplicacionem signare, et quod perinde valeat ac si per omnes sacras deputaciones signata extitisset. Quarta vero, videlicet de fide, sepius requisita non deliberavit.

Super supplicacione Guillermi le Vinaulx in legibus licenciati et baccallarii[b] in decretis de comite coniugato et nobili soluta geniti, petentis secum dispensari, ut huiusmodi non obstante deffectu ad omnes, eciam sacros ordines promoveri et unum vel plura dignitates beneficia et officia in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis recipere possit etc.: concordant tres deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma. Illa de fide addit: preterquam de dignitate episcopali. iiij^ta^ vero, videlicet de pace, dicit quod committatur reverendissimo domino legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicante dispenset ut petitur.

Super supplicacione Thome Harrold et Katherine mulieris Clonensis diocesis, petencium secum dispensari in matrimonio contracto in iij° et iiij^to^ consanguinitatis gradibus, licet non celebrato in facie ecclesie, concordant tres deputaciones, quod committatur domino cardinali legato, qui

[a]) genitus *P.* [b]) baccaccallarii *P.*

cum supplicantibus auctoritate sacri concilii dispenset ut petitur. Quarta de fide requisita non deliberavit.

Super supplicacione Scolhenne laici et Elizabeth mulieris Maguntine diocesis, petencium dispensari secum super cognacione spirituali, ut possint solempnizare matrimonium inter eos contractum, concordant tres deputaciones ut supra. Quarta de fide requisita non deliberavit.

Super supplicacione Leonardi Pistoris et Katherine Pistoris Eistetensis diocesis, petencium super simili cognacione spirituali secum similiter dispensari, concordant omnes deputaciones, quod committatur domino legato, qui cum supplicantibus auctoritate sacri concilii dispenset. Due dicunt ut petitur, et due prout sibi videbitur.

Super supplicacione Nicolai Sertoris et Anne Eistetensis diocesis, petencium secum dispensari super iij° gradu affinitatis in matrimonio contracto, concordant omnes deputaciones, quod committatur dicto domino legato ut supra.

Super supplicacione Wigandi Molitoris et Catherine Maguntine diocesis concordant tres deputaciones ut supra. De fide requisita non deliberavit.

Super supplicacione magistri Martini Pinardi[a)], petentis sentenciam inter ipsum et Laurencium le Berruier de consensu parcium et cum commissione sacri concilii per officialem Basiliensem [latam] et omnia indesecuta ex certa sciencia confirmari etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Illa tamen de communibus addidit: dumtamen sentencia de consensu parcium lata aut per partem, contra quam lata est, emologata existat.

Domini Johannes de Hungaria et Matheus Maignage ambassiatores a domino nostro papa redeuntes ex parte sanctissimi domini nostri predicti salutem et apostolicam benedictionem obtulerunt sacro concilio et deinde suam fecerunt de gestis apud eundem dominum nostrum relacionem. Primo dominus Johannes de Ungaria, facta aliquali notabili oracione, narravit, quid ipse egerit in proponendo sanctissimo domino nostro in effectu de exhortacione et requisicione per eum facta, ut ipse dominus noster observaret et observari faceret decreta sacri concilii et incontrarium attemptata revocaret, alioquin sacrum concilium ante sui dissolucionem de remedio provideret opportuno.[1]

Deinde Matheus Mainage proposuit narrando tres peticiones, videlicet quod dominus noster mandet execucioni et acceptet viam electam per sacrum concilium super reductione Grecorum. Secundo quod concurreret

[a)] Petri Martini *P.*

[1] *Die Rede Mansi 29, 454 und 30, 939.*

in indulgenciis conferendis pro colligendis pecuniis ad hoc neccessariis. Tercio quod vellet mittere ad sacrum concilium dominos cardinales et alios prelatos ad discuciendum articulos Grecorum, antequam ipsi Greci veniant.[1] Et super certis aliis particularibus concernentibus dominos cardinales, factum ecclesie Lausanensis, scriptorum et abreviatorum curie Romane proposuerunt iuxta instructiones eis datas. Et pro responsione habita super premissis obtulit unam cedulam papiri, quam dicebat eis per Poggium secretarium domini nostri fuisse sibi datam et per eundem assertum fuisse, quod ipse Poggius manu propria scripserat, cuius tenor sequitur:[2]

„Sanctissimus dominus noster papa venerabilibus viris oratoribus sacri concilii Basiliensis super propositis et petitis per eos responsum requirentibus hoc modo respondit: Quod mens et intencio ac omne studium suum semper fuit intendere et vigilare ad ea, que honorem Dei, salutem animarum et bonum tocius ecclesie et rei publice christiane concernerent, signanter ad extirpacionem scismatis, reformacionem morum ac pacem populi christiani et specialiter ad reductionem Grecorum et ecclesie orientalis ad veram et catholicam fidem, in qua re quantum laboraverit primum Constancie, deinde Rome tempore felicis recordacionis domini Martini pape quinti predecessoris sui, dum esset in minoribus, postremo postquam ad apicem apostolatus assumptus fuit, fere omnibus notum est, ita ut non ociose extimet, quod si in ea re sibi credulitas fuisse[t] adhibita, iam ad optimum finem perventum fuisset aut saltem huiusmodi reductio magnum principium haberet. Quantum autem ad negocium indulgenciarum electionum annatarum causarum et vocacionis scriptorum et abreviatorum curie respondit: quia materie grandes sunt et discussione ac declaracione indigent, se unacum fratribus suis S. Romane ecclesie cardinalibus decrevisse respondere per suos [oratores] sacro concilio, quod quam primum facere intendit, sperans responsiones suas tales esse debere, que iusticie et honestati conveniant ipsique sacro concilio et omnibus pie sencientibus ad Dei honorem caritatem et pacem ac bonum universalis ecclesie grate et accepte merito sint future. Poggius. Ego Poggius domini nostri pape secretarius suprascriptam responsionem de mandato sue sanctitatis scripsi manu propria et subscripsi.“

Deinde lecte fuerunt littere domini nostri pape et dominorum cardinalium.

Postea vero in factis particularibus retulerunt in effectu ea que sequntur. Primo in facto ecclesie Lausanensis requisiverunt dominum nostrum, ut vellet approbare et observare sentenciam per sacrum concilium cum tanta maturitate latam. Quibus papa respondit, quod sentencia erat lata per commissarium sacri concilii, nec ei videbatur inde-

[1] *Dic Rede Mansi 30, 934.* [2] *vgl. Mansi 29, 459. M. C. 2, 815.*

bitum, si appellacionem interpositam a commissario sacri concilii admisisset et causam appellacionis commisisset, cum non esset lata in publica sessione et cum decreto. Item quod erat processum per unum novum modum ac si esset novum concilium. Et tunc informarunt dominum papam de modo procedendi in sacro concilio, primo per deputaciones et deinde per generalem congregacionem. Quibus replicavit, quod aliter esset informatus, et quod ante tempora dominus Ludouicus esset suus familiaris et intendebat sibi providere de ecclesia Tharentasiensi vel Auinionensi, et quod dixit quod dominus Ludouicus habebat durum caput, quod communiter vocatur apud Gallicos caput monachale, et quod videbatur sibi, quod quicquid in hac materia fecerat, bene fecerat. Narravit insuper, quod dum idem dominus Johannes de Ungaria dixisset, quod decretum Calcedonense xj^{e} actionis dicit, quod regula est, ut non liceat ab electa synodo appellare sub pena anathematis et heresis, quidam cardinalis dixit, quod bene possent ab hiis supersedere. Tandem cardinales responderunt, quod vellent aliquid laborare pro ipso domino L[udouico] apud papam. Quo ad dominos cardinales in concilio presentes, quod deberent habere emolumenta capelli, sicut alii qui sunt in concilio gaudent fructibus suorum beneficiorum, dixerunt eis responsum fuisse, quod quedam concordia fuerat inter dominos cardinales facta, quod soli existentes in curia eisdem fructibus et emolumentis gauderent, prout in copia cedule, quam dicebant se habere, continebatur. Ad quod reverendissimus dominus legatus respondit, se non fuisse in illa concordia nec illam cedulam iurasse. Super pallio domini archiepiscopi Rothomagensis pro trecentis ducatis voluerunt dare pallium, si se obligarent. Qui responderunt se non habere potestatem ad hoc faciendum. Deinde si vellent promittere, quod non darent nisi receptis iiij^{c} ducatis, illud eis expedirent, responderunt quod nolebant hoc facere. Et sic recesserunt. Retulerunt insuper se fuisse honoratos in capella pape in sedendo ante ambassiatores regum et principum, archiepiscopos episcopos et prothonotarios.

Dominus Lugdunensis nomine nacionis Gallicane peciit provideri circa securitatem viarum. Item pecierunt promotores sacri concilii etc.

Dominus Niuernensis narravit, qualiter unus familiaris suus erat captus ad iij^{a} miliaria prope hanc civitatem, portans pecunias ad mittendum ambassiatoribus sacri concilii existentibus Attrebati. Similiter dominus Lausanensis de uno familiari suo narravit. Et tandem placuit, quod committatur reverendissimis dominis cardinalibus legato et Arelatensi, ut possint contra tales malefactores procedere et concedere litteras opportunas.

Lectis concordatis et antequam de et super eisdem conclusio fieret, domini Gaspar de Perusio advocatus, Petrus de Mera, Willermus Gerardi

de Leydis procuratores reverendi patris domini Rodolphi de Diepholt episcopi Traiectensis pecierunt audiri. Quibus concessa fuit audiencia, et in effectu narraverunt, qualiter sacrum concilium ad importunam domini Walrami eorum adversarii et suorum adherencium instanciam circumventum quandam supplicacionem signaverat, per quam petebat suppleri deffectus, si qui interessent in sua pretensa postulacione, et[a] ipsam pretensam postulacionem confirmari et validari, que res erat insolita fieri sacro concilio; petens conclusive supersederi a conclusione per duos vel tres dies, et quod interim supplicantes audiantur, et quod domini velint attencius huiusmodi supplicaciones prospicere, quoniam mora duorum vel trium dierum non esset partibus nociva, magnum preiudicium posset afferre.

Quibus omnibus dictis et auditis, reverendissimus pater dominus cardinalis legatus dixit, quod sacrum concilium fecit legem et secundum illam opportebat se regere, et idcirco auctoritate sacri concilii iuxta huiusmodi concordata more solito conclusit.

Die sabbati III[a] mensis septembris in sacra deputacione pro communibus placuit, quod ex parte sacri concilii unacum nuncio seu nunciis civitatis Basiliensis mittatur unus nuncius ad dominos baillivum Austrie et gubernatorem Burgundie pro observacione treugarum inter dominos duces Burgundie et Austrie factarum et securitate viarum.

Super supplicacione domini Walrami postulati ecclesie Traiectensis, ituri ad partes Bauarie pro pace ibi tractanda, petentis quod tempore absencie sue nichil innovetur in facto suo in preiudicium sui etc., placuit huiusmodi supplicacio.

Placuit de consensu reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis, quod domini deputati in facto patriarchatus sui possi[n]t prorogare terminum datum in huiusmodi causa per totum presentem mensem.

Attento quod ambassiatores sacri concilii euntes ad Greciam scripserunt, quod fama publica est Veneciis et in aliis locis, per que transiverunt, ac eciam ex relacione veniencium de partibus orientalibus, quod Greci attemptabunt viam concilii, et quia eciam ambassiatores sacri concilii nuper venientes a sanctissimo domino nostro responsum non habuerunt[b] in facto indulgenciarum, sed eis dixit dominus noster, quod per suos ambassiatores fieret responsum: idcirco visum fuit sacre deputacioni de communibus, quod deputentur aliqui de qualibet deputacione, qui dominos presidentes et alios oratores dicti domini nostri requirant, ut si aliquid super huiusmodi materia habeant, referant die dominica proxima post missam in maiori ecclesia, sinautem per sacrum concilium procedatur ad huiusmodi indulgencias concedendas. Et ad requirendum eosdem

[a]) ut *P.* [b]) habuerint *P.*

deputati fuerunt unacum deputatis aliarum deputacionum reverendi patres domini archiepiscopus Lugdunensis et episcopus Lubicensis.

Die dominica IIII^ta^ mensis septembris M°iiij^C^xxxv° post missam solemniter celebratam fuit congregacio generalis pro relacione facienda per ambassiatores sacri concilii, qui fuerunt ad Angliam dudum missi super facto pacis regni Francie.

Quiquidem ambassiator, videlicet magister Johannes Pulcripatris, sed Stephano de Nouaria consistoriali advocato pronunc captivato in inferiori Germania, quia solus redibat et, ut ab aliquibus fertur, colare regis Anglie in collo deportabat, suam de gestis fecit relacionem, narrando, primo facta aliquali prius collacione et excusacione, quomodo ipse presentaverat regi Anglie litteras sacri concilii, duci Clocestrie et cardinali Anglie. Quibus receptis reverenter ipse in presencia regis et sui consilii proposuit ex parte sacri concilii, primo exhortando ipsum regem ad pacem regni Francie; secundo narravit inconveniencia que ex guerra regni Francie secuta sunt et indies sequuntur; tercio exposuit aliqua circa huiusmodi pacem occurrencia. Et tandem rogarunt et exhortati fuerunt ex parte sacri concilii, ut ad dietam indictam Attrebati pro pace tractanda solemnem ambassiatam mittere dignetur cum plena potestate tractandi. Tandem rex regraciatus est sacro concilio de huiusmodi exhortacione et peciit copiam proposicionis in scriptis. Post aliquos vero dies ad premissa respondit, primo verbo zelum narrando, quem semper habuit ad pacem; secundo respondendo ad inconveniencia, quoniam nunquam per eum vel eius progenitores stetit etc.; tercio quod ambassiatores mitteret. Et deinde idem responsum dedit in scriptis.[1] Et quarto quod rex dederat sibi unum beneficium valoris V^C^ ducatorum in portatis et expensas suas in Anglia dederat eciam sibi, et domino Stephano facultatem recipiendi beneficia in Anglia usque ad summam VI^C^ ducatorum pro quolibet.

Die lune V^a^ septembris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione reverendissimi domini archiepiscopi Turonensis, petentis quod tempore absencie sue pro concordia sue ecclesie et ecclesie beati Martini Turonensis et specialiter usque ad festum Pasche gaudeat prerogativis, quibus presentes in concilio gaudent et ac si presens esset etc.: placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione Guillermi Lucase magistri in artibus et baccallarii[a)] in legibus, petentis ut possit probare gradum magisterii in artibus

[a)] baccallarius *P.*

[1] *Mansi 30, 920.*

per testes, attento quod non patet sibi tutus ad Parisius accessus etc., placuit huiusmodi supplicacio.

Super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati super prorogacione termini dati ambassiatoribus domini nostri pape usque ad quatuor menses spe pacis, et quod si non detur prorogacio, fiat hodie congregacio generalis, in qua audiantur: placuit quod usque ad diem veneris proximum inclusive prorogetur terminus supradictus, ita tamen quod si non sequatur concordia, ipsa die veneris proxima, si voluerint, audiantur in generali congregacione.

Item exhortatur sacra deputacio de communibus sacras deputaciones, que non deliberarunt, quod nulle supplicaciones in deputacionibus audiantur usque ad mensem, exceptis in causis maioribus, sed remittantur dispensaciones matrimoniales et alie similes reverendissimo domino cardinali legato, relique vero de iusticia remittantur ad reverendissimum dominum cardinalem Arelatensem et ad dominos precognitores etc., quatenus super hiis dignentur deliberare.

Item quod cras die martis vj^{a} huius mensis post missam de pace sedeant sacre deputaciones.

Placuit sacre deputacioni de communibus deputare aliquos, qui conveniant ad videndum ea que sunt data per deputaciones super materia reformacionis, et videant quid est addendum et diminuendum; et qui voluerit dare aliquod avisamentum vel aliquid dicere, possit dare et dicere. Et pro ipsa deputacione deputati fuerunt domini legatus Lubicensis Lugdunensis Burgensis Niuernensis Pargamensis Lausanensis episcopi, abbas de Chereto, provincialis Lombardie et Jacobus de Attigniaco et Johannes de Hungaria, et conveniant cras immediate post missam.

Super supplicacione Mathei Johannis et Andree Petri, petencium dispensari super deffectu natalium et ad omnes ordines et beneficia, placuit quod committatur domino legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset, prout sibi videbitur.

Die martis VI^{a} mensis septembris M^{o}iiij^{C}xxxv^{o}, celebrata missa in maiori ecclesia per dominum Petrum episcopum Maclouiensem, fuit congregacio generalis, in qua reverendissimus dominus archiepiscopus Lugdunensis retulit, qualiter ipse et domini deputati alii ex parte sacrarum deputacionum ad requirendum dominos presidentes et oratores domini nostri pape, an aliquid habeant a sanctissimo domino nostro super facto indulgenciarum et aliorum, super quibus dominus noster ambassiatoribus sacri concilii nuper dixit se velle per suos ambassiatores hic existentes respondere, illud producerent in medium etc., heri hora iij^{a} post meridiem in loco capitulari huius ecclesie Basiliensis convenerunt cum ipsis dominis

presidentibus et oratoribus domini nostri pecieruntque post aliqualem prefaciam, an aliquid haberent super petitis per ipsos oratores sacri concilii a domino nostro, quod illud vellent producere in medium ad consolacium et consolamen sacri concilii. Quibus aliquantulum a dominis deputatis sequestratis et postea ad eosdem redeuntibus, responderunt primo per organum domini Anthonii de S. Vito, secundo per dominum generalem, tercio per dominum Tarentinum, quod mirantur ex eo quod dominus noster nullum nuncium ab eorum adventu ad hanc civitatem in hac vel alia materia habuerunt,[a] sed sperant in brevi habere infra paucos dies; quare petebant haberi dominum nostrum et ipsos excusatos. Ad que responderunt domini deputati, quod ipsi habuerunt a dominis oratoribus sacri concilii venientibus de curia, quod viderunt in duobus locis in itinere unum, qui dicitur equitator domini nostri pape, qui dicebatur venire ad sacrum concilium. Ad que replicarunt, quod non venit, sed dubitant de eius morte. Replicarunt postmodum domini, quod de mense aprilis vel maii dominus noster debuit informari per dominum Garatonum de racionibus sacri concilii, quare via sacri concilii erat amplectanda, et quod postea habuerat satis de tempore ad deliberandum. Ad huiusmodi ultima dixerunt se iterum mirari, ut supra, et quod nichil pro certo haberent, sed si aliquid haberent et non producerent in medium, ipsi deberent graviter puniri. Sed mora modici temporis non est nociva, quare pecierunt aliquantulum et per paucos dies expectari, quia non dubitant aliquid boni habere.

Qua facta relacione dominus legatus dixit, quod sacre deputaciones habent super hoc deliberare, sed exhortabatur, ut modeste accurate et cum omni grandi modestia deliberetur; et visum fuit sibi, quod debeant aliqui de maioribus deputari, qui videant quid agendum in huiusmodi materia et referant in sacris deputacionibus.

Quia dominica preterita quidam magister Conrrardus Lullin produxerat quandam appellacionem sive supplicacionem pro et nomine domini Jacobi Truchsasz de Luapurg nobilis in generali congregacione et eam pecierat legi et insinuaverat concilio pecieratque apostolos etc., dominus Symon de Valle advocatus peciit procedi contra illum, qui appellavit a monitorio decreto contra ipsum, qui tenet captivum Johannem Dorland, et alios quoscunque qui appellaverunt a sacro concilio. Similiter et in isto et in quibuscunque aliis similibus peciit procedi et appellacionem reici et causam committi contra tales.

Ad hec respondit dictus magister Conrardus Lullin appellans predictus seu supplicans, dixit non appellasse sed supplicasse, dixit insuper in[b] sacra deputacione pro communibus sibi datos fuisse deputatos ad

[a]) *so P.* [b]) quod in *P.*

videndum huiusmodi monitorium dominos Jacobum de Attigniaco et G[uillermum] de Constancia, ad videndum an huiusmodi monitorium sit legitime decretum vel non. Quare erat contentus, quod facerent relacionem, et si sit legitimum, contentus est puniri, si non, quod revocetur.

Exadverso respondit dominus S[ymon] de Valle, quod est legitime decretum, et quod est contentus, quod omnes quicunque voluerint videant, et si non sit legitimum, puniatur ipse, si vero legitimum fuerit, puniatur ipse appellans.

Et tandem publice fuit lecta huiusmodi appellacio in ipsa generali congregacione.

Dominus Niuernensis narravit, qualiter dispositum sit de securitate viarum et de ambassiatis mittendis tam ex parte sacri concilii quam ex parte civitatis Basiliensis ad rectores patriarum Burgundie et Austrie. Sed non fuerunt facte solemnitates consuete in talibus, quare peciit validari ac si essent facte solemnitates debite et consuete. Quod placuit congregacioni.

Item peciit quod contra capientes et detinentes supposita sacri concilii debeat procedi cum solemnitatibus iuris et terminorum observacione, sed summarie, quia si venerit ieiunus, non patitur moram, multo minus mors et carceres diri paciuntur moram.

Dominus Lubicensis respondit, quod stat per dominum Niuernensem, quominus securitas sit, quoniam si misisset vel dedisset ambassiatori domini imperatoris litteras similes salviconductus, qualium sibi copiam [dedisset], cessarent omnes guerre.

Ad que replicavit, quod huiusmodi littere non concernunt supposita sacri concilii, sed solum guerram inter principes, ymo iam public[at]e sunt littere salviconductus pro suppositis concilii ac venientibus ad concilium ac recedentibus ab eodem.

Dominus Aquensis pro exoneracione consciencie sue dixit, quod debet procedi contra appellantes a sacro concilio tanquam contra hereticos iam declaratos per sacram synodum Calcedonensem.[1]

Lectum fuit postmodum monitorium decretum contra dictum dominum Jacobum, qui Johannem Dorland detinet etc. Quo lecto idem appellans excusavit dictum dominum Jacobum, quod non fecisset propria temeritate, sed de consensu aliorum notabilium virorum, et quod hic fuerat post decretum monitorium et se excusaverat.

Postmodum procurator fiscalis peciit detineri arrestari et incarcerari per dominum auditorem camere vel eius locumtenentem.

[1] *Vgl. unten S. 503.*

Die mercurii VII[a] mensis septembris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione concernente causam ecclesie Lingonensis placuit, quod coram reverendissimo domino cardinali Arelatensi, ut terminos servari solitos in huiusmodi causa reiterare possit, eciam in contumaciam partis non comparentis et alias, placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione Petri Hospitis canonici Lingonensis, petentis posse expedire graciam si neutri sibi concessam in curia Romana sub bulla sacri concilii, attento quod non potuit habere expedicionem in cancellaria apostolica, ut offert se docere per instrumentum, placuit quod committatur domino Lausanensi, ut videat instrumentum recusacionis, et si constet de assertis, expediatur per cancellariam et sub bulla sacri concilii huiusmodi gracia si neutri.

Super supplicacione Johannis Bardeti presbiteri prioris prioratus curati beati Petri de Archana Andegauensis diocesis canonici regularis expresse professi monasterii S. Trinitatis de Malolerie ordinis S. Augustini Maleacensis diocesis, petentis absolvi a transgressione quorumcunque votorum et dispensari super irregularitate etc.: placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui eundem supplicantem absolvat et secum dispenset, prout sibi videbitur.

Quo ad avisamentum sacre deputacionis fidei, concernens trecentos florenos auri de camera debitos per quendam de Brabancia camere, expediendos[a)] domino Sudensi, placuit huiusmodi avisamentum in forma.

Procurator fiscalis peciit procedi contra presidentes et eciam alios oratores domini nostri pape.

Quo ad avisamentum dominorum xij de renovandis decretis conciliorum Calcedonensis et Toletani [1] scrutatis votis singulorum dominorum placuit, quod renoventur huiusmodi decreta iuxta huiusmodi decretorum formam.

Quo ad aliud avisamentum de procedendo contra appellantes a sacro concilio cuiuscunque nacionis existant intrepide et equaliter, placuit huiusmodi avisamentum in forma.

Super supplicacione porrecta per reverendissimum dominum cardinalem de Columpna, concernente captivitatem Johannis Orlandi, per quam petit appellacionem repelli et processus per commissarios factos ex certa sciencia approbari, placuit huiusmodi supplicacio, sublata tamen illa clausula „ex certa sciencia“ et supplecione deffectuum.

[a)] expediendis *P.*

[1] *S. 503.*

Die iovis fuit festum Nativitatis beate Marie virginis, qua die celebravit missam dominus Petrus episcopus Maclouiensis et sermonem fecit magister Arnoldus de Glimes prepositus de Mersen.

Die veneris IX^{a} mensis septembris in sacra deputacione pro communibus reverendus pater dominus episcopus Rosensis, volens ire ad faciendum ordines apud Argentinam, obtinuit licenciam recedendi.

Item placuit quod ex parte sacri concilii recommittatur consulatui civitatis Basiliensis prefatus dominus Rosensis, ut ipsi suis nautis habeant eum facere recommissum.

Reverendissimi domini archiepiscopus Turonensis, episcopus Conchensis, provincialis Castelle et magister Johannes Lamelin ambassiatores serenissimorum dominorum regum Francie et Castelle ac illustrissimi domini ducis Burgundie, missi, ut dixerunt, ex parte aliorum dominorum ambassiatorum regum et principum in hoc sacro concilio existencium, venerunt ad deputacionem, supplicantes ut terminus monicionis facte ambassiatoribus domini nostri pape prorogetur ad xv vel xij dies, protestantes quod interim dabunt finem ac nunquam loquentur super hac materia, sed concurrent cum sacro concilio. Et inter cetera dixerunt se velle imperpetuum servare, si opus sit, et scribere dominis suis.

Qua supplicacione facta et scrutatis singulorum votis, contemplacione dictorum dominorum supplicancium ac protestacionis per eos facte placuit, quod prorogetur terminus usque ad xij dies inclusive peremptorie.

Dicta die veneris M^{o}iiij^{C}xxxv^{o} IX^{a} mensis septembris in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus sibi dominis Arelatensi et de Columpna et duobus patriarchis.

Lecta fuit bulla domini nostri pape, concernens factum ecclesie Maclouiensis in favorem domini Petri translati de ecclesia Trecorensi ad ecclesiam Maclouiensem. Qua lecta magister Robertus de Fardella procurator nomine dicti domini Petri peciit de huiusmodi lectura instrumentum cum insercione huiusmodi bulle.

Similiter dominus archiepiscopus Turonensis peciit instrumentum et narravit, qualiter nunquam fuit sibi presentata electio neque requisitus ut eandem confirmaret, quare protestatus fuit de prosequendo huiusmodi contemptum.

Exadverso dominus Symon de Theramo dixit electionem domini Guillermi fuisse presentatam vicariis domini Turonensis, qui eam repulerunt, dicentes ad ipsos non spectare, referendo se ad instrumenta publica desuper confecta.

Item protestatus fuit de iniuria dicta sibi per dominum cantorem Maclouiensem, qui dixit quod frater suus habuerat de translacione supradicta unum beneficium et idcirco sustinebat dominum Petrum translatum.[a)]

More solito incorporati fuerunt medio iuramento dominus Petrus Mathei canonicus Cabilonensis et Maurianensis ecclesiarum et baccallarius in decretis, abbas monasterii beate Marie de Intermontibus Gebennensis diocesis.

Concordata.

Concordant tres deputaciones, quod renoventur decreta Tolletanum et Calcedonense, que sunt talia: Undecime occasionis articulo decretorum universalium perhempne dedimus[b)] firmamentum, scientes quod multimoda semper Deus oppinione[c)] iudiciorum erumpnas relevat oppressorum[d)] et sicut malis exigentibus hominum permittit exerceri penas[e)] ulcionum, ita cum voluerit gravedines relevat pressurarum. Hinc et decreta precedencium patrum ad contencionis iurgia radicitus evellendum rite synodalem fieri censuere[f)] conventum, ut illic[g)] de diversitate iudiciorum pretense lites habeant terminum, ubi Sp[irit]us Sanctus universalem coadunaverit cetum[h)]. Ab[i)] hoc ergo Spiritu Sancto succensi, ne[k)] quilibet imposterum aut impune valeat commoveri aut generalia statuta convellere, plena decernimus unanimitate connexi, ut quecunque pro fidei causis et ecclesiasticis negociis aut in preteritis gestis aut in presentibus constitutis aut in futuris eciam decretis vel sunt vel fuerunt diffinicione conscripta universali auctoritate[l)], nullus hiis deinceps contradicere audeat, nullus ea reverberare presumat, nullus non implere contendat. Nam si quis ex religione contra hoc inobediens aut susurrans[m)] aut certe lacerator[n)] aut invidus ac non pocius eorundem fautor extiterit gratuitus[o)], et honoris sui et communionis sancte lugeat amissione multatus. Cum vero quelibet sancta synodus agitur aut pacifice inter pontifices quippiam diffinitur, si[p)] pauciores per nescienciam vel contencionem forte dissensiant, aut commoniti plurimorum sentencie cedant[q)] aut ab eorum cetu cum [de]decore confusionis abscedant aut excommunicacionis sentenciam luant.[1]

Ex Calcedonensi concilio: Regula est, ut ab electa synodo non liceat appellare. Isti igitur hac ipsa sunt electione dampnati.

Hec[r)] est fides patrum: qui preter ista sapit, hereticus est, qui aliter[s)] sapit, anathema sit.[2] Appello a te quasi dicere refuto te.

[a)] *der Absatz müsste vor dem vorausgehenden stehen, da der Inhalt sich eher auf den Erzbischof von Tours beziehen dürfte.* [b)] de divinis *P.* [c)] opposicione *P.* [d)] oppressionum *P.* [e)] penurias *P.* [f)] consuevere *P.* [g)] illi *P.* [h)] certum *P.* [i)] ad *P.* [k)] et *P.* [l)] universalis auctoritas *P.* [m)] sursurans *P.* [n)] latrator *P.* [o)] graciosus *P.* [p)] sed *P.* [q)] sedant *P.* [r)] Nec *P.* [s)] quam *P.*

[1] *7. Concil von Toledo (653). Mansi 10, 1220. M. C. 2, 826.* [2] *Ein Satz aus den Acclamationen der 5. Sitzung. Mansi 7, 102. Das Übrige liess sich nicht auffinden. Vgl. M. C. 2, 826.*

Quodque declaretur huiusmodi concilium Calcedonense non solum in causis fidei, sed eciam in omnibus causis, que per sacrum concilium conciliariter terminantur, locum habere. Deputacio vero de communibus dixit, quod renoventur illa decreta iuxta eorum formam sine addicione predicta. Deputacio vero de fide ultra sua deliberata dedit deputatos ad videndum de forma et referendum, videlicet dominum Mediolanensem, dominum Aquensem, magistros Jordanum Morini, Johannem Corali, Johannem Celi, Radulphum de Porta et prepositum Gnesnensem. Deputacio pacis ultra sua deliberata dedit deputatos ad videndum de forma et conveniendum cum deputatis aliarum deputacionum et referendum videndum de lector[a)] dominum N[icolaum] de universitate, magistrum Matheum Maignage, Johannem Lamelin.

Item concordant omnes deputaciones, quod reverendissimus dominus legatus conficiat litteras dirigendas regi Francie ex parte concilii, regi Francie, civitati et capitulo Turonensi pro manutenencia possessionis iuris pro domino M[artino] Berruerii decano Turonensi.

Item concordant tres deputaciones, quod clavigeri seu custodientes plumbum conveniant cum expedientibus litteras in cancellaria et ibi expeditas recipiant et audiant, eciam si eis viderentur alique exorbitancie, quod reprobare et reicere valeant, reiciant et reprobent, et si omnes non conveniant, quod adminus duo vel tres sint presentes in expedicione huiusmodi.

Super supplicacione abbatis monasterii de Castione Parmensis diocesis ordinis S. Benedicti, petentis ut quedam divisio alias facta et assignata priori et monachis monasterii predicti a mensa abbatis predicti extingatur et reducatur ad communem mensam abbacialem et prout alias consuevit esse, concordant tres deputaciones, ut dicta supplicacio admittatur in forma ut petitur. Deputacio de communibus requisita non deliberavit.

Super supplicacione Johannis de Orlandis a monitorio et sentenciis contra eum latis extingui et repelli ac processus per commissarios sacri concilii contra ipsum dominum Jacobum habitos ex certa sciencia approbari et ratifficari et si opus sit dictum dominum Jacobum in predictis censuris et sentenciis tam in decretis Constanciensis quam huius conciliorum contentis incidisse declarari et alias aggravari et reagravari cum invocacione brachii secularis etc.: concordant due deputaciones, videlicet de pace et de fide, quod admittatur supplicacio presens ut petitur. Deputacio vero de communibus admisit eciam supplicacionem huiusmodi, sublata tamen clausula „ex certa sciencia“ et supplecione deffectuum. Deputacio vero de reformatorio requisita non deliberavit.

[a)] *so P, wohl zu lesen* videlicet dominum Lectorensem.

Concordant eciam tres deputaciones, quod prorogetur terminus monicionis presidencium pape usque ad diem veneris proximum inclusive, in quo die si velint audiri, audiantur in congregacione generali; quodque huiusmodi dilacio perinde habeatur ac si in generali [congregacione] conclusa fuisset; sine preiudicio potestatis date dominis deputatis in hac materia. Deputacio vero de fide addit, quod de cetero eis nulla fiat prorogacio.

Super supplicacione Guidonis Vats decani ac Rassonis Wimel et nonnullorum religiosorum Watinensium Morinensis diocesis, petencium committi reformacionem dicti monasterii dominis ambassiatoribus sacri concilii Basiliensis existentibus in Attrebato etc., concordant tres deputaciones, videlicet de pace, de fide, de reformatorio, quod committatur reverendissimo domino cardinali de Cipro et aliis ambassiatoribus concilii apud Attrebatum existentibus ac domino Virziliacensi ibidem eciam existenti, cum clausula quod si ipsi domini ambassiatores et abbas omnes vacare et interesse non possent seu velint, quod dominus abbas Virziliacensis possit unum vel plures neutri parti suspectos secum assumere, qui ad reformacionem ipsius monasterii[a] procedant in capite et in membris ut petitur, dumtamen ante omnia pareatur iudicato sentenciarum latarum in hoc sacro concilio. Deputacio vero de reformatorio ultra alios deputatos addidit ordinarium loci. Quarta vero de communibus deliberavit, quod unacum reformacione huiusmodi per dominos deputatos predictos per sacras deputaciones de fide et de pace fienda pareatur iudicato etc.

In causa patriarchatus Aquilegiensis concordant omnes deputaciones, quod de consensu reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis quod domini deputati in facto patriarchatus sui possint prorogare terminum datum in huiusmodi causa per totum presentem mensem.

Super supplicacione Mathie Johannis et Andree Petri clericorum Ottonensis diocesis de soluto et soluta genitorum, petencium secum dispensari, ut non obstante dicto deffectu possint ad omnes sacros ordines promoveri et beneficium seu benficia cum cura vel sine cura etc. retinere: concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur. Quarta vero de communibus requisita non deliberavit.

Super supplicacione Johannis Tinelli baccallarii in decretis Ruthenensis diocesis incorporati in hoc sacro concilio, petentis ut non obstante certo statuto collegii Magalonensis Tholose fundati[b], videlicet quod nullus collegiatus ultra sex menses ab eodem collegio se absentare valeat, nisi pro negociis aut alia urgentissima neccessitate, alioquin sit loco

[a]) non *P.* [b]) fundato *P.*

huiusmodi ipso facto privatus, in quo certum locum collegialem triennio possedit et contra decreta huius sacri concilii ipso loco privatus fuit, ut asseritur, committatur in partibus alicui probo viro in dignitate constituto, ut si constiterit huiusmodi privacionem fuisse factam contra decreta huius sacri concilii, ipsam casset et annullet ac nullam declaret necnon dominum Johannem ad possessionem dicti loci restituat etc. iuxta tenorem ipsius supplicacionis: concordant tres deputaciones, quod admittatur presens supplicacio in forma ut petitur. Quarta vero de pace deliberavit, quod admittatur in forma iuris.

Super supplicacione domini Walrami postulati Traiectensis, petentis ut eo absente et constituto in ambassiata sacri concilii in preiudicium sui aut sibi adherencium nichil innovetur seu attemptetur, quod si secus fiat, extunc irritum declaretur: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur etc.

Super supplicacione Johannis de Oerde et Manite coniugum Traiectensis diocesis, petencium secum dispensari super matrimonio contracto ignoranter in cognacione spirituali carnali copula subsequta, concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate huius sacri concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur. Quarta vero de fide non deliberavit requisita.

Super supplicacione magistri Guillermi de Lucaso magistri in artibus, petentis committi in partibus alicui probo viro, quatenus receptis nonnullis testibus pro parte ipsius supplicantis coram eodem producendis ad probandum gradum magisterii per ipsum Guillermum fuisse obtentum in universitate Parisiensi, aut saltim quod pro tali in partibus fuerit prout est tentus et reputatus, et si per huiusmodi testium deposicionem compererit dictum magistrum Guillermum gradum huiusmodi recepisse, ut premittitur, aut pro tali fuisse et esse reputatum, litteras testimoniales auctoritate huius sacri concilii cum eodem vigore et efficacia decernat ac[a] si a dicta universitate littere huiusmodi emanassent, cum pro littera huiusmodi recuperanda dicto Guillermo non pateat tutus accessus: concordant omnes deputaciones, quod admittatur presens supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione prepositi decani et capituli ecclesie Sambiensis, petencium donacionem et assignacionem parrochialis ecclesie de Conigsberg dicte diocesis eidem ecclesie Sambiensi in augmentum divini cultus factam sub certis clausulis et modis in litteris desuper confectis expressis etc. ac erectionem donacionem[b] et fundacionem cuiusdam vicarie in capella S. Andree Sambiensis per bone memorie dominum Bartho-

[a]) et *P.* [b]) detractionem *P.*

lomeum episcopum Sambiensem factas approbari et confirmari cum supplecione deffectuum et deputacione exemptorum etc.: concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino vicecancellario, qui litteras huiusmodi approbacionis confirmacionis et iudicum seu executorum deputacionis expediat iuxta stilum communem cancellarie. Quarta vero de communibus requisita non deliberavit.

Super supplicacione Johannis Petri de Leutinch et Anne uxoris eius Augustensis diocesis, petencium secum dispensari in iij° gradu affinitatis de matrimonio contracto ignoranter per verba [de] presenti, carnali copula et prole subsecuta, concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate huius sacri concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur. iiij^ta^ vero de fide requisita non deliberavit.

Super [supplicacione] reverendissimi domini archiepiscopi Turonensis, petentis quod possit uti et gaudere perogativis et concessionibus supposito rum huius sacri concilii in sui absencia, et quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, quatenus auctoritate concilii conficiat litteras ex parte concilii christianissimo Karolo Francorum regi et ad civitatem et capitulum beatissimi Martini Turonensis pro pace inter dictum archiepiscopum et capitulum predictum: concordant omnes deputaciones, quod admittatur presens supplicacio in forma ut petitur.

In causa episcopatus Lingonensis concordant quatuor deputaciones, quod coram reverendissimo domino cardinali Arelatensi commissario in huiusmodi causa possint servari termini substanciales simul et semel usque ad sentenciam diffinitivam exclusive, eciam in contumaciam partis etc.

Super supplicacione Petri de Wilberti Valentinensis diocesis, petentis ut a quocunque antistite in concilio residenti primam tonsuram etc. recipere valeat, concordant omnes deputaciones, quod admittatur presens supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione Guillermi Valete mercatoris Ruthenensis diocesis, petentis secum dispensari de matrimonio contracto ignoranter in cognacione spirituali, concordant omnes deputaciones, quod committatur ordinario loci, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicante ut petitur.

Lectis concordatis dominorum xij super renovacione decretorum Calcedonensis et Toletani, dominus episcopus Conchensis allegatis aliquibus racionibus peciit maturius deliberari super illis, et antequam concludatur deputentur aliqui, qui videant et examinent bene et mature et referant, ut si sint renovanda renoventur etc. Et protestatus fuit nomine suo et domini regis Castelle, quod alias non renovetur.

Similiter dominus Alfonsus electus Burgensis peciit ipsum et alios coambassiatores audiri, antequam concludatur, alioquin huic conclusioni contradicunt et protestantur, quod contra eorum consensum concludetur.

Cui protestacioni adhesit plenissime dominus Turonensis, similiter dominus Petrus episcopus Dignensis. Similiter dominus Petragoricensis et magistri Martinus Questel et Bertonus de Vassel procuratores domini ducis Borbonii, qui duo similiter adheserunt producentes mandatum.

Dominus Lubicensis ex opposito narravit, quod ipsa decreta sunt arma decretorum huius sacri concilii, et idcirco nomine serenissimi domini imperatoris consenciit expedicioni et conclusioni decretorum huius sacri concilii.

Dominus Lugdunensis archiepiscopus per multas raciones allegavit huiusmodi decreta esse renovanda et idcirco non contradicebat nec suo nec christianissimi domini regis Francie [nomine] contradixit, sed adhesit.

Dominus Niuernensis post plura dicta supplicavit dari deputatos, qui videant et examinent huiusmodi decreta, antequam concludatur.

Similiter peciit dominus Ebroicensis dari deputatos.

Dominus Aquensis ex alia parte dixit huiusmodi decreta esse renovanda.

Prior Chamberiaci adhesit protestacioni facte per dominum episcopum Conchensem.

Dominus legatus respondit domino Turonensi, qui dixerat quod Gregorius dicit, quod ubi est dubium super decretis sacrorum conciliorum, recurritur ad papam, dicendo quod ubi ecclesia universalis est congregata, debet interpretari huiusmodi dubium; non sedente universali ecclesia, recursus debet haberi ad papam; concludendo quod non licet appellare a sacro concilio.

Et tandem dixit, quod oppinio et mens dominorum xij et sacrarum deputacionum non fuit, ut credit, quod non videantur et examinentur huiusmodi decreta per deputatos ad conficiendum, idcirco videtur esse concludendum, et quod sic videantur et examinentur.

Tandem conclusit super omnibus concordatis.

Super concordatis vero de termino prorogato ad viij dies, ita quod deputaciones videant, si alii iiij^{or} dies, de quibus fit dubitacio, debeant eis dari.

Super conclusione de renovandis decretis conclusit iuxta concordata, ita tamen quod bene examinentur et fiat forma et referatur per deputandos.

Exhortatus est eciam de provisione facienda domino nostro pape et dominis cardinalibus etc.

Die sabbati X[a] mensis septembris in sacra deputacione pro communibus super requesta reverendissimi domini archiepiscopi Lugdunensis et domini Symonis de Valle, petencium quod in causa vertente inter dominum Bartholomeum Rosselli et Petrum Hospitis super parrochiali ecclesia de Bochenaco Narbonensis diocesis verbotenus facta placuit, quod absente dicto domino Bartholomeo in ambassiata sacri concilii nichil de novo in preiudicium ipsius domini Bartholomei fiat vel innovetur.

Super supplicacione Petri Militis pauperis presbiteri Morinensis diocesis, petentis absolvi et sibi provideri super eo quod quandam mulierem etc. purificavit et eciam quendam laicum mutilavit etc., placuit quod dominus cardinalis legatus absolvat et provideat supplicanti ut petitur.

Super supplicacione procuratoris fiscalis, petentis dari iudices contra appellantes a sacro concilio, intimantes huiusmodi appellaciones ac illis deferentes et notarios instrumenta recipientes, cum postestate citandi summarie simpliciter et de plano usque ad sentenciam exclusive et conservatores deputari decretorum huius sacri concilii editorum et edendorum etc., placuit prima pars huiusmodi supplicacionis, excepto quod dominus auditor camere alias deputatus ad puniendum notarios excedentes taxam remaneat iudex in eadem materia. Placuit insuper quod quo ad procedendum contra huiusmodi appellantes et alia contenta in ipsa prima parte deputentur de qualibet nacione unus iudex vel commissarius. Quo vero ad conservatores dandos super decretis editis et edendis placuit, quod supersedeatur quo ad presens in huiusmodi materia.

Ad videndum de modo exequendi materiam indulgenciarum ac eciam circa alia neccessaria hanc materiam concernencia necnon videndum et examinandum decreta Calcedonense et Toletanum[a)] renovanda unacum reverendissimo domino cardinali legato ac aliis dominis deputatis aliarum deputacionum et referendum in deputacione deputati fuerunt reverendissimi domini Lubicensis Lugdunensis Burgensis Niuernensis et Lausanensis episcopi, abbas de Chereto, Johannes Pulcripatris, provincialis Lombardie, Thomas Francisci, Jacobus de Attigniaco et Guillermus de Constancia, ita tamen quod nulla amplius in facto indulgenciarum fiat disputacio.

Die lune XII[a] mensis septembris in sacra deputacione pro communibus placuit, quod loco archipresbiteri[b)] Saccensis auditoris in rota surrogetur dominus Nicolaus decretorum doctor ambassiator universitatis Parisiensis in eiusdem domini archipresbiteri[b)] absencia.

[a)] Toletani *P.* [b)] archiepiscopi *P.*

Item placuit quod ipso archipresbitero absente ipse possit gaudere prerogativis sacri concilii.

Placuit quod gracia si neutri magistri Petri Hospitis signata in presencia domini nostri pape, que recusata fuit expediri in cancellaria apostolica, ut constat per legitimum documentum, committatur dominis legato et Arelatensi, qui provideant et expediant, prout sibi videbitur.

Super supplicacione per dominum Franciscum de Bossis et cantorem solicitatorem domini electi Maclouiensis porrecta, concernente ecclesiam Maclouiensem, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui provideat et expediat, prout sibi videbitur.

Super primo avisamento dominorum xij^{cim} de deputando uno doctore, qui habeat solicitare dominos deputatos pro expedicione avisamentorum eis commissorum, demum in septimana bis in singulis deputacionibus que acta sunt referre, necnon quod habeat solicitare singulas deputaciones, ut avisamenta eis data equaliter studeant expedire: placuit huiusmodi avisamentum in forma, ita tamen quod maior qui fuerit inter dominos deputatos habeat curam convocandi. Et fuit deputatus dominus Lugdunensis.

Super secundo avisamento, continente quod sacre deputaciones debeant dominos precognitores aut continuare aut de novo eligere et declarare, quod signature facte per eos ultra terminum potestatis eis concesse perinde censeantur ac si fuissent de novo electi, et extendatur huiusmodi potestas ad futura, donec alii eligantur: placuit huiusmodi avisamentum in forma.

Super iij^{o}, continente in effectu, quod cause dominorum iudicum de rota committantur extra rotam aut quod eligantur iudices non habentes causas etc., placuit quod huiusmodi cause committantur extra rotam.

Super iiij^{to} avisamento, continente quod domini deputati in materiis renovandorum decretorum et indulgenciarum etc. debeant infra octo dies referre, alioquin eedem materie reducantur ad deputaciones deliberande et per vota absque ulteriori dilacione determinentur, visa neccessiate intollerabili etc.: placuit maiori parti huiusmodi avisamentum in forma.

Super v^{o} avisamento, continente quod reverendissimis dominis cardinalibus et patriarchis in concilio existentibus fiat provisio etc., placuit avisamentum in forma.

Item placuit quod post missam cras pro pace Francie celebrandam conveniant inclite naciones ad videndum et deliberandum super provisione facienda sanctissimo domino nostro pape et dominis cardinalibus ac aliis dominis prelatis ex decreto annatarum gravatis.

Item quia dominus Johannes de Hungaria ambassiator noviter de curia veniens portavit quandam cedulam, cuius tenor sequitur: „Constitucio edita per sacrum collegium cardinalium die xvj^{a} mensis aprilis M^{o}iiij^{c}xxxj^{o} pontificatus domini nostri domini Eugenii pape iiij^{ti} anno primo. Statutum et ordinatum fuit per dominos de collegio collegialiter congregatos, quod legati de latere in eorum absencia de temporalitate ecclesie Romane participare debeant tanquam presentes, de communibus vero et minutis serviciis nullomodo participent, et huiusmodi licencia obtineri debeat a collegio papa non presente," — placuit et deliberavit ipsa sacra deputacio, quod reverendissimi domini cardinales in hoc sacro concilio presentes et reverendissimus dominus cardinalis de Cipro pro facto pacis regni Francie absens ab ipso sacro concilio similibus privilegiis gaudeant pariter et pariter utantur, sicuti domini cardinales in curia Romana presentes, et in hoc casu pro presentibus reputentur et habeantur.

Dominus Lausanensis peciit licenciam recedendi, ut possit ire ad prosequendum causam appellacionis per partem adversam emisse in curia Romana.

Super facto appellacionis emisse in causa ecclesie Lausanensis et aliis similibus necnon citacionis seu citacionum desuper emanatarum, scrutatis votis singulorum dominorum placuit, quod huiusmodi citaciones et quecunque indesequta et sequenda auctoritate sacri concilii cassentur irretentur et annullentur ac pro nullis cassis et irritis habeantur iuxta decreta huius sacri concilii, et quod omnes et singuli tam iudices quam commissarii partes procuratores et notarii in premissis culpabiles moneant seu citent, eciam per edictum. Et pro iudice in hac materia deputatus fuit dominus Guillermus de Constancia.

Super avisamento dominorum de reformatorio placuit, quod committatur et commissum fuit reverendis patribus dominis Lugdunensi Lubicensi et Burgensi, qui huiusmodi avisamentum videant examinent et aptent ac in deputacione referant.

Die iovis XV^{a} mensis septembris in sacra deputacione pro communibus procuratores domini ducis Borbonii et domini Roberti Dalphini episcopi translati ad ecclesiam Albiensem produxerunt quandam supplicacionem pro parte christianissimi domini Karoli Francorum regis et pro interesse suo in causa ecclesie Albiensis, petentes eodem nomine eam legi et super ea deliberari. Qua lecta pecierunt super ea iterum deliberari. Similiter pro parte illustrissimorum dominorum ducis Borbonii et Aluernie et comitis Montispensati et aliorum interesse habencium et prosequi volencium pecierunt deliberari.

Pro alia parte dominus decanus Albiensis peciit nomine domini electi copiam huiusmodi supplicacionis antequam super ea deliberetur, ut super eis possit responderi.

Super supplicacione domini Conchensis intercedentis pro Petro Votis licenciato in decretis Conchensis diocesis, ut a quocunque decretorum doctore possit suscipere gradum doctoratus, attento quod non habet unde expensas faciat in universitate Salamantina etc., placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione suprascripta in facto ecclesie Albiensis porrecta placuit, quod dominus electus Albiensis habeat primo copiam et audiatur, antequam deliberetur super eadem.

Super avisamento misso per sacram deputacionem reformatorii placuit, quod [deputetur] de qualibet deputacione unus, qui videant et examinent huiusmodi avisamentum, aptent et eciam referant in suis deputacionibus, quia avisamentum in ipsa forma videtur multum capciosum et multas continere exhorbitancias, et si forsan aliquis peteret super eodem in generali congregacione concludi, placuit quod nomine sacre deputacionis se opponatur et dicantur raciones et motiva, quare non debeat in ipsa forma concludi. Et ad hoc faciendum deputatus fuit dominus episcopus Burgensis.

Die veneris XVI^{a} septembris M^{o}iiij^{c}xxxv^{o} in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus eidem dominis cardinalibus Arelatensi et de Columpna, patriarchis.

Medio iuramento fuerunt incorporati dominus Johannes abbas in Scattern Argentinensis diocesis, magister Henrricus Collart magister in artibus canonicus Aquensis, Johannes de Villone canonicus Metensis, magister Henrricus Lueyelbine licenciatus in decretis canonicus et thesaurarius ecclesie cathedralis Mindensis.

Deinde domini Johannes de Polomar sacri palacii auditor, prepositus S. Florini et magister Egidius Carlerii magister in theologia decanus Cameracensis ambassiatores sacri concilii venientes de partibus Bohemie suam de gestis per reverendum patrem dominum episcopum Constanciensem, ipsos referentes et alios suos coambassiatores tam apud regiam maiestatem quam cum ambassiatoribus Bohemorum etc. de gestis suam in scriptis fecerunt relacionem, addicientes verbotenus de conflictibus pluribus contra ipsos Bohemos a tempore incepti tractatus habitis, et qualiter Dominus taliter in eos operatus est, quod qui pridem obsidebant fugabant et interficiebant, nunc obsidentur fugantur et interficiuntur, et qui dubitabantur nunc dubitant.

Qua facta relacione regraciatus fuit reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii serenissimo domino imperatori et aliis principibus, qui eos honoraverunt, ac eisdem dominis ambassiatoribus.

Deinde lecte fuerunt littere credenciales domini Alberti ducis Austrie in eorum ambassiatorum personas, quam credenciam exposuerunt.

Item lecte fuerunt littere eiusdem domini ducis credenciales in personam magistri Johannis Celi, qui ex eo quod hora erat tarda, credenciam exponere non potuit, sed remissa fuit ad aliam congregacionem.

Concordata.

Concordant tres deputaciones quod supplicaciones de iusticia, demptis maioribus, videlicet metropolitanarum cathedralium ecclesiarum etc., committantur domino Arelatensi et precognitoribus, ille vero deffectuum natalium et matrimoniorum, de consciencia et similes committantur reverendissimo domino legato, qui auctoritate sacri concilii dispensent et provideant, prout videbitur ipsis dominis, et hoc[a] usque ad mensem inclusive. Quarta vero de fide commisit huiusmodi supplicaciones reverendissimis dominis legato et Arelatensi coniunctim sine preiudicio potestatis date dominis Arelatensi et precognitoribus.

Ad videndum de modo exequendi materiam indulgenciarum et circa alia neccessaria hanc materiam concernencia necnon videndum et examinandum decreta Calcedonense et Toletanum renovanda et referendum in deputacionibus unacum reverendissimo domino cardinali legato fuerunt deputati pro deputacione pacis dominus episcopus Lectorensis, electus S. Poncii, abbas de Castione, archidiaconus Ebredunensis, magister Matheus Maignage et magister Nicolaus Hermesten, pro deputacione de reformatorio patriarcha Anthiocenus, episcopus Conchensis, vicarius Frinsingensis, archidiaconus Lismorensis, archipresbiter Papiensis, magister Dyonisius de universitate Parisiensi et magister Johannes de Turrecremata, pro deputacione de communibus dominus Lubicensis, dominus Lugdunensis, Burgensis Niuernensis et Lausanensis episcopi, abbas de Chereto et magister Johannes Pulcripatris, provincialis Lombardie, Thomas Francisci, Jacobus de Attigniaco et Guillermus de Constancia, pro deputacione fidei archiepiscopus Mediolanensis[b], episcopus Aquensis, magister Jordanus Morini, Johannes Corali, Johannes Celi, Radulphus de Porta et prepositus Gnesnensis. Concordant tres deputaciones, quod casu quo predicti deputati ad actus prenominatos infra viij dies proxime sequentes super dictis materiis inmediate descriptis suam in deputacionibus de gestis et conclusis per nos non fecerint relacionem, huiusmodi materie reducantur deliberande ad deputaciones, quodque per vota absque ulteriori dilacione

[a]) hos *P.* [b]) *wiederholt P.*

determinentur, visa intollerabili neccessitate sacri concilii, ne huiusmodi concilium detrimentum atque scandalum paciatur.

Concordant tres deputaciones, quod omnes appellaciones ab hoc sacro concilio emanate et quecunque indesecuta et sequenda cassentur irritentur et annullentur et tam iudices quam commissarii partes procuratores et notarii, qui circa premissa culpabiles reperti fuerint, moneantur eciam per edictum et debite puniantur. Et ad hoc dati sunt executores in deputacione reformatorii vicarius Frinsingensis, in deputacione pro communibus magister Guillermus de Constancia, in deputacione pacis dominus episcopus Lectorensis. Quarta vero de fide concordat cum eisdem deputacionibus, dumtamen excipiatur persona domini ducis Sabaudie, quodque ex parte sacri concilii scribatur eidem domino duci super huiusmodi materia Lausanensi, quodque concilium paratum est sibi et cuicunque de suppositis concilii querulanti iusticiam ministrare, et si opus sit, eidem transmittentur viri notabiles pro tractatu huiusmodi.

Item concordant tres deputaciones, quod signature facte per precognitores ultra terminum potestatis eis concesse perinde censeantur ac si fuissent de novo electi, et extendatur huiusmodi potestas ad futura, donec alii eligantur. Et pro deputacione pacis fuit electus magister Johannes Lamelin, pro deputacione de fide fuit electus episcopus Aquensis, pro deputacione de communibus dominus episcopus Burgensis. Deputacio vero de reformatorio nec elegit precognitores nec super avisamento huiusmodi deliberavit.

Super supplicacione electi Maclouiensis, petentis causam attemptatorum per dominum translatum etc. committi commissariis alias datis in principali causa, concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Nicolai abbatis Montis S. Georgii ordinis S. Benedicti diocesis [Salzeburgensis][a], petentis se et sibi adherentes ab excommunicacionis sentenciis et aliis censuris in eos ad instanciam quondam Henrrici eiusdem ordinis monachi deffuncti occasione dicte abbacie quomodolibet latis absolvi et cum eis super irregularitate dispensari: concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, ut ei constito summarie simpliciter et de plano de morte dicti quondam Henrrici, ipsum Nicolaum et sibi adherentes absolvat et cum eis dispenset, ut petitur in ipsa supplicacione. Quarta vero de reformatorio requisita non deliberavit.

Super supplicacione Johannis Gundissalui scolastici Seguntini, petentis licenciam permutandi quecunque beneficia que obtinet cum quibuscunque personis, eciam sedis apostolice officialibus aut alias quecunque

[a]) *offen gelassen P.*

beneficia reservata aut non reservata obtinentibus et simpliciter vel ex causa permutacionis in manibus ordinariorum aut cuiuscunque persone, cum non obstan[tibus] quibuscunque reservacionibus etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur presens supplicacio ut petitur.

Item concordant quatuor deputaciones, quod contra appellantes ab hoc sacro concilio seu a iudicibus et commissariis ab eodem concilio deputatis extra hoc sacrum concilium, intimantes huiusmodi appellaciones ac illis defferentes ac notarios inde instrumenta recipientes necnon contra illos, qui litteras quascunque tam a Romana curia quam aliunde extra locum sacri concilii emanatas contra incorporatos huic sacro concilio exequuntur et procurant exequi, [procedatur][a]. Et ad procedendum contra huiusmodi appellantes intimantes et alios predictos fuerunt[b] deputati pro deputacione pacis dominus episcopus Lectorensis, pro deputacione reformatorii vicarius Frinsingensis, pro deputacione fidei prepositus Gnesnensis, pro deputacione de communibus dominus patriarcha Aquilegiensis, qui contra predictos procedant cum postestate citandi in loco huius sacri concilii, extra et ad partes, eciam personaliter et per edictum, illosque puniendi et castigandi usque ad privacionem officiorum et beneficiorum atque ad infuturum obtinenda inhabilitandi, prout iusticia et communis qualitas postulant et requirunt ac eis videbitur expedire, ita tamen quod coram altero ex eis in causis huiusmodi possit procedi usque ad sentenciam exclusive, que tunc consensu maioris partis interveniencium possit promulgari ac procedi summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii, omni iuris et stili solemnitate atque terminorum observacione semotis, sola tamen veritate inspecta, deputacioni de communibus se conformantes.

Super supplicacione Henrrici Phili pis[c] Lincopensis diocesis clerici de presbitero et soluta geniti, petentis secum dispensari, ut non obstante deffectu natalium quem patitur ad omnes sacros ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, dummodo ei canonice conferatur, libere et licite recipere et retinere possit et valeat etc.: concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicante ut petitur etc. Quarta vero, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Concordant tres deputaciones, quod Alfonsus Ispanus familiaris reverendissimi domini cardinalis de Columpna admittatur ad officium cursoris cum omnibus honoribus oneribus et emolumentis ad huiusmodi

[a]) *hier ist vielleicht noch mehr ausgefallen.* [b]) qui fuerunt *P.* [c]) Phis *mit Abbreviatur P.*

officium pertinentibus, non obstante conclusione sacri concilii alias in contrarium habita. Quarta vero de reformatorio requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini Johannis episcopi Cabilonensis, petentis ut ecclesias monasteria cimiteria et alia loca sacra de diocesi Cabilonensi quomodolibet polluta nunc et in futurum, dum et quando casus occurrerit et neccessitas imminebit, per sacerdotem ydoneum seu eius auctoritate deputandum reconciliari facere possit et valeat de gracia speciali, attentis enarratis cladibus, proch dolor, in illis partibus diu est vigentibus, iuribus, stilo palacii apostolici, constitucionibus et ordinacionibus apostolicis ceterisque in contrarium editis non obstantibus quibuscunque: concordant due deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Deputacio vero de pace admisit dictam supplicacionem ut petitur usque ad biennium inclusive. iiij^{ta} vero, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super supplicacione archipresbiteri Saccensis, petentis magistrum Nicolaum Hermestent in causis eidem archipresbitero ut iudici commissis in relevamen parcium surrogari, quodque omnes et singulas causas ipsi domino archipresbitero commissas ulterius resumere easdemque et committendas audire decidere cognoscere valeat et fine debito terminare cum omnibus et singulis suis emergentibus incidentibus et connexis cum potestate citandi et procedendi aliaque omnia et singula faciendi, que ipsemet dominus Bernardus archipresbiter in mandatis habuerit et fecisse potuisset, si a loco dicti sacri concilii non recessisset, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque: concordant omnes deputaciones, quod admittatur in forma ut petitur.

Super supplicacione episcopi Sudensis, petentis quod cum unus de partibus Brabancie obligetur camere apostolice in tricentis florenis de camera, et si haberet quittanciam sufficientem, vellet de presenti solvere huiusmodi tricentos florenos, eidem episcopo per sacrum concilium, quod eidem obligatur, assignari cum potestate quittanciam dandi illi debitori sufficientem per dominos de camera, contrariis quibuscunque non obstantibus, quodque si ipse debitor petat aliquam partem debiti sibi remitti, quod domini cardinales possint illam sibi facere etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur presens supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Petri Vrtis Conchensis diocesis in decretis licenciati in universiate Salamantina cum rigore examinis, petentis quod propter sumptus et expensarum cariciam gradum doctoratus [a)] a quocunque doctore decretorum libere assequi valeat, non obtantibus quibus-

[a)] graduatus *P.*

cunque constitucionibus statutis et iuramentis prefate universitatis: concordant omnes deputaciones, quod admittatur presens supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Bernardi archipresbiteri Saccensis, petentis ut tempore quo a sacro concilio absens fuerit omnibus et singulis graciis privilegiis indultis libertatibus prerogativis et antelacionibus, eciam in assecucione quorumcunque beneficiorum, incorporatis in concilio concessis et concedendis, quibus gauderet, si presens in concilio interesset, in sui absencia gaudeat et fruatur etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur presens supplicacio ut petitur. iiij^{ta} vero de fide deliberavit, quod concedatur supplicanti, ut gaudeat prerogativis huiusmodi per tres menses dumtaxat, ita tamen quod non attemptet quicquam contra hoc presens concilium.

Super supplicacione Petri Hospitis incorporati in concilio, petentis quod cum obtinuerit in Romana curia graciam si neutri super parrochiali ecclesia de Bocheaco Narbonensis diocesis, huiusmodi graciam sub bulla sacri concilii expediri, concordant due deputaciones, quod admittatur presens supplicacio ut petitur. Deputacio vero de communibus commisit reverendissimis dominis legato et Arelatensi, qui provideant et expediant, prout eisdem videbitur; cui deliberacioni deputacionis de communibus prefati reverendissimi domini cardinales consenserunt, prout in ipsa supplicacione per subscripciones prefatorum dominorum cardinalium constat; ipsis deputacionibus de fide et de reformatorio se conformantibus. Quarta vero de pace hodie requisita non deliberavit.

Super supplicacione Johannis Maleti presbiteri Lexouiensis diocesis, petentis commutari votum certum per eum emissum in alia pietatis opera etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino legato, qui votum huiusmodi in alia opera pietatis commutet et provideat alias supplicanti ut petitur. Quarta vero de reformatorio requisita non deliberavit.

Super supplicacione Segeri de Kessel armigeri et Yde de Passe, petencium secum dispensari super iiij^{to} gradu affinitatis de contrahendo matrimonium etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus ut petitur. Quarta vero de communibus requisita non deliberavit.

Super supplicacione Henrrici de Meerwise scolaris Leodiensis, petentis secum dispensari, ut non obstante deffectu natalium, quem patitur de soluto et soluta genitus, possit promoveri ad omnes ordines et beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino legato, qui auctoritate

sacri concilii dispenset cum supplicante[a] ut petitur. Quarta vero de communibus requisita non deliberavit.

Super supplicacione Henrrici Casheyguen et eius uxoris Leodiensis diocesis coniugum, petencium secum dispensari de matrimonio contracto ignoranter in iiij^to^ gradu consanguinitatis etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino legato, qui auctoritate sacri concilii dipenset ut petitur cum supplicantibus. Quarta vero de communibus requisita non deliberavit.

Lectis huismodi concordatis, reverendissimus dominus cardinalis legatus presidens nomine et auctoritate sacri concilii, ut est moris, conclusit.

Deinde lecte fuerunt littere domini imperatoris, concernentes regaliam per ipsum datam reverendo patri domino Ludouico episcopo Lausanensi.

Postmodum vero per Thomam Chesneloti eiusdem sacri concilii notarium lecta fuerunt nomina scriptorum sacri concilii, post longam examinacionem sciencie vite et morum per reverendissimos reverendosque patres dominos archiepiscopum Mediolanensem, episcopum Lausanensem, prepositos Januensem et Barduicensem ad hoc per sacrum concilium deputatos electorum, quorum nomina sequntur:[b]

Petrus Bruneti, Thomas Chesneloti, Erardus Rousselli, Georius Frey, Johannes Dieulefist, Bertholomeus de Batifferris, Nicolaus de Viterbio, N[icolaus] de Civitate Castelli, Johannes de Rocapetri, Johannes Freudemberg, Andreas de Panigallis, Johannes de Foresteria, Conrardus Kuelenc[c], B[artholomeus] Poignare, Galterus Cossel, Johannes Champion, Petrus Paulus Albinganensis prepositus, Johannes de Dik, Guillermus de Cruce, Johannes Gaufridi, Johannes Perrigallus, Jacobus de Cerueriis, Johannes Cimy, Johannes Fabri, Jacobus de Tiburre[d], Johannes Helpsem, Bartholdus, Arnulphus Champerich, Erardus de Oelpe, Bernardus Bridach[e], Nicolaus Bouis, Henricus Attendarn, Johannes de Colonia, Henricus Tanhem, Rogerus Sohierii[f], Robertus Mallerbe, Ludouicus Scaec, Franciscus Chiotha, Nicolaus Pontanus[g], Anthonius de Colle, Bartholomeus Bonoscoten, Petrus Ymaginis, Johannes Swehentien[h], Michael Galteri. Numero xLiiij^or^ [i].

[a]) supplicantibus *P.* [b]) *die nachfolgende Liste etwas verändert und fehlerhaft auch in einem Basler Codex, s. S. 523 (B). Vgl. M. C. 2, 828.* [c]) Conrardus le Cuken uxoratus etc. *B.* [d]) *am Rande* habet substitutum qui non scribat amplius *B.* [e]) Vridach *B.* [f]) *hier folgt* Christoforus de Bionis *B.* [g]) Pontanius *P.* [h]) Swahennen *B.* [i]) Num. xLiiij *fehlt B, statt dessen* Placent michi Juliano legato predicti scriptores. Idem michi Ludouico cardinali Arelatensi placet ut supra. Similiter michi Francisco archiepiscopo Mediolanensi. Similiter placet michi Marco preposito Januensi. Consimiliter placet michi Johanni preposito Bardwicensi.

Die sabbati XVII[a] mensis septembris in sacra deputacione pro communibus dominus officialis Patauiensis protestatus fuit, quod si aliquis proponeret aliquid contra dominum episcopum Patauiensem, quod nichil deliberetur, nisi eodem domino officiali vocato et audito.

Reverendissimus dominus patriarcha Aquilegiensis narravit, qualiter domini Veneti renunciarunt termino eis dato et prorogato et decreto, et idcirco ipse peciit, quatenus attentis premissis sacra deputacio dignetur mandare dominis deputatis in hac materia, quatenus ipsi preparent se ad faciendum relacionem et ipsam faciant in generali congregacione.

Super qua requesta scrutatis votis singulorum dominorum placuit maiori parti, quod ipsi domini deputati in hac materia suam faciant relacionem die veneris proxime futura.

Magister Thomas Rode assertus procurator domini Petri episcopi translati ad ecclesiam Maclouiensem produxit quandam supplicacionem, cuius copiam dominus Franciscus et dominus cantor Maclouiensis pecierunt sibi dari sub publico instrumento.

Ad conveniendum cum dominis ambassiatoribus, qui noviter de Bohemia venerunt, et videndum quid agendum sit in materia Bohemorum pro hac sacra deputacione deputati fuerunt reverendissimi domini Lubicensis Lugdunensis Burgensis et Niuernensis episcopi, necnon provincialis Lombardie.

Domini Veneti venerunt ad sacram deputacionem, conquerentes de prefixione termini eis dati ad probandum quitquid probare vellent in causa patriarchatus Aquilegiensis, quoniam erat nimis brevis nec adhuc erat declaratum, que excepciones erant admittende vel non, et presertim ex eo quia non erat eis intimata assignacio termini, licet peremptorii, cuiquidem termini prefixioni seu prorogacioni nullatenus consenserunt, ymo expresse contradicunt propter causas per eosdem allegatas, ac eciam viva voce appellarunt cum protestacione de appellando in scriptis. Dixerunt postea inter cetera, quod terminus ipse erat eis prefixus ad dandum errores facti, quos vellent dare, et quos errores ipsi dederunt, et subiunxerunt, quod alias sepius dixerunt se non velle alios dare errores, prout eciam nunc dicunt non velle alios dare, sed eidem renunciant. Supplicantes tandem, ut domini super hac materia velint mature deliberare.

Tandem auditis dictis dominis oratoribus Venetorum ac causis et racionibus per eos allegatis, placuit eidem sacre deputacioni, quod examinacio et discucio huiusmodi causarum et racionum committatur et commissa fuit reverendissimis reverendisque in Christo patribus et dominis dominis in causa principali patriarchatus Aquilegiensis commissariis alias per sacrum concilium deputatis.

Die lune XIX[a] mensis septembris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione porrecta pro parte reverendi patris domini Petri episcopi Maclouiensis, petentis etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui dictam supplicacionem videat examinet et in deputacione referat.

Deliberatum fuit super articulis dominorum de xij[cim] de numero et qualitate cardinalium, sed non fuit conclusum.

Die iovis XXII[da] mensis septembris in sacra deputacione pro communibus frater Guillermus Militis licenciatus in decretis prior S. Netterii ordinis S. Benedicti Claromontensis diocesis procurator domini abbatis Casedei protestatus fuit, prout in cedula.

Placuit quod magister Ludouicus Scaec et Michael Galteri sint scriptores litterarum sacri concilii.

In causa electoratus Saxonie etc. placuit, quod dominus Aquensis episcopus loco domini episcopi Ruthenensis pro deputacione fidei, et loco domini Uticensis deputatus fuit dominus Lectorensis pro deputacione pacis.

Super supplicacione notariorum scribencium coram dominis iudicibus causarum sacri concilii, petencium quod a tempore quo assumpti fuerunt omnibus et singulis prerogativis et antelacionibus, qnibus domini incorporati sacro concilio gaudent et pociuntur, declarentur debere gaudere pariter et potiri: placuit supplicacio in forma ut petitur.

Placuit quod die lune proxime futura in loco generalis congregacionis celebrentur missa et exequie solemnes pro bone memorie domino Guillermo duce Bauarie olim huius sacri concilii protectore, ad cuius honorem inclite naciones Gallicana et Germanica obtulerunt quelibet xij intorticia. Similiter nacio Italica contribuit.

Super supplicacione domini Burgensis, petentis sibi prorogari terminum de consecracione sua ad duos menses proxime futuros, placuit huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super primo avisamento reverendissimi domini cardinalis legati, continente in effectu quod dominus Tilmannus prepositus S. Florini, qui fuit in legacione Bohemie, iret ad dominos electores qui sunt circa Renum, ad communicandum cum eisdem huiusmodi negocia, placuit avisamentum in forma.

Super ij[do] avisamento, concernente quod ad sollicitandum factum concordie super ecclesia Treuerensi transiret idem dominus prepositus et unacum eo dominus Radulphus de Vormacia, qui iam fuit in dicto tractatu, et quod ipse reverendissimus dominus cardinalis legatus vocatis secum aliquibus possit facere instructiones: placuit eciam huiusmodi avisamentum in forma.

Super requesta per reverendissimum dominum patriarcham facta placuit quod declaretur et declaravit ipsa sacra deputacio, quod cras fiat relacio in causa sua per dominos in hac causa deputatos, non obstante deliberacione pro dominis oratoribus illustris dominii Venetorum ultimate facta.

Super avisamento dominorum xij^{cim} contra illos, qui iactant se velle denuo finito sacro concilio ressuscitare causas et lites iam in sacro concilio diffinitas etc., placuit huiusmodi avisamentum, dumtamen aptetur primo per reverendum patrem dominum episcopum Burgensem.

Super supplicacione domini electi Maclouiensis, petentis committi dominis deputatis in causa, adiunctis secum duobus aut tribus de parco, ut constito quod quedam pretensa bulla non esset expedita secundum stilum cancellarie, et [de] omissione clausule etc., procedant ad declaracionem predicte inhibicionis et ad examinacionem electionis et relacionem faciant: placuit quod committatur et commissa fuit reverendissimo domino cardinali legato, qui unacum aliis duabus supplicacionibus iam in hac causa sibi commissis audita parte videat et referat in deputacione etc.

Die veneris XXIII[a] mensis septembris in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus sibi dominis Arelatensi et de Columpna cardinalibus, patriarchis Anthioceno et Aquilegiensi.

Medio iuramento more solito fuit incorporatus Ingeninus Praundel canonicus Brixinensis.

Lecte fuerunt littere reverendissimorum dominorum legati et oratorum sacri concilii existencium in Attrebato.

Lecte eciam fuerunt littere domini administratoris ordinis generalatus Humiliatorum de Vicecomitibus archiepiscopi etc.

Lecte fuerunt littere clause christianissimi domini regis Francie in favorem domini Roberti Dalphini dudum Carnotensis episcopi, nunc vero ad ecclesiam Albiensem translati, et contra dominum electum. Deinde littere patentes eiusdem.

Quibus lectis, quia in eisdem continebatur, quod ipse erat suspectus regi, dictus dominus electus respondit, se non credere easdem litteras processisse[a)] de mente dicti domini regis. Et pro verificacione suorum verborum produxit certas litteras patentes, per quas eff[ect]us fuit consiliarius domini regis cum honoribus etc.

Quibus lectis dominus Symon de Valle advocatus domini Roberti Dalphini translati narravit aliquas causas suspicionum, et postmodum

[a)] non processisse *P.*

ipse et quidam assertus procurator dicti domini Roberti episcopi translati ad ipsam ecclesiam Albiensem requisiverunt ambassiatores ipsius domini regis, ut cause nomine domini regis velint adherere et causam huiusmodi prosequi.

Concordata.

Super supplicacione magistrorum Ludouici Scaec et Michaelis Galteri sacrarum deputacionum reformatorii et pacis notariorum, petencium se ad officium scriptorie litterarum huius sacri concilii recipi et admitti, deliberacionibus sacri concilii et deputatorum eiusdem forsan in contrarium intervenientibus non obstantibus, concordant omnes deputaciones, quod ipsi duo notarii ad ipsum officium admittantur ut petitur.

In causa electoratus Saxonie concordant omnes deputaciones, quod loco reverendorum patrum dominorum Guillermi episcopi Ruthenensis domini Aquensis et loco domini episcopi Uticensis alias in huiusmodi causa surrogatorum dominus episcopus Lectorensis [surrogentur].

Concordant tres deputationes, quod mandetur dominis commissariis in causa patriarchatus Aquilegiensis, ut die veneris xxiij[a] septembris proxima faciant relacionem super sibi commissis. Deputacio de fide dixit: super erroribus propositis per dominos Venetos allegatis et super probacionibus admittendis vel reiciendis[a)] dicti commissarii eadem die veneris suam faciant relacionem.

Super supplicacione domini electi Burgensis, petentis quod cum propter nonnullas racionabiles causas non possit commode infra terminum a iure statutum munus consecracionis recipere etc., ut tempus de consecrandis episcopis a iure statutum ac munus consecracionis eidem impendendum prorogari usque ad duos menses immediate sequentes post finem termini seu temporis ad prefatum munus consecracionis recipiendum a sacris canonibus statuti etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur supplicacio ut petitur.

Concordant omnes deputaciones, quod die lune sequenti fiant exequie pro domino Guillermo duce Bauarie olim sacri concilii protectore.

Item concordant omnes deputaciones, quod dominus prepositus S. Florini, qui fuit in legacione Bohemie, vadat ad electores imperii qui sunt circa Renum, ad communicandum cum eis huiusmodi negocia Bohemie, quodque cum eo ad sollicitandum facta ecclesie Treuerensis cum eisdem electoribus adiungatur dominus Rodolphus de Warmacia. Et ad conficiendum huiusmodi instructiones eisdem fiendas placuit, quod committatur domino legato, vocatis secum quos voluerit.

[a)] reicientibus *P.*

Lectis huismodi concordatis reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine et auctoritate sacri concilii more solito conclusit.

Dominus Lugdunensis postmodum dixit, quod domini deputati in materia Aquilegiensi avisarunt bonum esse, quod ad faciendum relacionem in huiusmodi causa expectaretur dominus scolasticus Andegauensis, qui ivit Venecias, ut primo audiretur, si domini Veneti vellent condescendere ad viam iuris vel concordie, et quod super hoc loquti fuerant domino patriarche Aquilegiensi, qui consenserat. Et tunc dictus dominus patriarcha contentus fuit, quod supersedeatur usque ad diem veneris proximam ad faciendum huiusmodi relacionem, ita tamen quod non preiudicet huiusmodi prorogacio conclusioni super huiusmodi relacione facienda facte, quam protestacionem dominus legatus admisit.

Deinde reverendus pater dominus Ludouicus dudum Vennsiensis episcopus translatus ad ecclesiam Massiliensem per organum domini Gasparis de Perusio proposuit, narrando qualiter lite inter ipsum dominum alias postulatum ad ipsam ecclesiam Massiliensem iuxta formam decretorum sacri concilii et confirmatum per dominum Arelatensem metropolitanum, et dominum Bartholomeum Rokalli olim generalem ordinis Carmelitarum in hoc sacro concilio mota, ac post inhibicionem eidem domino Bartholomeo auctoritate sacri concilii factam, ipse dominus Bartholomeus attemptavit possessionem dicte ecclesie Massiliensis violenter capiendo et sibi usurpando; unde cum idem dominus Bartholomeus dudum huic sacro concilio fuerit incorporatus et iuraverit observare decreta huius sacri concilii in eodemque sacro concilio diu steterit, propter que ipsa decreta, que non potest ignorare, observare debet, gravissime venit puniendus; quare petebant contra eum procedi tanquam contra periurum et violatorem decretorum huius sacri concilii et nichilominus attemptata revocari.

Similiter procurator fiscalis surgens in medium peciit pro interesse fisci, si et quatenus ipse dominus Bartholomeus contra decreta huius sacri concilii attemptasset, peciit ipsum dominum Bartholomeum puniri tanquam violatorem decretorum huius sacri concilii et attemptata contra ipsa revocari, petendo a nobis notariis unum et plura publicum et publica instrumenta.

Postmodum ego Thomas Chesneloti notarius huius sacri concilii legi regulas sive ordinaciones scriptorum litterarum sacri concilii et magistri et scriptorum registri earundem litterarum[a].

[a]) *Die nachstehenden Verordnungen finden sich auch im Codex E I 11 f. 104a—107b der Universitätsbibliothek in Basel in gleichzeitiger Abschrift (B). Diese ist hier collationiert, jedoch ohne Berücksichtigung offenbarer Fehler.*

Primo quod fiat pithafium per ordinem alphabeti cum numero ordinato omnium et singulorum scriptorum, quibus tradatur iuramentum ante omnia legaliter exercendi officium secundum modum infrascriptum et formam usitatam in cancellaria.

Item quod pro nunc admittantur scriptores nominati[a] usque ad numerum XLiiij^{or}.[b]

Item quod predicti et nulli alii scribant litteras sacri concilii et cum honoribus et oneribus declarandis.

Item quandocunque contigerit aliquem sive aliquos mori naturaliter sive civiliter, nullus substituatur loco illius vel illorum, donec et quousque numerus predictus sit reductus ad numerum XXV.

Item similiter si recedat vel recedant aliqui sine speciali licencia taxatoris, et cum prefixione termini, infra quem teneantur redire, et hoc cum beneplacito domini vicecancellarii, absens mortuus civiliter censeatur, si non redeat in termino sibi prefixo.

Item quod nullus ipsorum scriptorum scribat nisi per se ipsum et non per alium quovismodo, alioquin sit privatus suo officio ipso facto, et ille penes quem erit pro tempore pithaphium, teneatur illum delere et cassare de pithaphio deleatque et casset immediate auctoritate presentis ordinacionis.

Item deputetur unus, qui sit distributor et taxator simul more Romane curie, et pro isto primo mense electus est et deputatus reverendissimus dominus archiepiscopus Mediolanensis.

Item eligatur unus computator de mense in mensem, qui unacum taxatore seu rescribendario de oneribus et emolumentis omnibus faciat racionem eciam quolibet mense.

Item distribuatur equaliter de omnibus emolumentis et oneribus, et quolibet mense calculetur et videatur racio, supplendo et reducendo ad equalitatem.

Item nullus audeat facere minutam, nisi supplicacio per prius fuerit signata et sibi distributa per dominum vicecancellarium; et hoc intelligatur de hiis dumtaxat, que debent expediri per supplicaciones.

Item nullus audeat scribere litteras, nisi fuerint sibi per distributorem ut prefertur distribute, sub pena privacionis officii ipso facto.

Item nisi littere sic distribute sint taxate et manu taxatoris et computatoris more Romane curie[c] signate, eciam[d] si decreta fuerint vel[e] alie littere[f] de iusticia vel gracia, nullus audeat eas[g] expedire sub pena privacionis officii.

[a]) nominati per deputatos *B.* [b]) xLv *B, vgl. S. 518.* [c]) et comp.—curie *fehlt B.* [d]) etc. *P.* [e]) etc. *P.* [f]) aliis litteris *B.* [g]) *fehlt P.*

Item si littere reperiantur sine taxacione, computatoris nomine et aliis[a] signis cancellarie ac taxatoris bullate et expedite, ut predictum est, littere ipse sint nulle et scindantur atque conficiantur de novo secundum presentem ordinacionem.[b]

Item si aliqua littera culpa vel deffectu scriptoris sit rescribenda, scriptor ipse eam rescribere teneatur infra biduum vel triduum ad tardius suis propriis expensis, sub pena suspensionis officii.

Item supplicaciones, que sunt magne importancie, ad iudicium domini vicecancellarii legantur publice et in parco ad hoc per aliquem deputatum, et similiter littere desuper facte, ut videatur bene concordancia et discordancia earundem.

Item quod omnes littere expediantur per cancellariam cum signis et signetis consuetis, et inde tradantur cum numero uni custodum clavium plumbi vel bullatori iurato sub signeto et manu domini vicecancellarii. In dictoque plumbo omnes annotabuntur more solito unacum taxis earundem, alias sint nulle.

Item ipsis sic annotatis computatis et plombatis remittentur omnes cum numero et sub signeto unius custodum ad registrum bullarum per distributorem eiusdem registri, si fuerit presens[c] in plombo, alioquin per bullatorem predictum. Non tamen per hoc registrabuntur nisi registrande, exceptis litteris de simplici iusticia, que annotabuntur.[d] Ille tamen de minori registrabuntur. Simplices vero missive et tales sint signate manu legati, prout hactenus de mandato concilii fieri[e] consuevit.

Item in eodem registro partes recipiant litteras suas de manu registratoris vel alterius de ipso registro.

Item de correctore abreviatoribus et ceteris officiariis cancellarie ordinabit idem dominus vicecancellarius cum sua cancellaria, ita quod numerus abbreviatorum sit certus, et quod inter ipsos per eundem dominum vicecancellarium distribuantur supplicaciones pro minutis faciendis, taxabiturque quantum debebunt habere pro qualibet minuta.

Item quod nulla[f] littera in forma Exhibita[g], que graciam simplicem aut mixtam iusticie[h] continet, de cetero expediatur nisi per cancellariam et quod ipsius supplicacio perprius sit registrata; alias sint nulle.

Item quod habeatur in cancellaria unus quaternus curie bene ad verum correctus, in quo sint conscripta decreta concilii expediri consueta necnon forma Caroline et de Corpore Christi etc.

[a]) comp.—aliis *fehlt B.* [b]) *Zusatz* quod de rescribenda respectu non intelligitur *B.* [c]) prius *P.* [d]) *statt* exceptis *etc.* littere autem de simplici iusticia annotabuntur *B.* [e]) *fehlt P.* [f]) quelibet *P.* [g]) in exhibita forma *P.* [h]) iusticiam mixtam *B.*

Item deputentur singulis mensibus quatuor ex scriptoribus sufficientes et bene intelligentes, qui decreta seu alia expedienda huiusmodi cum dicto quaterno diligenter auscultent et se suscribant, saltem duo ex ipsis, primitus tamen ab eis recepto iuramento, quod officium huiusmodi fideliter exercebunt etc.

Item avisentur in cancellaria [a] de litteris expediendis, ut abreviatores non plus dent in minuta, quam det signatura.

Item similiter quod scriptores non plus scribant in grossa, quam contineatur in minuta, et si qui delinquentes circa hec reperti fuerint, per cancellariam publice et cum dedecore puniantur pro prima vice et pro secunda vice vel tercia priventur. Et nichilominus si tales littere aliquando in plombo apparerent exhorbitare, non plumbentur, sed remittantur ad cancellariam.

Item iuxta stilum curie Romane quilibet abreviator scribat nomen suum in capite minute.

Item quod quintus denarius de unoquoque scriptore retineatur pro cantoribus et capella concilii per taxatorem, qui singulis mensibus teneatur reddere racionem computatori iurato.

Item quod nullus abreviator scriptor sive registrator audeat quitquam ultra taxam exigere; quod si contrarium repertum fuerit, delinquens pro prima vice restituat duplum et suspendatur per dominum vicecancellarium per tres menses, et pro secunda vice privetur officio.

Item si aliquis falsarius aut baratator probabiliter aut concubinarius vel lusor aut tabernarius vel tabernator fuerit publicus et istud per duos aut plures [b] testes probari possit, intelligatur talis privatus ipso facto, declaracione prehabita per dominum vicecancellarium, nec post admittantur eius littere in cancellaria vel a taxatore seu quocunque alio.

Item quia multum vilescunt littere passus sacri concilii propter earum formam et levem concessionem, nullus deinceps audeat eas expedire, nisi fuerint per sacras deputaciones aut reverendissimos dominos legatum vel vicecancellarium concesse et manu alterius ipsorum signate.

Item quod in talibus litteris passuum non ponatur pena excommunicacionis, nisi pro incorporatis duntaxat.

Item scriptores abreviatores et registratores per civitatem cum vestibus honestis gestuque modesto incedant; quod si contrarium repertum fuerit, puniantur graviter per dominum vicecancellarium et taxatorem per suspensionem ad tempus aut alias plus vel minus iuxta excessus exigenciam, eciam per privacionem in cancellaria faciendam, si fuerit opus.

[a]) dicta cancellaria *B*. [b]) tres *B*.

Item litteras de curia eisdem distributas expedire teneantur sine contradictione; quod si contradixerint aut alias plus debito distulerint, puniantur per dominum ipsum taxatorem. [a]

Sequitur ordo servandus in registro bullarum.

Primo in ipso registro erit unus magister tocius registri ad minus, qui habebit auscultare bene et diligenter bullas cum codicillis registri, ita quod non sit [b] plus in uno quam in alio, et deinde easdem bullas a tergo manu propria signare.

Item erit unus distributor, qui habebit scriptoribus bullas distribuere ad registrandum et habebit unacum aliis scribere, quando poterit, facere rubricas sive repertoria codicillorum et taxas bullarum in uno quaterno annotare.

Item erunt quatuor alii scriptores, qui sunt de presenti per dominum vicecancellarium recepti et iurati.

Item teneantur iidem de registro omnes et singuli vivere honeste, et si contrarium repertum fuerit, prout in regulis scriptorum continetur, secundum exigenciam delicti puniantur per dominum vicecancellarium vel deputandum ab eodem.

Item registrabunt bene et fideliter omnes bullas registrandas, alias vero non registrandas omnes annotabunt sufficienter.

Item de Carolinis decretis et de Corpore Christi, „Exhibita“ [c], „Sua nobus conquestus“, „Ea que de bonis“ et similibus aliis pro annotacione recipient quartam partem taxe bulle.

Pro aliis vero omnibus ad plenum registrandis recipient medietatem taxe bulle.

Item pro quolibet sumpto recipient terciam partem taxe bulle.

Item pro qualibet copia recipient quartam partem taxe bulle.

Item iidem de registro omnes divident inter se equaliter emolumenta omnia et singula ipsius registri, ita quod quilibet ipsorum habeat equalem porcionem, nisi aliquis ipsorum non continuaverit aut debitum suum prout ceteri non fecerit in registro; et [d] tunc illi iuxta arbitrium registratoris et distributoris detur porcio eorundem emolumentorum, prout eciam meruerit.

Item pro capella et cantoribus concilii reddent singulis mensibus racionem de quinto denario sicut scriptores.

Item omnes pene contra scriptores inflicte intelligantur eciam inflicte contra registratores, qui in eisdem delinquerent. Et hec sunt nomina illorum de registro videlicet:

[a]) *hier folgt in B die Liste der Scriptoren wie S. 518.* [b]) sint *P.* [c]) *fehlt P.* [d]) ex *P.*

Episcopus Tiburtinus magister registri, Petrus Raederen distributor Henrricus 'de Erfordia[a)], Lubertus Rosmit, Jacobus Huglin[b)], Petrus Guillioti scriptores[c)]. [1]

Quibus lectis dominus legatus in et super eisdem conclusit.

Die sabbati XXIIII[a] septembris in sacra deputacione pro communibus in materiis decretorum Calcedonensis et Toletani renovandorum necnon indulgenciarum, scrutatis pluribus votis, sed non omnibus, remisse fuerunt materie ad proximam sequentem diem.

Die lune sequenti facte fuerunt exequie et missa solemnes pro domino bone memorie Guillermo duce Bauarie olim sacri concilii protectore.

Die mercurii XXVIII[a] mensis septembris in sacra deputacione pro communibus placuit, quod omnes domini abbates in hoc sacro concilio existentes et qui fuerint in futurum in missis ac aliis divinis, uti possint mitra et aliis pontificalibus ipso sacro durante concilio.

Oblata fuit supplicacio per dominum Ludouicum olim Vensiensem translatum ad ecclesiam Massiliensem, petentem super ea deliberari.

Exadverso dominus Franciscus de Bossis peciit copiam, antequam super ea deliberetur.

Deinde supervenit magister Johannes Spazerii et eidem supplicacioni adhesit, si et quatenus attemptatum fuerit contra sacri concilii decreta.

Super facto indulgenciarum concedendarum pro reductione Grecorum placuit, sicut alias conclusum fuit, quod concedantur huiusmodi indulgencie et decretentur.

Super renovacione decretorum Calcedonensis et Toletani scrutatis votis singulorum dominorum placuit maiori parti, quod renoventur huiusmodi decreta. Et ad conficiendum formas huiusmodi decretorum et aliorum conclusorum fuerunt deputati domini legatus, archiepiscopus Lugdunensis et electus Burgensis et Johannes de Hungaria, qui vocato secum aliquo abreviatore infra tres dies habeant huiusmodi formas expedire, sinautem extunc domini xij vocato secum aliquo abreviatore easdem formas expediant, et postea decretentur.

Super facto surrogacionis iudicis loco domini Radulphi placuit, quod in eius absencia et usque ad regressum suum surrogetur dominus Mattheus Nithardi.

Item placuit quod domini abbates in hoc sacro concilio existentes et qui fuerunt et qui imposterum erunt per unum annum integrum,

[a)] Herfordia *B.* [b)] Huglini *B.* [c)] *fehlt P.*

[1] *Einen Zusatz zu diesen Verordnungen s. in den Beilagen.*

eximantur perpetuo a visitando limina apostolorum, quemadmodum exempti sunt domini episcopi.

Die sabbati prima mensis octobris in sacra deputacione pro communibus in causa ecclesie Massiliensis placuit, quod loco domini prothonotarii de Yspania absentis ab hoc sacro concilio iudicis in causa huiusmodi surrogentur reverendi patres domini Burgensis et Aquensis usque ad regressum domini cardinalis de Cipro cum potestate dicto domino cardinali alias attributa.

Dicta die sabbati prima mensis octobris in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi et de Columpna, duobus patriarchis.

Medio iuramento more solito incorporati fuerunt dominus Andreas prior conventualis de Warthad baccallarius in decretis Morauiensis diocesis, magister Johannes Borchunt in artibus magister rector ecclesie parrochialis de Foresta canonicus in ecclesia collegiata S. Andree in eadem civitate, magister Thomas de Lauerde magister in artibus et baccallarius in decretis canonicus Aberdoniensis secretarius regis Scotorum et magister Johannes de Attolia magister in artibus canonicus et archidiaconus in ecclesia Morauiensi.

Lecte fuerunt littere domini cardinalis S. Petri ad vincula, continentes confirmacionem pacis Ytalie.

Lecte fuerunt littere serenissimi domini imperatoris, per quas petit causam ducatus Saxonie ad tribunal suum remitti.

Similiter lecte fuerunt littere dominorum marchionum Misnensium, concernentes eandem materiam.

Lecte fuerunt littere milicie et opidanorum Treuerensium adherencium domino Ulrico intruso in ecclesia Treuerensi.

Lecta eciam fuit bulla sacri concilii concernens causam ipsius ducatus Saxonie.

Quibus omnibus lectis dominus Symon de Theramo proposuit nomine dictorum dominorum marchionum, petens in effectu, prout petunt littere, causam ipsam remitti ad tribunal imperiale.

Pro alia parte domini prepositus Barduicensis et decanus eius collega pecierunt ipsam causam hic remanere et sibi in hoc sacro concilio iusticiam ministrari.

Deinde dominus Hugo de Spira peciit copiam littere adherencium domino Ulrico nunc lecte sibi dari et in prima generali congregacione audienciam sibi dari; quod placuit.

Postea vero dominus legatus respondit, quod pro pace ipsius ecclesie sunt venturi aliqui ambassiatores, quare visum fuit sibi, quod sacrum

concilium deberet relaxare interdictum in omnibus locis, per que ipsi ambassiatores transibunt, per duos dies post eorum recessum.

In causa ecclesie Aquilegiensis dominus Franciscus de Bossis advocatus peciit fieri relacionem in huiusmodi causa per reverendissimos dominos commissarios in huiusmodi causa datos.

Qua peticione facta reverendissimi domini Lugdunensis et Burgensis in hac materia commissarii dixerunt, quod pro bono pacis videbatur eis adhuc terminum relacionis fiende esse prorogandum usque ad octo dies, et interim speratur indubie adventus domini scolastici Andegauensis, missi Venecias pro pace inter partes tractanda.

Et tunc de consensu dicti domini patriarche placuit, cum protestacione tamen per eundem dominum patriarcham facta, quod per huiusmodi prorogacionem nullum generetur preiudicium conclusioni alias facte de huiusmodi relacione facienda; que protestacio ut alias fuit admissa.

In causa ecclesie Massiliensis dominus Franciscus de Bossis advocatus domini Bartholomei etc. allegavit certas causas et raciones, quare non debeat concludi super supplicacione per dominum Ludouicum ad eandem translatum ecclesiam per tres deputaciones obtenta et per dominos xij concordata, per quam petit, quod constito de assertis privetur dominus Bartholomeus dicto episcopatu seu iure, quod habere pretendit in ecclesia Massiliensi.

Pro alia parte dominus Symon de Valle allegavit causas et raciones, quare debeat concludi, quod et fieri peciit.

Concordata.

Concordant tres deputaciones, quod episcopi et abbates, qui in hoc sacro concilio incorporati fuerunt et erunt per annum integrum, eximantur quoad vixerint a visitacione liminum apostolorum, non obstantibus iuramentis per eos prestitis, quodque super huiusmodi iuramento dispensetur cum eisdem. Item similiter quod abbates, qui fuerunt et sunt in hoc sacro concilio, non habentes insignia pontificalia, possint uti insignibus pontificalibus durante concilio, et hoc in actibus sacri concilii. Quarta vero de reformatorio requisita non deliberavit.

Concordant tres deputaciones, quod loco domini Rodolphi absentis surrogetur dominus prepositus Januensis. Quarta vero de communibus vult dare alterum loco dicti domini Rodulphi.

In facto notariorum et aliorum, qui taxam super eorum salario per concilium ordinatam non servant, concordant omnes deputaciones, quod dominus auditor camere alias deputatus ad puniendum huiusmodi excedentes remaneat iudex in eadem materia, qui puniat castiget et procedat eciam usque ad privacionem officiorum etc.

Super supplicacione domini Massiliensis, petentis quod committatur commissariis in causa huiusmodi recepcio informacionis super violenciis noviter attemptatis, et quod ipsi ante omnia attemptata revocent, et quod eius adversarius citetur hic per edictum affigendum in valvis ecclesie maioris ad procedendum super negocio principali et videndum se declarari atque privari, nisi legitime se excuset, quodque eisdem iudicibus mandetur, quod constito eis de dictis violenciis noviter attemptatis seu alias de dicti adversarii non iure, declarent postulacionem et admissionem de eodem domino Marsiliensi factas fore validas, supplendo deffectus, si qui intervenerint etc., ac quatenus opus sit illas de novo confirment: concordant tres deputaciones, videlicet de pace, de fide et de reformatorio, quod constito de assertis domini commissarii procedant ut petitur, quodque procurator fiscalis pro interesse officii sui procedat contra prefatum Bartholomeum et alios culpabiles in premissis. De communibus requisita non deliberavit.

Super supplicacione capituli Coloniensis, petentis quod certa commissio pro domino H[enrico] Clant obtenta, in qua petitur arrestum et sequestrum contra clerum ad compescendas et omnes causas in concilio pendentes inter eum et capitulum predictum suspendendum, expedita in deputacionibus per verbum placet, reformetur secundum formam iuris, ita quod capitulum predictum contra iuris communis disposicionem non ledatur, — due deputaciones, videlicet de fide et de reformatorio commiserunt reverendissimo domino Arelatensi cum precognitoribus, et deputacio de communibus ad consistorium —: concordant domini de xij, quod remittatur reverendissimo domino Arelatensi cum precognitoribus, consistorialiter licet. Quarta de pace semel requisita super hoc non deliberavit.

Super supplicacione fratris Gregorii de Pino monachi ordinis S. Benedicti, petentis secum dispensari super quadam irregularitate per eum contracta et rehabilitari etc. auctoritate sacri concilii, concordant tres deputaciones, videlicet de pace et de fide et de reformatorio, quod admittatur presens supplicacio ut petitur. Quarta vero, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Super supplicacione Petri Militis presbiteri Morinensis diocesis, petentis secum dispensari super quodam homicidio per eum casualiter et in deffensione sui corporis perpetrato ac eciam rehabilitari etc., concordant tres deputaciones, videlicet de pace, de fide et de communibus, quod committatur reverendissimo domino legato, qui absolvat supplicantem ut petitur. Quarta, videlicet de reformatorio, commisit domino legato et domino Roberto archidiacono Lismorensi, qui constito de assertis in supplicacione supplicantem absolvant ut petitur cum potestate committendi in partibus, si narrata hic doceri non possint.

In causa ecclesie Marsiliensis concordant tres deputaciones, quod loco domini prothonotarii de Ispania surrogati in iudicem loco domini cardinalis de Cipro surrogentur domini Burgensis et Aquensis episcopi usque ad regressum dicti domini cardinalis cum simili potestate eisdem dominis cardinalibus et prothonotario attributa. Quarta vero de reformatorio solum dedit dominum Burgensem.

Lectis huiusmodi concordatis dominorum xij reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii more solito iuxta huiusmodi concordata et deliberaciones sacrarum deputacionum more solito conclusit.

Qua facta conclusione magister Johannes Leodegarii procurator magistri Bartholomei dixit se non consentire huiusmodi conclusioni, quia tollit ius quesitum parti sue.

Dominus Franciscus de Bossis eciam eiusdem domini Bartholomei advocatus protestatus fuit de nullitate conclusionis, quia facta fuit, ut asserebat, contra ordinaciones sacri concilii.

Die dominica secunda mensis octobris fuit missa solemnis.

Die lune III[a] mensis octobris in sacra deputacione pro communibus pro presidente deputacionis electus fuit dominus abbas de Chereto.

Pro dominis xij continuatus fuit dominus prothonotarius et electi de novo dominus Lausanensis episcopus et dominus Johannes de Hungaria.

Pro custode clavis bulle deputatus fuit dominus Thomas Francisci magister in theologia, qui iuravit in forma.

Super avisamento dominorum xij[cim] de iudicibus eligendis placuit, quod domini Lubicensis Lugdunensis Burgensis Lausanensis, abbas de Chereto, Thomas Francisci et viceauditor camere habeant eligere novos iudices, aut modernos vel aliquos ex eis, prout eis visum fuerit, continuare.

Lecta supplicacione per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum H[ugonem] archiepiscopum Rothomagensem porrecta, et attenta relacione in generali congregacione per venerabiles dominum Johannem de Hungaria et magistrum Matheum Mainage ambassiatores sacri concilii nuper ad sanctissimum dominum nostrum papam missos de et super denegacione pallii dicto domino archiepiscopo conferendi in Romana curia facta: placuit quod committatur et commissum fuit reverendissimo in Christo patri et domino domino archiepiscopo Lugdunensi Galliarum primati, ut de contentis in dicta supplicacione summarie etc. se informet, et si per informacionem huiusmodi de assertis in ipsa supplicacione sibi constiterit, eundem dominum archiepiscopum Rothomagensem absolvat, secum dispenset ac habilitet, pallium conferat et assignet ac alia faciat, prout in eadem supplicacione continetur. Si vero

dictus dominus archiepiscopus Rothomagensis de vacancia, ut narrat, ad plenum non satisfecerit, componat cum eodem domino archiepiscopo Lugdunensi ad opus Grecorum.

Item placuit quod intimetur reverendo patri domino episcopo Auximano collectori apostolico ab hoc sacro concilio recedere volenti, ut si sua putaverit interesse, compareat coram dicto domino archiepiscopo Lugdunensi, dicturus et allegaturus causam, quare premissa fieri minime debeant.

Die mercurii V^{ta} mensis octobris in sacra deputacione pro communibus super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati de danda cras vel die iovis vj^{a} mensis huius octobris audiencia dominis ambassiatoribus serenissimi domini imperatoris, placuit huiusmodi avisamentum in forma.

Placuit sacre deputacioni de communibus, quod reverendissimus dominus cardinalis Rothomagensis habeat licenciam pro parte sua petitam recedendi et ad Florenciam transeundi.

Domini continuarunt vota sua super numero et qualitate dominorum cardinalium, et remissa fuerunt vota ad dominos deputatos, qui videant examinent huiusmodi vota et secundum addiciones de ambabus formis concipiant formam, que postea decretetur.

Die iovis VI^{a} mensis octobris M^{o}iiij^{c}xxxv^{o} in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus sibi dominis cardinalibus Arelatensi et de Columpna, duobus patriarchis et episcopo Paduano.

Domini episcopus Segniensis et Nicolaus Tok decretorum doctor decanus Vratislauiensis ambassiatores serenissimi domini imperatoris ad congrecacionem venientes litteras imperiales credenciales in eorum personis presentarunt.

Quibus lectis credenciam exposuerunt per organum dicti domini episcopi. Primo reverenciam debitam presentavit, rogans et deprecans ex parte eiusdem, ut votum sacri concilii et oculus respicere dignetur ad suam imperialem maiesatem.

Narravit deinde ea que sua serenitas pro ecclesia et fide catholica fecerit, tam in expugnando inimicos fidei, quam in extirpando inveteratum [a] scisma, pro quo [b] extirpando quot labores subiit.

Insuper narravit quot labores subiit pro stabilitate huius sacri concilii et unione inter dominum nostrum papam per adhesionem habita, exhortans ut eandem unionem sacrum concilium conservare velit. Ex-

[a]) invetancium *auf Rasur P.* [b]) ijo *P.*

hortatus est insuper invigilare circa reductionem Bohemorum et alia sancta opera, ad que sacrum concilium convenit.

Epilogavit postmodum ea que inter ambassiatores sacri concilii et incliti regni Bohemorum coram sua maiestate facta fuerant.

Narravit preterea congregacionem generalem in regno Bohemie convenisse super compactatis alias inter sacri concilii et suos oratores habitis confirmandas.

Et quia difficultas est inter ambassiatores Bohemorum et ambassiatores sacri concilii super uno articulo, in quo continetur quod bona ecclesiastica ab aliis usurpari non possunt, quem ambassiatores sacri concilii sic ponunt, ambassiatores vero Bohemorum volunt, quod ponatur „ab aliis iniuste detineri non possunt“: hortabatur quod propter huiusmodi differenciam, salva tamen veritate fidei, [non] differatur pax unio et reductio ipsorum Bohemorum, enarrans bona propter huiusmodi unionem et reductionem profutura. Quod si unio secuta fuerit, sacra synodus gloriam maximam consequetur.

Quodsi propter concessionem huiusmodi verbi rumpatur pax et reductio, narravit quot mala sequentur.

Hec pro presenti dixit ex parte cesaree maiestatis. Cetera suo tempore referet suus collega dominus N[icolaus] Stok decanus Vratislauiensis.

Qui dominus Nicolaus statim laudavit proposicionem per dominum episcopum suum collegam factam, rogans, prout exhortatus fuit idem dominus episcopus, humilime ex parte serenissimi domini imperatoris, quod differencia istorum verborum superius enarratorum non variet compactata habita inter prefatos oratores sacri concilii et Bohemorum; offerendo personam et bona cesaree maiestatis sacro concilio etc.

Cetera vero eis iniuncta et a supradictis aliena suis loco et tempore referent, prout eis iniuncta existunt.

Reverendissimus pater dominus legatus hiis propositis omnia supra proposita recitando respondit, quod super peticione eorundem iuxta morem sacri concilii sacre deputaciones deliberabunt. Et ut sacre deputaciones maturius deliberare possint, rogavit ut in scriptis suam proposicionem exhibeant; offerendo eciam serenissimo imperatori queque grata et beneplacita ex parte sacri concilii.

Super aliis proponendis per eos, quandocunque placuerit eisdem, sacrum concilium vel in deputacionibus vel in generali congregacione paratum est dare audienciam.

Dominus episcopus Segniensis super peticione de danda sua proposicione in scriptis peciit eos haberi excusatos, dabunt tamen libenter differenciam verborum.

Die veneris VII[a] mensis octobris M°iiij°xxxv° in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus Tarentino et Paduano et Arelatensi, de Columpna cardinalibus et duobus patriarchis, dominis Segniensi ambassiatore domini imperatoris, Lugdunensi Bituricensi Conchensi Dignensi Maclouiensi Pergamensi Niuernensi Petragoricensi Lausanensi Marsiliensi et Gurcensi.

Lecta fuit pars littere cuiusdam misse presidentibus domini nostri pape, per quas scribitur eisdem, quod admirantur, sicut et ipsi et sacrum concilium admirati fuerant, quod nuncius portans instructiones domini nostri pape super responsione fienda per oratores domini nostri sacro concilio super petitis per oratores sacri concilii a sanctissimo domino nostro[a)]; quare dicebatur in eadem littera, quod concilium non debebat egre ferre, quoniam alias idem nuncius semper fuit fidelissimus; et idcirco alius nuncius mittebatur easdem instructiones deferens.

Deinde dominus Antonius de S. Vito in scriptis fecit responsiones ad singula per eos petita, prout in responsionibus datis.[1]

Et primo super primo, quod sanctissimus dominus noster inter omnes res reductionem Grecorum affectat, narrando labores per eundem dominum nostrum circa hoc habitos. Gaudet quod dominis de sacro concilio videtur esse levis.

Super secundo de indulgenciis modus videtur difficilis, nec habetur certitudo de adventu Grecorum. Eciam, si suspenderentur alie iudulgencie, regnum Cipri et insula Cipri detrimentum patere[n]tur, que sunt propugnaculum fidei. Et idcirco habita certitudine de adventu Grecorum eorundem [dominus noster paratum se offert] concurrere cum sacro concilio.

Super iij° paratus est cardinales et alios dominos mittere, et si possibile sit, personaliter interesse, si locus eligatur, in quo possit interesse.

Et hoc super petitis per dominum Matheum Maignage.

Super peticione vero per dominum Johannem de Hungaria respondit:

Et primo semper quantum potuit observavit decreta huius sacri concilii, et si in aliquibus particularibus aliquid quod videatur contrarium fecerit, hoc causis racionabilibus, si bene inspiciantur, suadentibus fecit.

Super articulo de causis, quod non intendit dominus noster scandalum facere[b)], si causas veniencium ad curiam recipit.

Quo ad scriptores et abreviatores, fuisse exceptos a monicione omnes tunc sacro concilio incorporatos.

[a)] *fehlt das Prädikat P, etwa* non advenit. [b)] faciat *P.*

[1] *Mansi 29, 460. M. C. 2, 816.*

Quo ad decretum de annatis nemo debet ammirari, si in tam grandi materia insciis domino nostro et dominis cardinalibus conclusum fuerit, dominus noster et ipsi domini cardinales admiracionem suscipiant et provisionem petant.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus dixit, quod sacrum concilium habet excusatum sanctissimum dominum nostrum, quod per eum non stetit quominus huiusmodi instructiones devenissent ad sacrum concilium. Et tandem peciit, quod ipsi darent huiusmodi relacionem per eos nunc factam in scriptis, ut possit cras in deputacionibus poni. Qui obtulerunt se eas daturos dicto domino legato hodie hora bona.

Deinde magister Hugo de Spira procurator reverendissimi domini Rabani archiepiscopi Treuerensis respondit litteris nuper pro parte adherencium domino Ulrico intruso in ecclesia Treuerensi in generali congregacione lectis, petens conclusive per sacrum concilium scribi eisdem adherentibus, ut mandatis apostolicis et sacri concilii obediant et eundem dominum Rabanum archiepiscopum recipiant etc.; quodque sacrum concilium habeat famam et personam eiusdem recommissas; et citacionem alias petitam sibi decerni et ad partes transmitti.

In causa Aquilegiensi dominus Franciscus de Bossis advocatus peciit, quod ex quo dominus scolasticus missus Venecias non rediit, quod in hac causa ipsi domini deputati faciant relacionem.

Dominus Symon de Theramo replicavit, quod domini ambassiatores Venetorum nunquam fugerunt huiusmodi relacionem, sed quesierunt ipsam accelerare, dumtamen audiantur per dominos deputatos commissarios et alios peritos [a], quos ad se duxerint evocandos.

Et tandem de consensu reverendissimi domini patriarche terminus fuit prorogatus ad diem veneris proximam cum protestacione, quod sine preiudicio conclusionis alias in hac materia capte, quam protestacionem dominus cardinalis legatus nomine sacre congregacionis admisit.

Concordata.

Super supplicacione domini episcopi Marsiliensis, petentis quod coram uno commissariorum in sua causa servari possint termini usque ad sententiam exclusive, concordant tres deputaciones, quod admittatur supplicacio ut petitur. Quarta autem, videlicet de communibus, requisita non deliberavit.

Lecto concordato retroscripto dominus cardinalis legatus conclusit ut est moris.

Magister Symon de Bergeriis pro et nomine reverendissimi domini archiepiscopi Rothomagensis peciit concludi super facto dicti domini archiepiscopi concernente pallium.

[a]) *so P.*

Reverendissimus dominus Tarentinus peciit in conclusione super hac materia supersederi, quousque ipsi scripserint sanctissimo domino nostro, quoniam offerunt se scripturos per nuncium proprium et celerrime et sperant talia reportare, quod dominus Rothomagensis debebit merito contentari.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus rogavit supersederi, promittens quod si infra unum mensem non habuerit responsum votivum, tunc et immediate, eciam si non peteretur, concludet.

Die sabbati VIII[a] mensis octobris in deputacione pro communibus lecta forma iuramenti per reverendissimos dominos cardinales in eorum assumpcione prestandi, scrutatis votis singulorum dominorum, placuit maiori parti huiusmodi forma, hoc addito, quod huiusmodi iuramentum extendatur ad presentes cardinales.

Lecte fuerunt littere pacis inter christianissimum dominum regem Francie et illustrissimum dominum ducem Burgundie.[1]

Quibus lectis ad regraciandum Altissimo de felicissimis novis pacis placuit, quod cras in festo S. Dionisii Francorum apostoli celebretur missa solemnis in maiori ecclesia Basiliensi, in qua domini prelati cum mittris et pluvialibus ceterique domini de sacro concilio interesse dignetur. Et rogat hec sacra deputacio dominum cardinalem Arelatensem, ut missam huiusmodi celebrare dignetur.

Item dignentur domini prelati doctores et magistri cras hora iij[a] post meridiem convenire in refectorio conventus fratrum Minorum ad videndum et audiendum formam sentencie in facto Augustini de Roma per dominos ad hoc deputatos concorditer conceptam.

Super primo avisamento reverendissimi domini cardinalis legati super expedicione ambassiatorum serenissimi domini imperatoris super negocio quod pridie proposuerunt, placuit quod deputentur aliqui de prestancioribus sacri concilii, qui hodie hora iij[a] post meridiem conveniant in S. Francisco ad colloquendum super huiusmodi materia. Et pro hac sacra deputacione deputati fuerunt reverendissimi domini legatus Lugdunensis Lubicensis Burgensis Niuernensis, Johannes Pulcripatris, provincialis Lombardie, vicedominus Monasteriensis, scolasticus Lubicensis et decanus beate Marie ad gradus Coloniensis, cum quibus vocentur domini ambassiatores sacri concilii alias missi pro facto Bohemorum hic presentes.

Super secundo avisamento de dando potestatem eisdem dominis deputatis, quod[a)] possint providere super novitatibus que venerunt ex

[a)] qui *P.*

[1] *Friede von Arras, 1435 September 21. Cosneau, Les grands traités de la guerre de Cent Ans (1889) p. 119 und sonst.*

Polonia, placuit huiusmodi avisamentum. Et ad hoc deputati fuerunt domini supradicti.

Super iij° avisamento de litteris, que heri venerunt ad reverendissimum dominum legatum, missis per dominum Walramum et dominum abbatem de Mulbruno, qui narrant magnam guerram esse in patria Herbipolensi et quod multa pericula imminent, nisi provideatur celerrime, quod dignentur sacre deputaciones providere et committere dictis dominis vel aliis potestatem plenissimam sub quibuscunque penis, eciam privacionis, monendi tam dominum episcopum Herbipolensem quam suum coadiutorem et alios, quod desistant a via facti etc.: placuit huiusmodi avisamentum. Et ad premissa deputati fuerunt domini supranominati, adiuncto eisdem domino Alberto canonico eiusdem ecclesie.

Eadem die reverendissimus dominus cardinalis obtulit in scriptis responsionem per dominos oratores domini nostri pape heri in congregacione lectam et quam promiserant se heri sibi daturos bona hora etc., que incipit „Nuncii et oratores.“ [1]

Die dominica nona mensis octobris in festo S. Dionisii Francorum apostoli ad regraciandum Altissimo pro pace inclitissimi ac christianissimi regni Francie facta fuit processio generalis solempnis celebrataque missa solemnis in ecclesia maiori Basiliensi per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum cardinalem Arelatensem de Spiritu Sancto, assistensibus et presentibus in eadem XLij^bus^ dominis prelatis in pluvialibus et mitris; fecitque sermonem solempnem et notabilem venerabilis magister Guido de Versellis sub theumate „Ascendit Jhesus in naviculam“ etc. [2] Finita quoque missa decantatus fuit hympnus „Te Deum laudamus“. Quo finito reverendissimus pater dominus archiepiscopus Lugdunensis Galliarum primas necnon christianissimi principis et domini nostri domini Karoli Francorum regis ambassiatorum primus vice et nomine tocius inclite nacionis Gallicane regraciatus est sacrosancte generali synodo necnon sancte sedi apostolice de laboribus diligenciis et penis per eorum ambassiatores habitis circa factum pacis desideratissime ipsius inclitissimi regni, per quorum media et diligencias ipsa desideratissima pax consequta est, necnon de honore eidem inclite nacioni in hac presenti solempnitate impenso. Quibus peractis venerabiles promotores huius sacri concilii pecierunt et requisiverunt reverendum patrem dominum Oddonem de Varris sancte sedis apostolice prothonotarium et nos notarios huius sacri concilii, quatenus premissa in actis huius sacri concilii redigeremus ac sibi et aliis habere volentibus unum et plura conficeremus instrumenta.

[1] *vgl. oben S. 535.* [2] *Luc. 8, 22?*

Item est notandum quod ambassiatores regis Anglie nec in missa nec in processione interfuerunt, quinymo omnibus de obediencia sua prohibuerunt, ut dicitur, ne in eisdem interessent sub gravibus penis, quod eciam constare potest, quoniam nulli de ipsa obediencia eisdem missis et processioni interfuere.

Die lune X[a] mensis octobris in sacra deputacione pro communibus.

Super supplicacione domini Gasparis de Perusio sacri concilii advocati et Bonusii[a)] eius fratris, petencium committi dominis Arelatensi cardinali et precognitoribus, ut litteras rogatorias et recommissorias auctoritate sacri concilii fieri faciant et expediant ad aliquos dominos pro execucione executorie sub bulla sacri concilii ipsis concesse etc.: placuit huiusmodi supplicacio in forma.

Super supplicacione magistri Rogerii Sohierii notarii sacri concilii etc., petentis committi alicui prelato vel alteri in sacro concilio residenti, ut super gracia expectativa sibi concessa processus neccessarios decernat, non obstante quod per bullam committatur officiali Auinionensi: placuit et admissa fuit huiusmodi supplicacio in forma.

Lecta forma sentencie composite in facto libelli Augustini de Roma et scrutatis votis singulorum dominorum, placuit maiori parti dominorum huiusmodi forma, et quod ad publicandum huiusmodi sentenciam sabbati proxime futura celebretur sessio publica.

Die mercurii XII[a] mensis octobris in sacra deputacione pro communibus super avisamento dominorum de xij concernente convocacionem nonnullorum dominorum cardinalium et nonnullorum dominorum archiepiscoporum et episcoporum, petencium quod de singulis deputacionibus et nacionibus eligatur unus, qui auctoritate sacri concilii habeant plenam et omnimodam potestatem vocandi nonnullos dominos tam cardinales quam alios dominos archiepiscopos et episcopos et alios, de quibus eis videbitur pro honore et utilitate huius sacri concilii expedire, cum potestate eciam procedendi contra et adversus eos, qui occasione sacri concilii subsidia receperunt et non venerunt nec miserunt: placuit avisamentum in forma. Et pro hac sacra deputacione de communibus et nacione Germanica nominatus fuit reverendissimus dominus patriarcha Aquilegiensis.

Cum potestate quod si non omnes possint in huiusmodi negocio vacare, unus duo aut tres ex ipsis, aliis vel alio absente, ad instanciam promotorum sacri concilii possint seu possit procedere, necnon eciam monendi omnes et singulos, qui subsidia occasione concilii receperunt,

[a)] Bonisui *P.*

ut veniant vel mittant racionem et reliqua reddituri de huiusmodi subsidiis per eos ut premittitur receptis.

Lectis aliquibus addicionibus factis in forma sentencie libelli Augustini de Roma placuit et fuit conclusum, quod domini in hac materia deputati huiusmodi addiciones videant aptent et concludant in et super huiusmodi forma, ut sabbati possit in sessione publica publicari huiusmodi sentencia, et comburatur.

Die veneris XIIII[a] octobris millesimo CCCC[o]xxxv[o] in generali congregacione, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, astantibus dominis cardinalibus Arelatensi et de Columpna et duobus patriarchis, Lugdunensi et Mediolanensi archiepiscopis, Burgensi Dignensi Glasguensi Niuernensi Lectorensi Ebroicensi etc., presentibus G[uillermo] Gronnieti et Guillermo Bloc, Johanne Pulcripatris.

More solito fuerunt incorporati dominus Adam de Gordon baccallarius in decretis Dunkeldensis et Morauiensis ecclesiarum canonicus vicarius perpetuus ecclesie parrochialis de Craumone dicte diocesis Dunkeldensis, dominus Johannes de Estalone baccallarius in decretis sacrista ecclesie Diensis et canonicus Valentinensis et S. Bernardi de Romanis, frater Yuo Hueti ordinis Minorum de observancia Venetensis conventus Lauallisguidonis Cenomanensis diocesis, dominus Johannes Hamonis presbiter magister in artibus et licenciatus in decretis rector ecclesie parrochialis de Pleubauale Corisopitensis diocesis, dominus Bernardus Darslay de Stizaloen archidiaconus in ecclesia collegiata Sendomeriensi presbiter magister in artibus et canonicus Primisliensis, dominus Johannes Jobaudi presbiter rector parrochialis ecclesie de Varenna Maclouiensis diocesis, dominus Amedeus de Castillione sacrista Nantuaci baccallarius in decretis, frater Johannes Vitten prior monasterii S. Egidii in Brunswic ordinis S. Benedicti Halberstadensis diocesis.

Concordata.

Concordant tres deputaciones quod indulgencie super facto Grecorum concedantur, sicut alias fuit conclusum, et decretentur. iiij[ta] vero de reformatorio dedit deputatos ad videndum de forma et referendum, et non retulerunt, nec ipsa, licet requisita, deliberavit.

Concordant omnes deputaciones, quod placet materia et forma sentencie composite in materia condempnacionis libri Augustini de Roma et quod comburatur liber et omnes libri deffensorii et similes ipsius libri, et mandetur omnibus ordinariis, quod diligenter inquirant tam in exemptos quam non exemptos et mandent sub pena excommunicacionis eos ipsis tradi, ut omnes libri comburantur. Et si que sint addiciones addende, addantur etc. Quarta de fide non concludit, quod liber debeat comburi.

Super supplicacione Rogierii Sohier etc. concordant tres deputaciones, quod committatur priori de Latis, qui decernat procedat ut petitur.

Super supplicacione domini archiepiscopi Rothomagensis, petentis pallium etc., concordant omnes deputaciones iuxta avisamentum dominorum de pace, excepto quod non consentit presidentes pape citari, sed alie consenserunt.

Super supplicacione domini Gasparis de Perusio et Bonucii fratris sui, petencium per concilium eisdem concedi litteras favorabiles in partibus etc., concordant omnes deputaciones, quod committatur domino Arelatensi et precognitoribus, qui dictas litteras recommissivas conficiant et expediant ut petitur.

Concordant omnes deputaciones, quod die crastina fiat sessio, in qua decretetur forma dicte sentencie fratris Augustini et comburatur, excepta deputacione pacis, que[a)] de die sessionis non deliberavit.

Lecta fuit forma dicte sentencie, que placuit.

Lectis concordatis dominorum xij suprascriptis, exceptis de indulgenciis, dominus legatus conclusit etc., exceptis eciam quod se opponebant dacioni absolucionis domini Rothomagensis nisi solutis primitus hiis, ad que obligabatur camere, de pallio vero non contradixerunt, domini presidentes. Et tamen dominus legatus conclusit etc., quia dixerunt dacioni huic consentire.

Lecte fuerunt littere ducis Bauarie infrascripte, post cuius lecturam dominus legatus peciit et obtinuit, quod ex parte concilii scribantur ad principes Bauarie littere recommissorie pro genere domini ducis protectoris nuper deffuncti.

Tenor dictarum litterarum sequitur et est talis.

Reverendissimis reverendisque in Christo patribus et dominis sacrosancte Basiliensi generali synodo in Spiritu Sancto congregate, dominis et amicis nostris benignissimis.

Reverendissimi reverendique in Christo patres in sacrosancto Basiliensi concilio congregati in Spiritu Sancto, obedienciam paratam cum condigna reverencia et honore. Amici nostri in domino carissimi! Transactorum curricula temporum evidenter ostendunt, quibus affectibus quantisque sancte matris ecclesie filios pertractastis favoribus et quam plurimos dulcissimis veritatis refecistis poculis. Nichilominus vite sanctitate et operum claritate bonorum innumeros populos planis in via iusticie direxistis passibus, paratissimos denique exibentes, ut et cunctis oneratis pane consolacionis egentibus escam sui temporis ut sagaces patresfamilias [et] dispensatores prebeatis, ut iam non sit locus, ubi vestro-

[a)] qui *P.*

rum operum non resplendeat exemplum[a)] bonorum, laus Domini amplietur omnipotentis, insuper et actio merito refundatur graciarum. Hinc est quod ad dignissimas paternitates vestras specialissime dirigimus recursum, cum cordis amaritudine insinuantes, illustrem principem et dominum dominum Willermum comitem Palatinum Reni Bauarie ducem etc. germanum nostrum dilectissimum divina volente clemencia, christiana tamen sacramentorum provisione et devota preme xij[a] die mensis septembris diem suum clausisse extremum. Quem utique inter ceteros ecclesie filios variis dottastis beneficiis, dilectione et familiaritate pre ceteris honorastis principibus, quem[b)] et sacrosancti Basiliensis concilii fidelem novistis protectorem frequenciorem obsequiis et ad universalis ecclesie reformacionem summo opere anhelantem. Ob quam rem cum fiducia paternitatibus vestris antedictis obnixe supplicantes, ut eidem, quem plus ceteris dilexistis viventem, volueritis et mortuo salubrioribus de vestra benignitate apud Deum subvenire remediis, commendantes et nosmet ipsos eisdem paternitatibus vestris dignissimis, quas Deus gloriosus in sua conservare dignetur gracia per futura secula in evum. Datum Monachi xxvj[a] mensis septembris anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quinto.

Subscripcio: Sancte matris ecclesie humilis et fidelis servitor Ernestus Dei gracia comes Palatinus Reni et dux Bauarie etc.

Lectis huiusmodi litteris, dominus scolasticus Andegauensis de gestis per eum in ambassiata ad Venetos suam fecit relacionem.

Qua relacione facta eidem per concilium more solito fuit regraciatum etc.

Die sabbati XV[a] octobris M[o]iiij[c]xxxv[o] in ecclesia maiori Basiliensi fuit celebrata sessio vicesimasecunda, in qua interfuerunt xl[ta] duo prelati cum mittris et pluvialibus, et celebravit missam dominus Niuernensis, et fuit euvangelium secundum Johannem „Jam die festo mediante ascendit Jhesus in templum“ etc.[1] Decantatis letaniis et aliis solemnibus in talibus assuetis, dominus Lectorensis ascendit ambonem etc. et publicavit decretum cassacionis et condempnacionis libri Augustini de Roma. Sed antequam huiusmodi decretum publicasset, dominus episcopus Dignensis ascendit ambonem et fecit certam collacionem sub theumate „Pulcra est amica mea, oculi columbarum“ etc.[2] Qua collacione facta et publicato huiusmodi decreto, ut premittitur, promotores et precipue magister Johannes Cothecirее promotor fidei pecierunt redigi huiusmodi decretum apud acta concilii ad perpetuam rei memoriam.[3] Deinde Johannes Dieulefist invo-

a) exc̄arum *P.* b) principibusque *P.*

1 *Joh. 7, 14.* 2 *Cant. 4, 1.* 3 Mansi 29, 108. M. C. 2, 830.

cavit testes, presentibus Jordano Morini, Johanne Pulcripatris et G[uillermo] Bloc etc. [a)]

Die veneris XXI[a] octobris millesimo quadringentesimo tricesimo quinto in generali congregacione, presidentibus in eadem reverendissimis dominis cardinali legato Tarentino Paduano, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi et de Columpna, patriarchis Anthioceno et Aquilegiensi, Lubicensi Lugdunensi, Thoma Fiene et Egidio Caniueti.

Incorporati fuerunt domini Johannes Ewioz baccallarius in decretis thesaurarius ecclesie Fornensis in Anglia, dominus Alfonsus Lupi de Heredia baccallarius in decretis canonicus ecclesie Conchensis et Raymundus Taloni pro et nomine magistri Guillermi de Lira.

Lecte fuerunt littere domini de Rosembergh et littere vicariorum archiepiscopatus Pragensis credenciales in personam abbatis cuiusdam ordinis S. Benedicti, qui retulit conflictus factos contra illos de civitate Thabor, in quo conflictu succubuerunt viij[c] heretici.

Dominus auditor domini legati exhortatus est dominos de sacro concilio, ut dignentur providere domino de Rozembergh de aliquo subsidio.

Dominus legatus dixit, quod dabuntur deputati, qui providebunt super peticione predicta.

Lecte fuerunt littere domini Rabani archiepiscopi Treuerensis.

Lecte fuerunt littere domini ducis Burgundie in favorem domini electi Maclouiensis.

Lectum fuit instrumentum, per quod dominus dux Britanie fatetur favorizare domino promoto Maclouiensi. De cuius instrumenti lectura magister Thomas Roden peciit instrumentum.

Placuit quod honorentur domini episcopus Vexionensis et dominus archidiaconus Metensis ambassiatores concilii venturi hora iij[a] post prandium.

Dominus N[icolaus] Stoch alter ambassiatorum serenissimi domini imperatoris nomine ambassiatorio peciit remitti causam concernentem duces Saxonie ad tribunal imperiale.

Item quod sacrum concilium dimittat causam illorum de Fribergh per tribunal imperiale decidi.

Dominus Gaspar de Perusio proposuit causas, propter quas huiusmodi causa minime debet remitti.

Concordata.

Super avisamento dominorum de xij[cim], quod est tale: „Attento, patres reverendissimi, quod supposita sacri concilii dietim plus et plus diminuuntur et nonnullis eciam parva subexistente causa multum de

[a)] *hierauf 2½ Seiten leer P. Die Deputationsprotokolle der nächsten Woche fehlen also sämtlich.*

facili licencia recedendi conceditur, et timendum foret in hunc finem, ut tandem presens sacrum concilium [n]ulla aut pauca premissa reformacione ac aliis ad plenum completis, propter[a)] que sacrum concilium congregatum extitit, facilius possit aut valeat dissolvi aut ad alium locum mutari eiusque decreta iam promulgata possint impugnari et in nichilum redigi: videtur dominis de xij quod iuxta deliberacionem sacre deputacionis de pace de singulis deputacionibus eligantur aliqui pauci, qui auctoritate sacri concilii habeant plenam et omnimodam potestatem vocandi nonnullos reverendissimos dominos cardinales aliosque reverendissimos et reverendos patres archiepiscopos et episcopos ac alios, de quibus eis videbitur pro honore et utilitate huius sacri concilii expedire cum potestate eciam procedendi contra et adversus eos, qui occasione concilii subsidia receperunt et non venerunt nec miserunt ut debuerunt, ac contra eos, qui venire sine legitima causa recusaverunt aut personas insignes et honorabiles loco eorum destinare renuerunt; quorum potestas duret donec vestris paternitatibus videbitur expedire; quoniam et si potestas tradita inantea dinoscatur, tamen usque in hunc diem paucissimi aut nulli processus contra rebelles promulgati extiterunt; considerato maxime quod utilimum foret, ut propter provisionem fiendam copiosa intersit multitudo prelatorum“, — concordant tres deputaciones cum ipso avisamento et quod domini deputati habeant potestatem, quod si non omnes simul in huiusmodi negocio possint vacare, unus insolidum duo aut tres ex eis alio vel aliis absentibus ad instanciam promotorum sacri concilii possit vel possint procedere necnon eciam monere omnes et singulos, qui subsidia occasione concilii receperunt, ut veniant vel mittant, racionem et reliqua reddituri de huiusmodi subsidiis per eos ut premittitur receptis. Et fuerunt deputati reverendissimi ac reverendi in Christo patres domini cardinalis Arelatensis pro deputacione fidei cum potestate substituendi, patriarcha Aquilegiensis pro deputacione de communibus, pro deputacione pacis abbas de Castione. Quarta, videlicet de reformatorio, nundum aliquem deputavit.

Concordant tres deputaciones, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus habeat facultatem eligendi aliquos notabiles viros, qui debeant transire ad dietam die dominica proxima in loco de Brisaco pro securitate viarum tenendam et instructiones desuper neccessarias conficiendi. Quarta, videlicet de reformatorio, requisita per promotorem non deliberavit.

Concordant tres deputaciones, ut liberius vacari possit reformacioni, quod prorogetur terminus facultatis date alias reverendissimis dominis cardinalibus legato et Arelatensi necnon precognitoribus de signandis supplicacionibus usque ad unum alium mensem in forma eis alias concessa.

[a)] inter *P.*

Quarta, videlicet de reformatorio, requisita per promotorem non deliberavit.

Concordant omnes deputaciones, quod super facto ecclesie Herbipolensis, quia deputati deliberaverunt, quod sacrum concilium mandet sub gravibus penis episcopo et coadiutori, ut desistant ab omni via facti et veniant huc, et nobilibus quod non intromittant se nec dent auxilium seu favorem alicui parcium.[a)]

Concordant omnes deputaciones, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus generali ordinis S. Guillermi in Alamania concedat facultatem, quam solitus est dare hiis qui missi sunt ad reformandum ordinem S. Benedicti et canonicorum regularium, super reformacione ipsius ordinis S. Guillermi. Illa autem de fide deputavit secum dominos abbatem Bone Vallis et Johannem Polomar auditorem.

Super supplicacione reverendi patris domini Johannis Gabilonis episcopi Lingonensis contra dominos Anthonium de Moneriis et Philippum de Vienna priorem monasterii S. Marcelli Cabilonensis diocesis ordinis Cluniacensis, petentis committi reverendo in Christo patri domino episcopo Lubicensi uni ex iudicibus, ut sentencias diffinitivas et adiudicatorias pro eo contra predictos per reverendissimum dominum cardinalem Arelatensem et reverendos in Christo patres dominos Lubicensem prefatum et Auximanum episcopos auctoritate huius sacri concilii super episcopatu et ecclesia Lingonensi latas, que nulla appellacione suspense in rem transiverunt iudicatam, auctoritate ipsius sacri concilii exequatur[b)] litterasque executoriales sub censuris ecclesiasticis, eciam per edictum, cum invocacione brachii secularis etc. simul et unico contextu sub sacri concilii et suis sigillis decernat: concordant omnes sacre deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio ut petitur.

Super supplicacione domini Petri Militis pauperis presbiteri diocesis Morinensis, exponentis se bis propter contumaciam, quia quandam Johannam Bucs de quadam prole procreatam et Johanne de la Waert eius consanguineo in secundo gradu consanguinitatis procreata[a)] in puerperio in quadam capella sita in parrochiali ecclesia de Elmeidunghe sine litteris curie Morinensis purificavit, et quia quendam laicum se defendendo in duobus digitis unius manus mutilavit, auctoritate domini officialis Morinensis excommunicatum, a quo officiali non potuit consequi absolucionem, petentis per hoc sacrum concilium misericorditer de remedio provideri opportuno, cum habeat pacem cum dicto mutilato: concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui absolvat supplicantem ut petitur. Quarta vero de reformatorio commisit ipsi domino legato et archidiacono Lismorensi.

[a)] *so P.* [b)] exequantur *P.*

Super supplicacione reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis apud sacras deputaciones porrecta die mercurii xix[a] huius mensis octobris, petentis quod die tunc crastina teneatur congregacio generalis pro causa Aquilegiensi, in qua fiat relacio per dominos deputatos iuxta alias deliberata et conclusa, non obstante eciam quod aliqui eorum forent absentes: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio et teneatur congregacio ut petitur.

Lectis huiusmodi concordatis, reverendissimus dominus legatus more solito conclusit iuxta huiusmodi concordata et deliberata deputacionum.

Placuit quod dominus Lubicensis et magister Johannes Celi vadant tanquam ambassiatores concilii ad dietam de Brisac et habeant plenissimam facultatem fulminandi processus etc.

Item placuit quod Hermannus Rost et dominus Johannes de Hungaria vadant in ambassiata pro expedicione Johannis Horlandi.

Placuit quod die crastina fiant deputaciones, in quibus indicatur generalis congregacio.

Dominus Johannes Franciscus[a)] super facto relacionis in causa Aquilegiensi requisivit, quod antequam fiat relacio, decernatur eis copia huiusmodi relacionis, ut eadem die relacionis possint respondere. Et si non detur ante, saltem post etc., et audiantur.

De audiencia petita pecierunt instrumentum.

Dominus cardinalis legatus dixit, quod nunquam fuit eis denegata audiencia, ymo eam habebunt facta relacione, quociens videbitur eis expedire.

Die sabbati XXII[da] octobris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione magistri Johannis Leodegarii, petentis quod dominus episcopus Aquensis excludatur a signatura, placuit et admissa fuit huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini electi Albiensis, petentis relacionem fieri etc., placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super relacione facienda per dominos deputatos in causa Aquilegiensi placuit, quod hodie mane fiat et indicatur generalis congregacio ad huiusmodi relacionem faciendam.

Die predicta sabbati XXII[da] octobris M[o]iiij[c]xxxv[o] in generali congregacione, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi et de Columpna, patriarcha Anthioceno, Lugdunensi Mediolanensi et Rigensi, Dyonisio de Sambreuais et Egidio Caniueti.

[a)] Francisci *P*, *zu ergänzen* nomine dominorum Venetorum.

Concordata.

Super supplicacione domini patriarche Aquilegiensis, que talis est: „Reverendissimi patres, ad tollendum omnem ambiguitatis scrupulum dignentur vestre reverendissime dominaciones deliberare, quod die ista teneatur generalis congregacio pro causa Aquilegiensi, in qua fiat relacio per dominos deputatos iuxta alias deliberata et conclusa, non obstante eciam quod aliqui eorum forent absentes, incontrarium facientibus non obstantibus quibuscunque“: concordant omnes deputaciones, quod in causa Aquilegiensi hac die sabbati xxij^{da} octobris teneatur congregacio generalis, in qua fiat relacio per dominos deputatos iuxta alias deliberata et conclusa, non obstante quod aliqui eorum forent absentes, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Ita concordarunt domini de xij dicta die sabbati.

Lectis huiusmodi concordatis reverendissimus dominus cardinalis legatus, ut est moris, conclusit.

Instante domino Francisco de Bossis advocato domini Aquilegiensis domini de sacro concilio miserunt Bartholomeum[a)] promotorem pro Venetis, quod sint presentes in huiusmodi relacione facienda.

Item dominus Bartholomeus illico retulit adiisse dominos Venetos, qui responderunt non velle esse presentes, pro eo quia in relacione facienda possent responderi aliqua et tempus non patitur; nichilominus pecierunt audienciam ad respondendum. Que audiencia de consensu parcium concessa [fuit] eis ad diem martis proximam de mane. De quibus dominus Franciscus peciit instrumentum.

In materia relacionis in causa Aquilegiensi etc., facta quadam prefacione de gestis cause per dominum episcopum Burgensem alterum deputatorum in causa et recedentibus advocatis et procuratoribus parcium hincinde, facta est ad longum relacio facti in scriptis per eundem dominum Burgensem valde extense.

Nota quod super xj^{o} dubio dixit relator, quod maiori parti deputatorum videtur, quod articuli, de quibus in eodem dubio fit mencio, sint admissibiles.

Facta huiusmodi relacione relator dixit, quod eis videtur quod allegaciones debent publicari.

Placuit quod hodie hora iij^{a} post prandium compleatur relacio cum allegacionibus iuris etc.

Dicta die sabbati XXII^{da} post prandium hora fere quarta, presidentibus dominis predictis, presentibus Mediolanensi Rigensi et Dignensi, ipse dominus episcopus Burgensis in scriptis legit allegaciones iuris in

[a)] Bar. *P.*

causa Aquilegiensi, presentibus scolastico Andegauensi et decano Cameracensi.

Dominus Hugo promotor retulit adiise dominum patriarcham Anthiocenum de mandato dominorum presidencium, qui per organum cuiusdam servitoris sui fecit responderi, quod propter certas causas racionabiles erat pro tunc impeditus et peciit excusari etc.

Dominus relator nomine dominorum deputatorum requisivit, quod non obstante huiusmodi relacione, quod huiusmodi controversia cedatur per concordiam. Item quod domini dignentur corrigere deffectus, si qui sint etc.

Die dominica XXIII[a] octobris fuit missa solemnis.

Die lune XXIIII[ta] octobris in sacra deputacione pro communibus magister Robertus de Bellomonte procurator abbatis Maioris Monasterii obtinuit licenciam recedendi hinc ad tres menses, ita tamen quod dimittat substitutum loco sui.

Super primo avisamento reverendissimi domini cardinalis legati, quod sequitur: „Quia ambassiatores serenissimi principis domini imperatoris multum sollicitant expedicionem suam, que expedicio multum est neccessaria, quia eciam multum expedit propter multas neccessarias causas, quod conclusio super peticione principali non divulgetur, dignentur sacre deputaciones dare potestatem concludendi salva fide et honestate ecclesie dominis deputatis, qui sunt circa xxx[ta] vel plures, et quod in generali congregacione fiat una benigna responsio ambassiatoribus domini imperatoris, inter alia narrando quod difficultas, que fuit facta in dieta Brunensi, ortum habuit ab ipsis Bohemis, qui multa petebant contra compactata, et quod sacrum concilium intendit certificari, quod ipsi omnino servabunt compactata nec venient contra ea directe vel indirecte, qua certitudine habita taliter disponetur circa illa verba „iniuste detinere“ vel „usurpare“, quod propter hoc ex parte sacri concilii nulla erit occasio rupture tractatuum aut dilacionis, semper salva fide etc.“, — scrutatis singulariter votis dominorum placuit huiusmodi avisamentum in forma.

Super secundo, quod sequitur: „Dignentur sacre deputaciones deputare duos aut tres de qualibet deputacione, qui provideant de aliqua benigna responsione facienda ambassiatoribus sanctissimi domini nostri pape, cuius effectus saltem sit iste, quod sacrum concilium circa factum provisionis faciet id, quod secundum Deum et racionem videbitur expedire, et taliter quod nullus racionabiliter poterit aut debebit de ipso conqueri etc.“, — placuit maiori parti avisamentum in forma. Et fuerunt deputati

cum reverendissimo domino cardinali legato domini patriarcha Aquilegiensis, archiepiscopus Lugdunensis et electus Burgensis.

Pro parte sacre deputacionis pacis relatum est, ipsam deliberasse super avisamento de xij, quod absolvantur mortui a sentenciis et obligacionibus, vivi vero qui non possunt solvere et probaverint impotenciam, absolvantur, qui vero potuerunt solvere, solvant camere concilii ad usum Grecorum.

Item quod visa fuerunt capitula reformacionis facta per dominum legatum et placent, paucis additis, usque ad titulum de vicecancellario et maiore penitenciario etc., et data fuit facultas dominis deputatis addendi minuendi et corrigendi.

Ambassiatores domini imperatoris accesserunt ad sacram deputacionem, petentes responsionem super petitis; item pecierunt remitti causas prophanas ad tribunal imperii, et presertim causas ducum Saxonie et illorum de Fribourch, offerentes cedulam in scriptis.

Dominus Galeacius, dicendo votum suum super avisamento dominorum xij de provisionibus faciendis mortuis et vivis, qui obligantur camere apostolice etc., nomine camere apostolice se opposuit.

Super avisamento dominorum de xij de succurrendo consciencciis illorum, qui obligantur camere apostolice usque ad tempora felicis recordacionis domini Martini pape quinti etc., placuit maiori parti avisamentum in forma.

Quo ad licenciam petitam recedendi per dominum Thomam Francisci placuit, quod reverendissimus dominus cardinalis legatus provideat, prout sibi videbitur.

Die martis XXV^{a} octobris millesimo iiij^{C}xxxv^{o} in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi et de Columpna, generali ordinis Camaldulensis et A[nthonio] de S. Vito, patriarcha Anthioceno, archiepiscopo Lugdunensi, episcopis Dignensi et Niuernensi, magistris Jordano Morini et Thoma Fiene.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus exhortatus est dominos deputatos pro responsionibus dandis ambassiatoribus domini nostri pape et domini imperatoris, quod hodie hora iij^{a} post meridiem conveniant in S. Francisco.

De mandato reverendissimi domini cardinalis presidentis legi in scriptis deliberacionem captam super ij^{bus} avisamentis datis per eundem dominum cardinalem legatum, aliis sociis absentibus, dempto Rogerio.

In causa patriarchatus Aquilegiensis domini ambassiatores illustri^{s} dominii Venetorum per organum domini Johannis Francisci suam habuerunt

audienciam, respondendo in scriptis ad relacionem tam facti quam iuris per dominos deputatos in causa huiusmodi factam etc.

Dicta die martis post meridiem hora iij[a] in generali congregacione, presidentibus quibus supra, dominus Johannes Franciscus suam complevit audienciam, allegando in scriptis errores existentes in processu. Finaliter requisivit, quod eligantur notabiles viri, qui mature videant processum et iudicent, offerens se non appellare. Huiusmodi oblacionem et requisicionem promisit[a)] dare in scriptis petens instrumentum.

Dominus Franciscus advocatus domini patriarche Aquilegiensis, attenta relacione in causa facta, requisivit sacrum concilium iusticiam sibi ministrari.

Domini deputati ut alias exhortati sunt, quod via concordie, si fieri possit, amplectetur; item si sint deffectus, suppleantur per concilium.

Die mercurii XXVI[a] octobris in sacra deputacione pro communibus super requesta procuratoris fiscalis, petentis provisionem dari contra petentes restitui etc., signata [a] tribus quatuor precognitoribus etc., placuit huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super requesta domini Henrrici Claut decretorum doctoris, petentis quod dominus Raymundus Taloni, qui vidit registrum, procedat et pronunciet in causa de consensu domini archidiaconi Metensis et consilio dominorum de rota etc.: placuit et concessa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super requestis in causa episcopatus Maclouiensis etc. per partes hincinde oblatis placuit deliberacio de fide, si constiterit quod de consensu parcium facta extiterit.

Super requesta domini Coloniensis, petentis reservari ecclesiam in Hunff pro suffraganeo etc., non placuit.

Super avisamento domini cardinalis legati de conservandis titulis dominorum cardinalium etc. suspendatur.

Super supplicacione notariorum concilii, petencium litteras concilii per alios scribi facere etc., placuit requesta huiusmodi in forma.

Die iovis XXVII[a] octobris in sacra deputacione pro communibus super requesta domini electi Maclouiensis, petentis bullam expeditam in favorem adversarii etc. reportari ad cancellariam ad corrigendum etc., placuit quod committatur dominis vicedomino Monasteriensi et magistro Matheo Nithart, qui habito consilio cum reverendissimo domino cardinali legato et vocatis partibus referant in proxima deputacione.

Dominus episcopus Merseburgensis ambassiator domini ducis Saxonie marchionis Misnensis etc. accessit ad deputacionem et per organum

a) promissis *P.*

domini Francisci advocati requisivit, quod mandetur deputatis in causa ducum Saxonie, quod suspendant causam saltim per duos aut tres dies, quousque fuerit data responsio super eadem causa dominis ambassiatoribus domini imperatoris.

Dominus decanus procurator domini Erici etc. requisivit, quod conclusio sacri concilii habeat locum. Et si contineat deputacionem super hoc deliberare, legantur certa motiva, que dedit in scriptis.

Super peticione ambassiatorum serenissimi domini imperatoris, que talis est: „Quia sunt nonnulle ville in diocesi Vratislauiensi prope Bohemiam quasi destructe et desolate propter continuam guerram Bohemorum, et nichilominus tam iste ville quam domini earum excommunicantur interdicuntur propter non solucionem censuum, quos propter dictas desolaciones solvere non possunt, quibus dominus imperator concessit indultum quinquenniale de non solvendo: supplicant ambassiatores domini imperatoris, ut dignetur sacrum concilium mandare alicui, quod se informet de premissis et absolvat et relaxet interdictum, satisfacto creditoribus iuxta facultates, deducto eo quod isti villani non egeant, cum clausulis opportunis; et si placet fiat saltem ad triennium etc.“, — placuit huiusmodi peticio ad triennium tantum.

Super peticione domini episcopi Merseburgensis ambassiatoris domini ducis Saxonie marchionis Misnensis, petentis supersederi in causa ducum Saxonie etc., placuit quod supersedeatur in causa usque ad iij vel iiij^{or} dies tantum, sine tamen preiudicio cause et parcium.

Super articulis oblatis per reverendissimum dominum cardinalem legatum de conservandis titulis dominorum cardinalium et de visitandis titulis etc. placuerunt huiusmodi articuli in forma etc.

Die veneris XXVIII^{a} octobris fuit solemnis missa ob reverenciam festi sanctorum Symonis et Jude et fecit sermonem frater Johannes de Baufreines de observancia.

Die sabbati XXIX^{a} octobris millesimo quadringentesimo tricesimo-quinto in generali concregacione, presidentibus dominis cardinali legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi et de Columpna, duobus patriarchis, Lubicensi, Burgensi, Dyonisio de Sambreuais et Thoma Fiene.

Incorporati fuerunt dominus Georgius Gorff prepositus Omnium Sanctorum Argentinensis diocesis ordinis Premonstratensis, Johannes Ghesunghen licenciatus in decretis. Alii incorporandi remissi sunt ad dominum cardinalem legatum.

Dominus episcopus Conchensis protestatus fuit, quod incoporandi a modo non habeant vocem nisi consultivam. De quibus etc.

Domini promotores nomine promotorio et dominus Dyonisius de universitate nomine universitatis abbatum priorum et inferiorum protestatus est in contrarium. De quibus etc.

Dominus episcopus Lubicensis et magister Johannes Celi missi per sacrum concilium ad dietam de Brisac pro securitate viarum etc. de gestis per eos suam fecerunt relacionem.

Lecte fuerunt littere domini episcopi Ratisponensis, concernentes quendam Mauricium delatum in materia fidei, quequidem littera cum remissione articulorum tradita est magistro N[icolao] Amici procuratori fidei etc.

Concordata.

Super supplicacione domini Henrrici Clant decretorum doctoris canonici in ecclesia Coloniensi huic sacro concilio incorporati contra decanum et capitulum ecclesie predicte, petentis quod in causa inter easdem partes pendente in hoc sacro concilio commissa domino archidiacono Metensi super subtractione fructuum prebende ipsi doctori debitorum et aliis in supplicacione expressis, propter cuius domini archidiaconi Metensis absentis a concilio absenciam dominus Raymundus Taloni suggessit in locum, et registrum et acta cause per tres menses penes eum fueri[n]t et iam debuisset expedire, petentis committi dicto domino Raymundo Taloni, ut ad expedicionem ipsius cause procedat, quodque dictus dominus archidiaconus ad hoc consentit et eciam dictus Henrricus doctor seu eius procurator consentit, quod causa huiusmodi expediatur de consilio dominorum iudicum de rota: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Illa de reformatorio dicit: de consensu parcium.

Super supplicacione notariorum sacrarum deputacionum huius sacri concilii, supplicancium ut propter occupaciones eorum erga deputaciones et alios actus sacri concilii, cum ipsi sint scriptores litterarum eiusdem concilii, ut[a)] litteras sive bullas eis distribuendas ad scribendum possint facere scribi per alios scriptores earundem litterarum, eorum iuramento et aliis in contrarium facientibus non obstantibus: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Illa autem de reformatorio addit: dumtamen ipsi notarii illas litteras in propria videant et corrigant.

Super supplicacione magistri Johannis Leodegarii, petentis quod reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis vicecancellarius cum tribus precognitoribus sive quarto nominato in supplicacione possint signare commissiones seu supplicaciones in causa inter ipsum et Guillermum de Deserto super fructibus ecclesie de Boscoguillermi prope Rothomagum

a) et *P.*

et aliis causis dependentibus etc.: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta vero de fide requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini Petri episcopi Maclouiensis, petentis per hoc sacrum concilium committi et mandari dominis archiepiscopo Mediolanensi, Aurelianensi Pergamensi et Burgensi episcopis vel saltim tribus ex eis, si quartus suspectus allegetur, commissariis in causa Maclouiensis ecclesie ab hoc concilio deputatis, cum potestate eciam, quod coram uno aut duobus vel pluribus termini serventur in negocio principali ad supplicacionem domini Guillermi electi, ut absencia domini episcopi Parmensis et domini Radulphi Rodesheim similiter commissariorum non obstante possint iuxta commissionem omnibus factam ad declaracionem inhibicionis in dicta causa decrete, videlicet si possessioni dicti domini episcopi preiudicare debeat vel non, et alias prout de iure procedere, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, et quadam alia ex adverso oblata supplicacione: concordant tres deputaciones de consensu parcium, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui committat et faciat, ut ei videbitur. Verum quia deputacio de communibus se refert deliberacioni deputacionis fidei et dicit, si ipsam deliberacionem de consensu parcium esse factam, et notarius ipsius deputacionis fidei, qui huiusmodi supplicacionem signavit, retulit quod dominus Gaspar de Perusio advocatus pro domino Petro episcopo translato et magister Yuo Anahubou pro parte domini Guillermi electi, qui dictas supplicaciones in eadem deputacione fidei porrexerunt, ita in eadem consenserunt, et quod ipse magister Yuo alias pluries pro parte dicti domini Guillermi contra dictum dominum Petrum multas alias in huiusmodi causa porrexit supplicaciones et super eis sollicitavit erga ipsam deputacionem: ideo domini de xij duxerunt ita concordandum et concordarunt. Quarta vero de pace requisita non deliberavit.

Super supplicacione electi Albiensis, petentis quod mandetur commissariis alias in ipsa causa Albiensi datis, quod die lune proxima aut alia die, quando parati erunt, referant in generali congregacione, et ad huiusmodi actum dumtaxat indicatur generalis congregacio: concordant iiij^{or} deputaciones, quod mandetur deputatis, quod referant et indicatur generalis congregacio ut petitur.

Super supplicacione Johannis Fynart clerici Coloniensis, petentis secum dispensari super irregularitate, quia fuit notarius maleficiorum condempnatorum ad ultimum supplicium et sentencias scripsit, et quod possit promoveri ad ordines usque ad presbiteratum inclusive et obtinere beneficium sine cura animarum: concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri

concilii dispenset cum supplicante et rehabilitet, ut sibi videbitur. Quarta de communibus non deliberavit.

Super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati, in quo supplicant ambassiatores serenissimi domini imperatoris pro aliquibus villis et vilanis de diocesi Wratislauiensi prope Bohemiam quasi destructis et desolatis propter continuam guerram Bohemorum, quequidem ville et domini earum excommunicantur et interdicantur propter non solucionem censuum, quos propter dictas desolaciones solvere non possunt, quibus serenissimus dominus imperator concessit indultum quinquenniale de non solvendo etc.: concordant tres deputaciones cum ipso avisamento, videlicet quod reverendissimus dominus cardinalis legatus auctoritate sacri concilii committat alicui vel aliquibus in partibus, qui se de premissis informet et satisfacto creditoribus iuxta facultates etc., deducto eciam eo quod ne egeant, absolvat vel absolvant ac relaxent interdictum, et concedatur ad triennium secundum avisamentum. Quarta vero de pace requisita non deliberavit.

Lectis huiusmodi concordatis reverendissimus dominus cardinalis legatus presidens iuxta concordata et deliberata deputacionum, ut moris est, conclusit.

Lecta fuit responsio facta per concilium dominis ambassiatoribus serenissimi domini imperatoris. Postmodum episcopus alter ambassiatorum fecit magnam herengam; inter cetera exhortatus est concilium ad reformacionem.

Idem episcopus adhesit protestacioni facte per dominum episcopum Conchensem.

Dominus Dynonisius de universitate Parisiensi protestatus est in contrarium. De quibus etc.

Dominus Nicolaus Stok ambassiator domini imperatoris nomine ambassiatorio recommendavit dominum ducem Albertum in solucione illorum, que debentur sibi.

Eadem die intravit dominus cardinalis de Cipro.

Die dominica XXX[a] octobris fuit missa solemnis et fecit sermonem quidam ordinis Minorum sub theumate „Jussit Dominus discipulis ascendere naviculam“ etc.[1]

Die lune ultima octobris in sacra deputacione pro communibus placuit, quod domini incorporati sacro concilio et eorum familiares possint eligere confessorem, qui eos absolvat ab omnibus peccatis suis,

[1] *Matth. 14, 22.*

eciam sancte sedi apostolice reservatis, in forma alias consueta, et concludatur post vesperas ab hoc die usque ad octavam inclusive.

Placuit quod die crastina incorporati,[a)] quod deambulantes per ecclesiam maiorem tempore divinorum per promotores moneantur coherceantur intrare locum generalis congregacionis iuxta decretum de cultu divino.

Placuit quod dominus N[icolaus] Gehe iturus pro parte sacri concilii ad dominum nostrum regem Francie tempore absencie possit eligere confessorem, qui eum absolvat in forma suppositis concilii concessa.

In causa dominorum ducum Saxonie etc. placuit, quod loco domini Pargamensis recedere volentis surrogetur et surrogatus extitit dominus episcopus Lausanensis.

Placuit quod ipse dominus episcopus Pargamensis gaudeat in absencia privilegiis et libertatibus incorporatorum perinde ac si presens esset in concilio.

Placuit quod die mercurii post missam vel die iovis in generali congregacione debeat fieri responsio ambassiatoribus sanctissimi domini nostri pape iuxta avisamentum reverendissimi domini cardinalis legati.

Placuit quod reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis debeat transire nomine sacri concilii ad dietam in brevi Diuioni celebrandam pro liberacione et expedicione domini regis Sicilie ducis Andegauensis et Barrensis etc., quodque reverendissimus dominus cardinalis legatus habeat facultatem expediendi litteras et instructiones etc. opportunas.

In causa ducum Saxonie accessit dominus N[icolaus] Stok, nomine imperialis maiestatis peciit remitti causas ducum Saxonie, et inter cetera exhibuit citacionem emanatam a domino imperatore, per quam constat dominum Ericum ducem Saxonie et Fredericum fuisse citatos per ducem Bruswicensem, asserens ita esse fieri consuetum. De quibus consuetudinibus dominus Franciscus peciit instrumentum etc. Peciit eciam remitti causas de Fribergh et ambas concernentes capitulum et cives Cameracenses.

Dominus decanus pro parte domini Erici ducis Saxonie peciit copiam exhibitorum et mandari iudicibus, ut faciant iusticiam, et quod concilium mandet attemptata revocari. De quibus etc.

Magister Johannes Cothecirее supplicavit, quod antequam domini deliberarent, audiretur advocatus ecclesie Cameracensis.

Dominus N[icolaus] Stok ambassiator domini imperatoris dixit inter cetera, quod illa que dixerat dominus episcopus collega ipsius in generali congregacione super voce consultiva etc., dixerat proprio nomine et non nomine ambassiatorio etc. De quibus etc. dominus A[demarus] promotor

[a)] *so P, es scheint eine Auslassung vorzuliegen, vgl. S. 556 Z. 33.*

peciit etc., presentibus Jacobo Datigny, G[uidone] de Vercellis et Galeacio de Mantua.

In causa ducum etc. dominus decanus obtulit quandam scripturam, quam peciit legi, antequam deliberetur.

Super avisamento dominorum de xij, concernente decreta Toletanum et Calcedonense renovanda etc., scrutatis votis placuit maiori parti materia, forma vero concipiatur per reverendissimum dominum cardinalem legatum et per deputatos, quos ipse dominus legatus vocare voluit.

Super alio avisamento dominorum de xij, concernente responsionem dandam dominis ambassiatoribus sanctissimi domini nostri pape, placuit quod fiat responsio iuxta formam per dominos legatum et deputatos avisatam.

Eadem die post vesperas Omnium Sanctorum celebratas per dominum cardinalem de Cipro in ecclesia maiori etc. lecte fuerunt deliberaciones sacrarum deputacionum super sequentibus.

Dominis deputatis super responsione danda dominis ambassiatoribus sanctissimi domini nostri pape videtur, quod die mercurii post missam vel die iovis in generali congregacione debeat eis fieri responsio, prout ipsi deputati conceperunt, ad honorem sacri concilii. Placeat indicere predictam congregacionem generalem.

Die lune ultima octobris millesimo iiij^{C}xxxv^{o} in sacra deputacione pro communibus placuit avisamentum supra scriptum in forma.

Item placuit quod quilibet incorporatus huic sacro concilio aut superveniens incorporandus eorumque familiares a vigilia Omnium Sanctorum usque ad octabas eiusdem festi inclusive possint et possit unum vel plures ydoneum et ydoneos confessores eligere, qui eos et eorum quemlibet semel vel pluries in foro sacramentalis penitencie absolvere valeat et valeant ab omnibus suis peccatis, eciam in casibus sedi apostolice reservatis, in votisque et in quibuscunque irregularitatibus dispensare et habilitare, exceptis homicidio voluntario, incendio seu demolicione voluntaria ecclesiarum et symoniaca pravitate in ordine vel beneficio scienter commissa.

Item placuit quod incorporati et alii viri ecclesiastici deambulantes per ecclesiam maiorem et ante eandem tempore divinorum per promotores moneantur et coherceantur intrare locum generalis congregacionis iuxta decretum de cultu divino.

Eadem die in deputacione pacis placuerunt avisamenta, videlicet secundum et tercium suprascripta.[a)]

Item placuit primum in forma in eadem deputacione.

[a)] suprascriptos *P.*

Eadem die in deputacione pro communibus placuerunt avisamenta et deliberaciones retroscripte, et quod hodie concludantur post vesperos.

Eadem die in deputacione reformatorii placuerunt omnia avisamenta retroscripta.

Lectis huiusmodi deliberacionibus, finitis vesperis in vigilia Omnium Sanctorum reverendissimus dominus cardinalis legatus iuxta huiusmodi deliberaciones conclusit super eisdem.

Die martis prima novembris M°iiij^{C}xxxv°, que fuit dies Omnium Sanctorum, reverendissimus dominus cardinalis de Cipro celebravit missam, et fecit sermonem dominus electus Burgensis in Ispania sub theumate „Beati mundo corde“.[1]

Eadem die dominus episcopus Gurcensis fecit ambas vesperas de Omnibus Sanctis et Commemoracione fidelium.

Die mercurii II^{da} novembris die Commemoracionis Fidelium dominus episcopus Gurcensis celebravit maiorem missam. Non fuit sermo. Finita missa fecit absolucionem, videlicet suffragia mortuorum in medio congregacionis etc. Qua finita magister Hugo alter promotorum iuxta alia deliberata pronunciavit generalem congregacionem ad diem crastinam et intimavit, quod deputati in materia Bohemorum hodie hora iij^{a} in S. Francisco convenirent etc.

Die iovis III^{a} novembris M°iiij^{C}xxxv° in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinali Arelatensi et de Columpna, ambobus patriarchis, Lugdunensi Aurelianensi Pulcripatris, Radulpho de Porta et Dyonisio Sambreuais.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus, dirigens verba sua ambassiatoribus sanctissimi domini nostri pape, respondit ad proposita per eos etc. Primum hanc sanctam synodum ad pacem cum summo pontifice exhortati,[a)] ij^{um} narrastis suum sanctum propositum, tercium quod sedem apostolicam subvenientibus subveniat[b)], iiij^{to} sufficientem provisionem domino nostro fieri debere.

Dominus Antonius[c)] duo proposuit, quod annate ex iure naturali divino tollerabiles erant, ij^{do} quod decretum tolleretur vel suspenderetur.

Quo ad exhortacionem concilium amplectitur, quod similiter exhortatum est dominum nostrum[d)], ut pacem et caritatem cum concilio haberet,

[a)] exhort. *P.* [b)] *so P, lies* egentibus subvenire oportet *oder ähnlich.* [c)] domino Antonio *P.* [d)] exhortatus est dominus noster *P.*

[1] *Matth. 5, 8.*

quam concilium requirit et optat quamque prosequitur concilium, ut constat de pace Francie.

Quo ad secundum . . . .

Quo ad tercium concilium nichil fecit, quod vergere possit in detrimentum et iacturam sancte sedis apostolice.

Quo ad primum propositum domini auditoris, quod annate iure naturali etc. tollerande sunt, licet usitatus fuerit, nichilominus concilium in melius potuit commutare.

Quod decretum suspendatur: responsum quod hoc decretum sacris scripturis conforme nullomodo debere suspendi.

Super provisione etc.: circa huiusmodi provisionem id faciet et deliberabit, prout sacro concilio secundum Deum videbitur expedire et quod totus mundus merito debebit contentari.

Facta huiusmodi responsione,[1] dominus Anthonius de S. Vito auditor respondit, licet apertum et dictum fuerit, quam pia ista sit domini nostri pape voluntas, ut omnia execucioni mandentur, propter que concilium est congregatum.

Similiter eciam exhortatus est, quod sacrum concilium agat ea, propter que congregatum est.

Dixit quod [si] decreta edita et edenda per sacrum concilium per dominum nostrum servata non sint, ascribatur ipsi etc.

Super decreto de annatis etc. peciit provisionem fieri sedi apostolice, vel si suspenderetur provisio, eciam decretum suspenderetur.

Finaliter supplicavit domino cardinali legato, ut responssionem in scriptis dare vellet.

Item ut in decretis faciendis respectum habeant ad tempora et personas etc. et res etc., et si ita fiat, cunctis temporibus decreta observabuntur etc. Peten[tes] licenciam a sacro concilio, offerentes personas suas eidem etc.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus dixit, quod omnes de sacro concilio sunt intencionis, quod antequam dissolvatur concilium, fiet provisio condigna etc. Super copia petita, si domini ambassiatores [in]steterint pro ea, non possunt denegare etc.

Quo ad recessum et oblaciones concilium regraciatur eisdem, offerens concilium ad eorum beneplacita.

De responsione facta domini promotores pecierunt instrumentum et instrumenta etc.

Lecte fuerunt littere ducum Saxonie et marchionis Misnensis, sed quia hora erat tarda, dominus dixit quod haberent pacienciam usque ad primam.

[1] *Der Wortlaut Mansi 29, 273 und 30, 945. M. C. 2, 819.*

Dominus archiepiscopus Mediolanensis peciit licenciam recedendi sub spe redeundi quamcicius fieri poterit. De quaquidem licencia peciit instrumentum.

Domini ambassiatores domini imperatoris requisiverunt, ut alias, responsionem cause ducum Saxonie et aliarum etc. Item ampliorem responsionem in materia Bohemorum. Dominus cardinalis legatus respondit articulatim ad omnia etc. et dixit se credidisse sufficienter fuisse responsum.

Die veneris IIII^{ta} novembris millesimo iiij^{C}xxxv^{to} in generali congregacione etc., presidentibus dominis cardinali legato Tarentino, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi et de Columpna, patriarcha Aquilegiensi, episcopis Lubicensi Aquensi, Pulcripatris, domino officiali et Radulpho de Porta.

More solito incorporati fuerunt dominus Valterus Aydelle de Scocia licenciatus in decretis canonicus ecclesie Cathen[en]sis, magister Petronandus de Saconay prepositus ecclesie S. Stephani Narbonensis, dominus Benedictus Sanxii de Peneda porcionarius ecclesie Tolletane, magister Hugo Lami licenciatus in legibus canonicus Tornacensis, dominus Andreas Nostel canonicus Bambergensis, dominus episcopus Merseburgensis pro se et domino Frederico duce Saxonie etc.

Placuit quod locus deputacionis reformatorii transferatur ad locum capituli Basiliensis.

Lecte fuerunt littere domini ducis Borbonii, concernentes prioratum S. Sanxonis civitatis Aurelianensis.

Lecte fuerunt littere domini regis Dacie in favorem domini Erici et fratrum eius ducum Saxonie etc.

Alie littere unius ducis in favorem quorum supra.

Lecte fuerunt littere domini Borbonii ducis in favorem scabinorum civitatis Cameracensis.

Concordata.

Super supplicacione seu requesta procuratoris fiscalis huius sacri concilii contra illos, qui ab hoc sacro concilio seu iudicibus et commissariis ab eo deputatis extra ipsum concilium, viam appellacionis, super qua alias provisum, omittentes, extra idem concilium supplicantes et restitucionem attemptantes et prosequentes, ut in supplicacione: concordant tres deputaciones, quod admittatur et admissa fuit ipsa supplicacio sive requesta in forma ut petitur. Quarta vero, videlicet de reformatorio, admittit eam in forma ut petitur, dumtamen eciam servetur equalitas, videlicet quod eciam pariter non audiantur seu admittantur in hoc sacro concilio appellantes supplicantes, restituciones petentes a curia Romana ad hoc sacrum concilium, salvo iure incorporatorum.

Concordant tres deputaciones, quod admittatur et admissa fuit requesta reverendi patris domini Francisci episcopi Pargamensis huic sacro concilio incorporati, quod ipse in sui absencia a presenti concilio gaudeat prerogativis et privilegiis concessis incorporatis residentibus in concilio.

Super supplicacione magistri Johannis Leodegarii etc.[a] concordant omnes deputaciones, quod admittatur eius requesta, ut suprascriptum est.

Concordant tres deputaciones, quod in causa ducatus Saxonie et electoratus imperii etc. per dominos iudices eiusdem supersedeatur hinc ad xv dies. Quarta vero, videlicet de communibus, dicit quod supersedeatur in ipsa causa usque ad tres vel quatuor dies tantum, sine tamen preiudicio cause et parcium.

Lectis huiusmodi concordatis reverendissimus dominus cardinalis legatus more solito conclusit.

Domini Johannes Pulcripatris et magister Stephanus de Nouaria venientes de Anglia per organum eiusdem domini Stephani de gestis per eos in Anglia suam fecerunt relacionem, narrando laudes de domino rege et eius consilio etc.

Item ipse magister Stephanus narravit iacturam sibi per agressores itineris factam, cui iacture peciit per sacrum concilium provideri, petendo instrumentum etc.

Dominus procurator fiscalis supplicavit per sacrum concilium in hoc et aliis negociis provideri.

Facta huiusmodi relacione, reverendissimus dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii de laboribus per eos assumptis regraciatus est.

Item exhortatus est dominos de sacro concilio, quod super iactura et dampno dicti domini Stephani et aliorum sacre deputaciones velint deliberare.

In causa ducum Saxonie dominus Symon de Theramo advocatus habuit audienciam, exposuit credenciam litterarum, requirens in effectu causam huiusmodi ducatus ad imperiale tribunal remitti etc.

Quia dominus Symon de Theramo in sua proposicione notavit sacrum concilium, domini et patres eiusdem concilii fuerunt male contenti de eo. Et fuit per aliquos dictum, quod sacre deputaciones deliberarent, quod amplius advocati in generalibus congregacionibus minime audirentur etc.

Die sabbati quinta novembris in sacra deputacione pro communibus, presidente domino patriarcha Aquilegiensi, placuit quod hodie de mane fiat generalis congregacio, in qua domini legati et ambassiatores sacri

[a] *die Zeile* Super – etc. *nachgetragen P.*

concilii suam faciant relacionem de hiis, que acta sunt in convencione Attrebatensi circa pacem regni Francie.

Dicta die sabbati in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato, de Cipro, Arelatensi et de Columpna, assistentibus ambobus dominis patriarchis, archiepiscopis Lugdunensi et Bituricensi, episcopis Dignensi et Niuernensi, Johanne Pulcripatris, Dyonisio et Radulpho de Porta.

Lectis concordatis et deliberacionibus sacrarum deputacionum super generali congregacione celebranda ad audiendum relacionem dominorum legati et ambassiatorum, qui noviter redierunt[a)] de convencione Attrebatensi super pace Francie, reverendissimus dominus cardinalis legatus conclusit, ut est moris.

Instante et requirente reverendissimo domino cardinali Arelatensi placuit et fuit conclusum, quod die crastina dominica vj[a] mensis huius habeat consecrare in isto loco generalis congregacionis dominum electum Burgensem, quodque domini de sacro concilio in actu huiusmodi habeant ipsum honorare etc.

Reverendissimus dominus cardinalis de Cipro exhortatus est dominos de sacro concilio, quatenus haberent ipsum et alios coambassiatores suos in relacione sua benigne audire.

Dominus episcopus Vexionensis fecit collacionem, referens in generali ea que facta sunt in convencione Attrebatensi, sub theumate „Gaudium et leticia invenientur in ea, graciarum actio et vox laudis“.[1]

Finita huiusmodi collacione dominus archidiaconus Metensis, primo expositis tribus instructionibus per concilium datis, videlicet de exhortando, de tractando ea que pacis erant et de roborando tractatum cum penis et censuris, de gestis per dominos cardinales legatos et ambassiatores sacri concilii articulatim suam fecit relacionem.

Facta huiusmodi relacione requisivit ipse dominus archidiaconus, quatenus sacrum concilium dignaretur omnia acta et gesta circa huiusmodi tractatum pacis habere rata et grata et illa approbare.

Dominus N[icolaus] prepositus Cracouiensis exhortatus est dominos de sacro concilio, quod sive dominus rex Anglie sive non oblaciones acceptaverit, domini de sacro concilio debent sollicite prosequi huiusmodi pacem generalem etc. Item quod huiusmodi paci operam velint dare usque ad consummacionem ipsius etc.

a) rerierunt *P.*

1 *Is. 51, 3.*

Dominus Albinganensis fecit relacionem de muneribus et bonis in via domino cardinali de Cipro et sibi factis etc. Similiter dominus episcopus Vexionensis.

Domini promotores per organum domini Aydemari requisivit[a)] dominos de sacro concilio, ut dignarentur habere rata et grata acta per eos in tractatu pacis, quodque deffectus, si qui intervenissent, suplere.[a)] Quod placuit, et fuit responsum per verbum placet.

Reverendissimus dominus cardinalis de Cipro peciit licenciam recedendi, cui licencie domini promotores se opposuerunt.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus alter presidencium nomine sacri concilii de gestis et laboribus per dominos cardinalem legatum et eius collegas in tractatu pacis Francie assumptis fuit regraciatus.

Nota quod ipse reverendissimus dominus cardinalis in regraciacione huiusmodi surgens cum patribus de huiusmodi pace dedit laudes multum devote sanctissime Trinitati. Similiter regraciatus est sanctissimo domino nostro pape et eius legato etc.

Die dominica VI[a] novembris M°iiij[c]xxxv° fuit missa solemnis celebrata per reverendissimum dominum cardinalem Arelatensem, qui in sua missa auctoritate concilii consecravit dominum episcopum Burgensem, assistentibus dominis presidentibus Tarentino et Paduano, archiepiscopo Lugdunensi, Conchensi Lausanensi et Massiliensi episcopis.

Die lune VII[a] novembris in sacra deputacione pro communibus pro presidente magister Johannes Pulcripatris.

Pro xij[cim] episcopus Vexionensis, abbas de Chereto, scolasticus Seguntinus et dominus Johannes de Hungaria continuatus.

Pro custodia clavis bulle dominus Rodericus baccalarius, et iuravit.

Pro iudicibus causarum fuerunt nominati domini Galeacius de Mantua, magister Jacobus Datigny et M[atheus] Nithardi.

Super supplicacione dominorum de capitulo Nouiomensi et thesaurarii eiusdem, petencium de consensu parcium super controversia inter eos mota per sacrum concilium sentenciam fieri, placuit et admissa fuit huiusmodi supplicacio in forma. Et pro iudicibus fuerunt deputati domini archiepiscopus Lugdunensis, abbas Virziliacensis et N[icolaus] Hermesten.

Super supplicacione proconsulum et consulum oppidi Lunembergensis Verdensis diocesis, petencium redigi causam, que mere prophana est, ad tribunal imperiale, placuit et admissa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

[a)] *so P.*

Sacra deputacio reformatorii retulit deliberasse, quod advocetur causa ducum Saxonie et committatur imperatori, qui infra mensem habeat committere electoribus[a)], et nisi commiserit, remittatur ad concilium.

Item dedit deputatos ad visitandum quasdam bullas et presertim concernentes Cartusienses de decimis redimendis a laicis, videlicet officialem Coloniensem et Rascop.

Dominus archiepiscopus Mediolanensis obtinuit licenciam recedendi usque ad mensem maii, ita tamen quod habeat monere suos suffraganeos, ut veniant ad concilium, quodque dimittat loco sui procuratorem.

Die martis VIII[a] non fuerunt deputaciones.

Die mercurii IX[a] novembris in sacra deputacione pro communibus super requesta religiosorum de ordine Humiliatorum placuit, quod dominus Jacobus Datigni vocatis partibus videat et referat.

Adidem super requesta contendencium de abbacia Maristelle.

Super requesta domini promoti ad ecclesiam S. Poncii placuit, quod si domini deputati sint parati ad suam relacionem faciendum, die sabbati proxima indicatur generalis congregacio, in qua suam faciant relacionem.

In causa Maclouiensi loco domini Pargamensis absentis fuit surrogatus dominus episcopus Vexionensis.

Pro parte reformatorii relatum est ipsam deliberasse, quod mandetur dominis xij, ne recipiant aliquos ad incorporacionem, nisi fuerint ut alias qualificati et in sacris constituti.

Item mandetur clavigeris bulle, quod iuxta conclusionem captam in generali congregacione saltem bis in ebdomada conveniant cum domino vicecancellario et officiariis cancellarie in expedicione huiusmodi litterarum, antequam bullentur etc.

Placuit quod domini deputati in causa Albiensi domino Mediolanensi absente suam faciant relacionem.

Super requesta serenissimi domini regis Cipri, petentis surrogari loco domini episcopi Uticensis dominum episcopum Albinganensem, placuit ut petitur.

Super peticione domini patriarche Aquilegiensis scrutatis singulariter votis dominorum fuerunt xxiij[a] vota quod feratur sentencia pro domino patriarcha, quorum xij dixerunt quod feratur simpliciter iuxta peticionem eiusdem domini patriarche, undecim vero quod feratur liquido; fuerunt xxj vota cum dominis deputatis qui relacionem fecerunt, quorum sunt duo ex commissariis, videlicet quod detur dominis Venetis brevis et perhemptorius terminus ad probandum indulta.

[a)] elect. *P.*

Quibus votis publicatis dominus Johannes Pulcripatris presidens sacre deputacionis conclusit a maiori parte votorum.

Die iovis X^a^ novembris in sacra deputacione pro communibus placuit, quod dominus Johannes de Comitibus archipresbiter Papiensis in absencia gaudeat libertatibus et privilegiis incorporatorum.

Super litteris domini ducis Mediolani, concernentibus capcionem domini Stephani de Nouaria, placuit deliberacio deputacionis sacre fidei, et ad hoc fuit deputatus dominus cardinalis legatus.

Super requesta procuratoris fiscalis, petentis procedi contra invadentes etc. venientes ad sacrum concilium et litteras deferentes etc., placuit et admissa fuit huiusmodi requesta ut petitur. Et pro executore fuit datus episcopus Burgensis.

Placuit supplicacio magistri Thome Gauquerii, quod reassumatur ad officium scriptorie litterarum, ut supra, in forma ut petitur.

Placuit supplicacio domini cardinalis de Columpna, quod admittatur resignacio officii scriptorie ad opus et ūtilitatem cuiusdam servitoris domini Tiburtini.

Super supplicacione concernente materiam fidei inter conventum fratrum Minorum in Crosia et quosdam nominatos in supplicacione etc., placuit quod committatur domino Niuernensi, qui faciat iusticiam.

Super requesta amborum Grecorum fuit commissa dominis Lubicensi et Niuernensi, qui cum domino legato et aliis deputatis videant de provisione facienda eis.

Super supplicacione Humiliatorum etc. placuerunt deliberaciones aliarum trium deputacionum.

Super supplicacione domini Lubicensis, petentis attemptata contra ipsum revocari etc., placuit et admissa fuit huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super ambabus supplicacionibus in causa ducum Saxonie etc. placuit, quod audiantur domini commissarii in huiusmodi causa deputati, quibus auditis deliberet sacrum concilium, an sit remittenda vel non.

Super supplicacione domini archiepiscopi Auxitani, petentis reductionem taxe beneficiorum sue diocesis, placuit maiori parti quod dentur deputati, qui videant de modo providendi, et fiat decretum generale.

In causa patriarchatus Aquilegiensis super peticione domini patriarche scrutatis singulariter votis dominorum, placuit maiori parti, quod feratur sentencia simpliciter iuxta peticionem eiusdem domini patriarche et suppleantur deffectus.

Die veneris XI^a^ novembris fuit missa solemnis et sermo factus per M[atheum] Maisnage.

Die XII[a] novembris M°iiij[C]xxxv° fuit generalis congregacio, presidentibus dominis cardinali legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinalibus Arelatensi et de Columpna, Johanne Pulcripatris, Dyonisio, M[atheo] Mainage et Guidone de Versellis.

Incorporati dominus Ludouicus comes de Uerten prepositus ecclesie S. Stephani Bambergensis, magister Conrardus Welin sacre theologie professor canonicus S. Johannis Herbipolensis, dominus Lambertus Vagner cononicus ecclesie Misnensis decretorum doctor.

Lecta cedula protestacionis facte per ambassiatores domini regis Castelle etc., ipsi ambassiatores ascenderunt ad bancham alciorem ad latus sinistrum et cum violencia expulerunt de prima sede, quam tenebant pacifice domini ambassiatores regis Anglie et specialiter dominus episcopus Aquensis, quem cum violencia a dicta sede eiecerunt, et facta violencia per servitores dominorum Yspanorum domino archidiacono antiquo doctori de Oxonia, videlicet ipsum conculcando pedibus et alias. De huiusmodi violencia peciit instrumentum, presentibus dominis Jordano Morini, Raymundo Taloni dominorum Francie et Sicilie regum ambassiatoribus, et scolastico Lubicensi.

Eadem die hora III[a] post meridiem in deputacione pro communibus comparuit quidam Nunnius Aluari, dicens se esse in utroque iure baccalarium et procuratorem nomine domini regis Castelle et Legionis, produxit quandam cedulam, de qua protestacionis cedula peciit instrumentum et instrumenta.

Qua presentata domini Aydemarus de Roussilione et Hugo Barardi promotores pecierunt, quod ipse exhibens cedulam produceret mandatum, qui obtulit se facturum.

Lecta ipsa cedula ipsi promotores pecierunt per dominos de deputacione provideri et scandalum reparari et provideri stabilitati et securitati presencium et futurorum et pecierunt exinde instrumentum.

Dominus baccallarius protestatus est de nullitate agendorum, licet fuerit sibi dictum, quod hodie fuit de primis, dum fieret insultus, ut asserunt plurimi.

Dominus episcopus Aquensis ambassiator domini regis Anglie de huiusmodi offensa sibi hodie facta etc. peciit fieri reparacionem.

Deliberantibus dominis domini patriarcha Aquilegiensis et episcopus Lubicensis missi sunt ad consulatum, rogantes eos ut per se vel suos in generalibus congregacionibus et missis celebrandis personaliter intersint pro securitate dominorum et patrum de concilio.

Super peticione dominorum promotorum sacri concilii concernente offensam hodie in generali congregacione per dominos Ispanos in personas

domini episcopi Aquensis et aliorum etc. factam, scrutatis singulariter votis dominorum placuit, quod dentur deputati, qui nomine sacri concilii adire habeant dominos ambassiatores serenissimi domini imperatoris et eciam consulatum huius civitatis et ipsos requirere pro securitate dominorum et patrum huius sacri concilii. Et ad hoc fuerunt deputati domini Lubicensis et Niuernensis episcopi ac abbas de Chereto. Item quod exnunc attenta manifesta offensa maiores domini Ispani ecclesiastici, qui huiusmodi offensam commiserunt, cum omni honestate arrestentur. Item Fructusmontes et alii inferiores ecclesiastici ac eciam seculares, qui culpabiles reperti fuerint, ad statim capiantur et incarcerentur, donec et quousque per sacrum concilium aliter fuerit provisum. Item quod ipsi domini deputati habeant facultatem declarandi omnes culpabiles excommunicatos etc. Item quod fiat decretum generale contra committentes similia, et declarentur infames et priventur omnibus beneficiis suis etc.

Die dominica XIII[a] novembris non fuit missa ob offensam.

Die lune XIIII[a] novembris in sacra deputacione pro communibus placuit, quod domini deputati in causa S. Poncii Thomeriarum die iovis proxima in generali congregacione suam faciant relacionem.

Placuit quod hodie de mane fiat generalis congregacio, in qua concludatur potestas data dominis deputatis super casu, qui die sabbati preterita in generali congregacione evenit etc. Item quod scribatur, quando videbitur expedire, super eodem casu dominis regibus et principibus in forma per eosdem dominos deputatos concipienda ad honorem sacri concilii. Item habeant ipsi domini deputati facultatem relaxandi interdictum, servato decreto concilii Constanciensis.[1]

Item placuit quod reverendissimus dominus cardinalis legatus sit alter ex deputatis. Item loco domini Lubicensis fuit surrogatus dominus patriarcha Aquilegiensis.

Placuit quod domini cardinales[a)] de Cipro et de Columpna per sacrum concilium exhortentur, ut non recedant a concilio, quousque differencia fuerit sopita.

Item placuit addicio concernens Fructusmontes facta per sacram deputacionem de reformatorio.

Placuit quod dominus scolasticus Lubicensis habeat sollicitare dominos deputatos et sit presens inter ipsos.

[a)] cardinalis *P.*

[1] *Mansi 27, 766. M. C. 2, 57.*

Dominus Bartholomeus Rousselli procurator domini Biterrensis obtinuit licenciam a domino presidente deputacionis.

Dicta die lune XIIII[a] novembris M° iiij[C] xxxv° in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato Tarentino et Paduano, assistentibus cardinalibus de Cipro Arelatensi et de Columpna, ambobus patriarchis, dominis Lugdunensi Bituricensi, Johanne Pulcripatris, Dyonisio, officiali Parisiensi, Radulpho de Porta et G[uidone] de Versellis.

Dominus cardinalis de Columpna fecit legi supplicacionem in favorem Johannis de Orlandis, requirendo presertim Germanicam nacionem de provisione, alias protestatus est et peciit instrumentum.

Dominus ambassiator domini imperatoris miles requisivit, quod per concilium darentur littere consulibus civitatis, ut ad requestam concilii provideant contra comittentes offensas etc. Remissa est ad deputaciones etc.

Dominus Andreas Prutenus narravit nova de Bohemia.

Ad idem retulit vicarius Frinsingensis de uno castro capto, ubi erant centum et xxx[ta] Taborite.

Lectis deliberacionibus sacrarum deputacionum in materia excessus Ispanorum, domini presidentes per organum domini legati super eisdem iuxta huiusmodi deliberaciones deputacionum, saltem trium, ut moris est, concluserunt.

Dominus Robertus archidiaconus Lismorensis in Hibernia iudex causarum de continuacione loci domini regis Anglie facta per dominum Aquensem sine contradictione peciit instrumentum, presentibus scolastico Lubicensi, R[oberto] de Fardella et Dieulefist.

Dominus episcopus Merseburgensis ambassiator domini Frederici ducis Saxonie marchionis Misnensis protestatus est dissoluta congregacione, prout in cedula, de quibus peciit instumentum, presentibus vicario Cluniacensi, Johanne Leodegarii et fratre Petro Toulet.

Die martis XV[a] novembris in sacra deputacione pro communibus super avisamento dominorum deputatorum super casu, qui die sabbati preterita in generali congregacione contigit, quod est tale: „Videtur dominis deputatis super casu, qui die sabbati contigit in congregacione generali, quod sacre deputaciones concedant potestatem ipsis dominis deputatis tollendi interdictum, prout eis videbitur, pro honore sacri concilii, cum iam receperint caucionem de stando mandatis sacri concilii et ipsorum deputatorum, et alia faciendi circa hanc materiam, que iudicaverint pro honore huius sacri concilii expedire, ac eciam, si sit opus, aliquos per edictum citandi, quod se representent coram dictis dominis deputatis,

sub pena privacionis omnium suorum beneficiorum et inhabilitacionis et aliis penis contra quoscunque etc. Et quod post deputacionem fiat congregacio generalis ad concludendum super relaxacione dicti interdicti:“

Scrutatis singulariter votis dominorum placuit, quod domini deputati habeant relaxare interdictum et citare per edictum, quodque post deputaciones fiat generalis congregacio. In aliis vero contentis in avisamento placuit maiori parti, quod dicti domini deputati habeant referre.

Dominus Guillermus Constanciensis dicendo votum protestatus est, quod non consentit in cedula, sed solum quo ad interdictum tollendum et generalem congregacionem, presentibus S[ymone] Bocheux et G[uidone] de Versellis.

Dicta die martis XV^{a} novembris M^{o} iiij^{c} xxxv^{o} fuit congregacio generalis, presidente domino cardinali legato, assistentibus dominis cardinalibus de Cipro Arelatensi de Columpna, ambobus patriarchis, presentibus Johanne Pulcripatris, Radulpho de Porta, E[gidio] Caniueti et G[uidone] de Versellis.

Lectis concordatis super avisamento dominorum deputatorum super casu etc., reverendissimus dominus cardinalis legatus iuxta huiusmodi concordata et deliberaciones sacrarum deputacionum saltem trium more solito conclusit.

Deinde idem reverendissimus pater dominus cardinalis legatus retulit ea que facta sunt per dominos deputatos super casu qui contigit.

Qua relacione facta ipse dominus cardinalis legatus nomine sacri concilii relaxavit interdictum etc. eciam de consensu deputatorum.

Die mercurii XVI^{a} novembris in sacra deputacione pro communibus super requesta domini de Chereto placuit, quod dentur deputati, qui huiusmodi requestam videant diligenter et referant in deputacione, ut deinde facta deliberacione fiat relacio in generali congregacione. Et ad hoc deputati sunt domini Lugdunensis et Vexionensis episcopus.

Super articulis reformacionis et presertim super articulo incipiente „Et si ad quemlibet cardinalium“ etc. placuit articulus in forma.

Super articulo „Si quando papam, quod absit“ etc. placuit cum addicionibus, videlicet quod cardinales teneantur monere papam et papa teneatur credere cardinalibus, et addatur pena contra cardinales.

Super articulo „Similiter et multomagis“ etc. placuit cum addicionibus, quod ipsa non solum papa cantative ymo iurisdictive[a)] habeat corrigere cardinales, et tollantur verba „vicissim alter in alterum.“ Item

[a)] cantaue yo iurue *P.*

quod cassentur iuramenta extraordinaria per dominos cardinales in ultimo conclavi facta et eciam facienda.

Placuit quod domini promotores se informent de illis qui . . .

Die iovis XVII[a] novembris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione promoti ad ecclesiam S. Poncii etc., petentis transferri generalem congregacionem hodiernam ad diem martis proximam, placuit ut petitur.

Super supplicacione domini archiepiscopi Auxitani, petentis taxam beneficiorum sue diocesis moderari etc., [placuit] deliberacio sacre deputacionis pacis in forma.

Super requesta nobilium et aliorum familiarium domini ducis Bauarie comitis Palatini, petencium committi causam etc., placuit quod advocetur et committatur reverendissimo domino archiepiscopo Maguntino vel eius vicario, qui vocatis partibus iusticiam faciat.

Super requesta Johannis Stanger et aliorum pupilorum oppidi Lunembergensis Verdensis diocesis etc. placuit, quod huiusmodi causa prout est remaneat in concilio terminanda.

Super supplicacione Jherosolimitanorum commissa fuit dominis Jacobo Datigny et Johanne de Hungaria, qui huiusmodi requestam diligenter videant et referant.

Super requesta capituli Coloniensis ad idem.

Super requesta Hernoldi Steyhuf canonici S. Crucis Hildesemensis ad idem.

Super requesta domini promoti Albiensis, petentis votum domini Mediolanensis valere perinde ac si illud cum aliis collegis dedisset etc., placuit quod huiusmodi votum valeat, prout de iure valere poterit.

Frater Thomas Hospitis ordinis canonicorum S. Ruffi obtinuit licenciam recedendi, remanente domino priore de Plateria.

Die veneris XVIII[a] novembris M° iiij[C] xxxv° in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato et Tarentino, assistentibus dominis cardinali Arelatensi, ambobus patriarchis, archiepiscopo Lugdunensi, episcopis Aurelianensi Aquensi, presentibus Johanne Pulcripatris, Dyonisio, R[adulpho] de Porta et G[uidone] de Versellis.

Lecte fuerunt littere domini nostri regis Francie in favorem domini promoti ad ecclesiam Albiensem.

Deinde domini ambassiatores dominorum Venetorum, postquam verbo narrassent gravamina eis illata facto et in scriptis, appellarunt protestati sunt et alia fecerunt, prout in cedula per eos data continetur. De quibus etc.

Item lectum est instrumentum execucionis monitorii in personam domini ducis Venetorum et aliorum, facte per quendam plebanum.

Requisiverunt copiam huiusmodi instrumenti, petentes per sacrum concilium illud reprobari.

Ipsi supplicarunt sacro concilio, quod taliter provideat super gravaminibus etc., quod non habeant causam appellandi. Nichilominus resident in cedula etc. Et dixerunt pronunc non appellare a deliberacionibus concilii, quia nondum deliberavit, sed a deputacionibus, se ad cedulam productam referendo.

Dominus Franciscus advocatus supplicavit, quod per sacrum concilium super huiusmodi appellacione dentur apostoli refutatorii et currant deliberaciones etc.

Item pecierunt domini Veneti copiam protestacionis facte per procuratorem fiscalem.

Lecte fuerunt littere domini ducis Burgundie, petentis quandam causam prophanam remitti ad idem. Scribunt domini episcopus Leodiensis, cives Leodienses et opidi Traiectensis.

Lecte fuerunt littere capituli Albiensis in favorem domini Roberti promoti.

Dominus Martinus sollicitator cause protestatus est de iniuriis.

Concordata.

Super supplicacione seu requesta procuratoris fiscalis huius sacri concilii contra invadentes capientes arrestantes detinentes incarcerantes mutilantes et iniuriantes incorporatos huic sacro concilio ac eorum familiares et personas alias ad ipsum venientes et recedentes ab eodem ac contra amoventes bullas et litteras iudicum ipsius concilii easque laniantes etc. eorumque fautores receptatores etc., petentis ad eius instanciam committi alicui vel aliquibus etc., ut contra tales procedatur summarie etc. cum potestate eciam citandi per edictum ac quoscunque processus et penas et censuras in decretis sacrorum Constanciensis et presentis Basiliensis conciliorum contentas decernendi agravandi etc. cum invocacione brachii secularis, huiusmodique captivatos etc. a iuramentis et obligacionibus ab eis extortis liberandi etc., ut in supplicacione: concordant omnes deputaciones, quod admittatur, prout fuit admissa, ipsa supplicacio seu requesta in forma ut petitur. Et fuerunt super hoc deputati executores pro deputacione reformatorii dominus episcopus Gurcensis, pro deputacione de pace dominus archiepiscopus Bituricensis, pro deputacione de communibus dominus episcopus Burgensis, pro deputacione fidei dominus prepositus Cracouiensis.

Ad respondendum litteris illustrissimi principis domini ducis Mediolani huic sacro concilio scriptis in favorem magistri Stephani de Nouaria

ambassiatoris concilii et ad procedendum contra raptores et spoliatores ipsius etc. concordant omnes deputaciones cum deliberacione deputacionis fidei, que talis est: Sacra deputacio fidei, auditis litteris illustrissimi domini ducis Mediolani in favorem magistri Stephani de Nouaria scriptis, deputavit reverendissimum patrem dominum cardinalem Arelatensem ad faciendum responsionem eidem domino duci unacum deputatis aliarum deputacionum; et nichilominus attendens, quod hec iniuria censetur illata sacro concilio, cuius ipse magister Stephanus erat ambassiator, deliberavit quod committatur procuratori fiscali, ut nomine sacri concilii contra illos raptores et spoliatores causam intentet et prosequatur usque in finem; et ulterius eadem deputacio dedit pro iudice sive commissario huiusmodi negocii sive cause reverendum dominum prepositum Cracouiensem cum potestate plenissima decernendi quoscunque processus sive monitoria, eciam sub penis quibuscunque et contra quoscunque, tam ad instanciam ipsius procuratoris fiscalis quam eciam ipsius domini Stephani, eosque agravandi et reagravandi et alias cum omnimoda illa potestate, quam sacrum concilium habet in re ista, ita quod iste per eos sic deputatus et quilibet alius per sacras alias deputaciones deputandus potestatem habeat omnimodam et insolidum. Item avisavit ipsa sacra deputacio, quod ipsi magistro Stephano relaxentur quecunque iuramenta per eum dictis raptoribus prestita, et hoc in prima generali congregacione, et quod ab eisdem iuramentis totaliter absolvatur. Et pro aliis deputacionibus fuerunt deputati videlicet in deputacione pacis pro iudice reverendissimus dominus archiepiscopus Bituricensis et ad respondendum litteris ipsius domini ducis commissum extitit reverendissimo domino legato, quo vero ad omnia contenta in dicta deliberacione deputacionis fidei in deputacione pro communibus fuit deputatus dictus reverendissimus dominus archiepiscopus Tarentinus.

Super supplicacione serenissimi principis domini Johannis Cipri etc. regis ac procuratoris fiscalis huius sacri concilii, petencium surrogari in iudicem reverendum patrem dominum Matheum episcopum Albinganensem in locum reverendi patris domini Bertrandi episcopi Uticensis propter eius absenciam a concilio, olim iudicis deputati in causis per conciliuu sibi commissis contra Stephanum Flandi presbiterum Dolensis diocesis, fratrem Johannem Foucherii ordinis Minorum et fratrem Johannem Leuestins ordinis Predicatorum et omnes alios etc., qui receperunt pecunias et bona pro indulgenciis dudum concessis dantibus de bonis suis pro redempcione serenissimi domini regis Jani Cipri etc. patris dicti moderni regis et aliorum christifidelium captivatorum apud infideles Sarracenos, et ea non restituerunt et multa crimina circa hoc commiserunt etc., non obstante conclusione de evocandis causis ad rotam etc.: concordant

omnes deputaciones, quod admittatur prout admissa fuit ipsa supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione reverendissimi domini cardinalis de Columpna, supplicantis pro Jacobo de Tibure eius secretario et scriptore litterarum huius sacri concilii, petentis[a)] quod cum ipse Jacobus dictum suum officium in favorem Petri Juuenis clerici Tornacensis diocesis familiaris domini episcopi Tiburtini resignare velit, ut si ipse Petrus ad ipsum officium fuerit repertus ydoneus, dicto Petro concedatur de gracia speciali, non obstantibus quibuscunque: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur, proviso tamen quod per hanc concessionem ipse deputaciones non intendunt preiudicare alias ordinatis et conclusis in generali congregacione super scriptorum reductione quo ad alios. Quarta, videlicet de communibus, admittit eam in forma ut petitur.

Super supplicacione reverendi patris domini Gerardi episcopi S. Poncii Thomeriarum, supplicantis quod committatur et mandetur commissariis ab hoc sacro concilio ad referendum inter alia super iuribus dicti domini episcopi et fratris Ysarni electi collitigancium super dicta ecclesia et eius occasione deputatis, ut die sabbati xij[a] huius mensis novembris in generali congregacione, ut moris est, referant et eorum vota[dent], ad effectum ut sentencia per hoc sacrum concilium proferatur diffinitiva, et deputetur ipsa dies pro generali congregacione ad hoc, in contrarium facientibus etc.: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio et admissa fuit in forma ut petitur. Quarta, videlicet de communibus, addit: si ad hoc domini deputati fuerint parati.

Super requesta verbali domini electi Albiensis concordant omnes deputaciones, quod [si] dominus archiepiscopus Mediolanensis alter ex dominis deputatis in causa Albiensi recederet, antequam relacio fieret seu fiat, quod alii tres deputati in generali congregacione die sabbati xij[a] huius novembris vel alia qua erunt deliberati suam possint facere relacionem et facere secundum quod eis est commissum, absencia dicti domini archiepiscopi non obstante.

Super supplicacione domini Johannis de Comitibus decretorum doctoris archipresbiteri ecclesie Papiensis, petentis declarari per sacrum concilium, quod ipse in absencia a loco concilii recedendo eundo stando et ad ipsum redeundo gaudeat similibus privilegiis prerogativis et libertatibus, quibus ceteri in eodem concilio presentes gaudent: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa requesta et fuit admissa.

Super supplicacione fratris Stephani de Arsago diocesis Mediolanensis generalis magistri ordinis Humiliatorum, exponentis quod cum dictus ordo generali pastore vacaret, hoc sacrum concilium administracionem

[a)] petente *P.*

ipsius generalatus domino Johanni Vicecomiti olim archiepiscopo Mediolanensi contulit, usquequo illi ordini aliter provideretur, qui ordo fuisset per duos annos sub diversis obedienciis cum magnis dispendiis et distractionibus ipsius; inde mandato Romani pontificis prepositi et prelati ipsius ordinis pro generali capitulo celebrando Senis se transtulerunt et ibidem dictum fratrem Stephanum in generalem magistrum dicti ordinis canonice elegerunt, quam electionem dominus noster papa confirmavit; petentis per hoc sacrum concilium declarari, dictam administracionem per antedictam electionem expirasse: concordant omnes deputaciones cum ipsa supplicacione et quod declaretur ipsam administracionem expirasse ut petitur.

Super supplicacione capituli Nouiomensis et magistri Johannis Mard canonici dicte ecclesie, petentis sibi dari iudices reverendissimum patrem dominum Lugdunensem, abbatem Virziliacensem et magistrum N[icolaum] Hermessen, qui auctoritate concilii, in quo extitit compromissum super lite et discordia, quam habent super unione canonicatus et prebende, quos dictus Mard in eadem ecclesia possidet, dudum thesaurarie ipsius ecclesie, ut per ipsum capitulum pretenditur, facta, et quod auctoritate ipsius concilii aperiant certum processum clausum per partes communiter transmissum et causam summarie etc. decidant, et quod serventur termini coram dicto domino Nicolao: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ut petitur.

Super supplicacione reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis concordant omnes deputaciones, quod suppleantur deffectus et feratur sentencia iuxta peticionem ipsius domini patriarche. Illa vero de fide specificando addit: pro ipso domino patriarcha.

Super supplicacione reverendi patris domini Gerardi episcopi S. Poncii Thomeriarum, supplicantis quod attenta turbacione facta sabbati xij^{a} huius mensis novembris sibi concessa inter alia pro relacione in forma in causa dicte ecclesie S. Poncii per commissarios facienda deputata, sacrum concilium aliam diem, videlicet iovis xvij^{a}[^{m}] ipsius mensis novembris deputet pro generali congregacione, prout in prima commissione, atque mandet tribus commissariis, videlicet dominis Lubicensi et Gurcensi episcopis et archidiacono Ebredunensi, ut non obstante absencia reverendissimi domini archiepiscopi Mediolanensis huiusmodi relacionem faciant in forma: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio ut petitur. Quarta vero de fide requisita loco domini archiepiscopi surrogavit dominum archidiaconum Metensem.

Super eadem supplicacione inde apud sacras deputaciones dicta die iovis xvij^{a} huius mensis porrecta concordant tres deputaciones, quod generalis congregacio, que indicta erat ad dictam diem iovis, transferatur

ad diem martis proximam xxij^{dam} huius mensis novembris. Illa vero de pace addit, quod electus audiatur ad plenum, si audiri petat interim. Quarta vero de fide desuper requisita non deliberavit. Tamen dictus dominus archidiaconus Metensis, qui per eam fuerat ut predicitur surrogatus, onus ipsius surrogacionis refutavit.

Super supplicacione reverendi patris domini archiepiscopi Auxitani et capituli Auxitani ac abbatum conventuum preceptorum etc. ac aliorum dicte civitatis et diocesis Auxitane, supplicancium [quia] propter guerras etc. ipsa beneficia in redditibus etc. sunt taliter diminuta etc., quod sacrum concilium committat alicui vel aliquibus, ut se de premissis informe[n]t et taxas decime ecclesiarum monasteriorum etc. secundum ipsorum communes valores reducant et retaxent, et si qua repererint augmentata, taxent secundum eorum valorem: concordant omnes sacre deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio ut petitur, et tres, quod extendantur ad omnes indigentes et petentes, videlicet de pace, de fide et de communibus. Et ultra contenta in supplicacione ipsa concordant omnes ipse deputaciones, quod pro omnibus generaliter fiat decretum generale desuper. Illa vero de reformatorio addit: salvo tamen decreto de annatis et sine eius preiudicio. Et pro deputacione pacis fuerunt deputati ad conficiendum formam dominus abbas Virziliacensis et magister Johannes Lamelin et pro deputacione fidei ad conficiendum eciam formam et referendum reverendi patres domini Dignensis et Placentinus episcopi, archidiaconus Metensis et magister Johannes Celi aut unus vel duo ex ipsis, qui sufficiant aliis non venientibus. Alie due de communibus et de reformatorio non dederunt deputatos.

Super supplicacione magistri Thome Gauquerii secretarii reverendissimi domini cardinalis de Cipro, supplicantis quod cum fuerit ad dietam Attrebati cum dicto domino cardinali et fuerat per duos annos ante scriptor litterarum huius sacri concilii, et quia sacrum concilium in huiusmodi absencia omisso ipso magistro Thoma alios deputavit, petentis se admitti ad dictum officium scriptorie, prout ante: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta, videlicet de fide, requisita non deliberavit.

Concordant omnes deputaciones in iudicibus concilii pro eis qui sequntur[a)], et sint ac duret eorum potestas electorum[b)] per tres menses tantum secundum ordinaciones concilii, qui sunt hii, videlicet reverendus pater dominus episcopus Gurcensis, dominus officialis Parisiensis, dominus prepositus Januensis pro deputacione de reformatorio; et addit illa deputacio, quod nullus qui habeat causas in rota, remaneat iudex, et quod rogentur alie deputaciones, quod abbas de Ceruatos Hispanus remaneat;

[a)] per eas qui sequitur *P.* [b)] elect. *P.*

pro deputacione fidei domini archidiaconus Metensis, scolasticus Andegauensis et dominus Nicolaus de Ungaria cantor et vicarius Strigoniensis; et pro deputacione de communibus dominus Galeacius de Mantua, Jacobus Datigni et Matheus Nithardi; et pro deputacione pacis domini prepositus Barduicensis, Raymundus Taloni et Nicolaus Hermessen; qui iuraverunt.

Lectis huiusmodi concordatis reverendissimus dominus cardinalis legatus auctoritate concilii more solito conclusit.

Lectum fuit similiter quoddam concordatum quarundam monialium, sed quia dominus Tarentinus requisivit, quod non concluderetur super eodem, reverendissimus dominus cardinalis legatus distulit concludere.

Similiter prefatus dominus Tarentinus presidens dixit sibi semper visum fuisse, quod causa patriarchatus Aquilegiensis deberet terminari per concordiam etc.

Notarii requisiverunt, quod domini iudices habeant recipere unum notarium de sua deputacione.

Sacrum concilium iuxta deliberaciones sacrarum deputacionum relaxavit iuramentum domini Stephani de Nouaria.

Dominus decanus et prepositus Barduicensis ambassiatores domini ducis Erici ducis Saxonie protestati sunt, ut in cedula, petentes instrumentum, presentibus dominis archidiacono Mentensi, P[etro] de Mera et Johanne priore de Latis et vicario Frinsingensi.

Die sabbati XIX[a] novembris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione procuratoris fiscalis contra Fructusmontes etc. placuerunt deliberaciones aliarum trium sacrarum deputacionum.

Super supplicacione illustrissimi domini ducis Burgundie etc., petentis causam concernentem scabinos opidi Traiectensis remitti ad ipsum tribunal etc., placuit quod concilium se exoneret et remitatur ad suum tribunal ut petitur.

Super requesta dominorum de capitulo et civium Herbipolensium placuit, quod domini abbas de Chereto et Jacobus Datigni videant diligenter et referant.

Super articulo reformacionis, incipiente „Prelatos et quoscunque alios“ etc., placuit articulus in forma.

Super articulo „Et cum ei qui communis est“ etc. placuit avisamentum, ita quod ponatur „consultores“ loco „cum iudices“ et addatur pena, quod nichil recipiant.

Placuit quod domini Lugdunensis Niuernensis et abbas de Chereto videant copiam ambarum bullarum concessarum Minoribus et referant.

Placuit quod dominus cardinalis legatus, vocatis secum quos voluerit, revideat articulos reformacionis deliberatos in deputacione.

Die lune XXI[a] novembris in sacra deputacione pro communibus super requesta domini N[icolai] de Cosza decani S. Florini, petentis confirmacionem electionis prepositure ecclesie Monasterii Meynfelt Treuerensis diocesis, placuit huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super articulis reformacionis generalis domini deliberaverunt super xx[ti] articulis usque ad articulum incipientem „Camerarius negocia camere“ etc.

Ad referendum contenta in requesta abbatis monasterii Altesilue Cisterciensis ordinis placuit quod loco magistri N[icolai] Gehe absentis surrogetur dominus Johannes de Hungaria.

Die martis XXII[da] novembris in sacra deputacione pro communibus super duobus supplicacionibus concernentibus dispensaciones matrimoniales videlicet pro . . .

Super supplicacione dominorum de capitulo et civium Herbipolensium, petencium procedi contra suum episcopum delapidatorem etc., facta relacione de contentis in eadem per magistrum Jacobum Datigni dictoque voto suo et scrutatis singulariter votis dominorum, placuit deliberacio sacre deputacionis fidei, quod de qualibet deputacione deputetur unus, qui vocatis vocandis declarent ut petitur, si et prout de iure, quodque domini deputati habeant procedere per viam inquisicionis, et nichilominus constito summarie de assertis in supplicacione, moneatur episcopus ac sibi inhibeatur, eciam sub censuris et penis, ac citetur personaliter, eciam per edictum, ut petitur, et ulterius procedatur ut supra summarie, procedatque procurator fiscalis ex officio. Et pro ista deputacione deputatus fuit dominus episcopus Aquensis, qui procedant usque ad sentenciam exclusive et referant, et quod coram duobus vel uno, aliis non venientibus, possint servari termini. Sacra deputacio de communibus addit, quod domini deputati procedant in causa per viam inquisicionis. Et pro ista deputacione fuit deputatus dominus abbas de Chereto.

Super requesta concernente pupillos oppidi Lwembergensis Verdensis diocesis placuit, facta relacione per Jacobum Datigni, ut alias, quod causa remaneat in concilio terminanda.

In causa ducum Saxonie loco domini episcopi Uticensis absentis placuit quod surrogetur et surrogatus est dominus episcopus Lectorensis.

Die mercurii XXIII[a] ob reverenciam beati Clementis non fuerunt tente deputaciones.

Die iovis XXIIII^ta^ novembris in sacra deputacione pro communibus super requesta ecclesie Rigensis placuit, quod loco domini Petri[a)] Corserii surrogetur et surrogatus est dominus abbas de Chereto.

Placuit in hac materia, quod pro deputacione fidei loco domini decani Confluencie surrogetur dominus Aquensis.

Supplicacio civium Cameracensium data est visitanda dominis G[aleacio] de Mantua et Matheo Nithard.

Super requesta nobilium domini Jacobi de Rouerca et Jaquemine de Bogio Gebennensis diocesis, petencium dispensari, placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui cum supplicantibus dispenset ut petitur.

Super supplicacionibus parcium hincinde in causa Albiensi placuit, quod indicatur generalis congregacio ad diem martis proximam, in qua primo audiatur pars domini translati, deinde fiat relacio in eadem congregacione, ut petitur.

Super requesta domini abbatis Cisterciensis concernente monasterium Maristelle placuit maiori parti, quod committatur dominis iudicibus alias in causa huiusmodi deputatis, qui partibus vocatis videant et iusticiam faciant.

Super supplicacione domini L[udouici] episcopi Massiliensis, petentis quod coram altero iudicum observentur termini et fiat relacio in generali congregacione etc., placuit et admissa fuit huiusmodi supplicacio ut petitur, ita tamen quod consensus partis adverse intervenerit.

Die veneris XXV^a^ novembris fuit festum S. Katherine, in cuius vigilia quidam Judeus iudicialiter passus est tormenta, eo quod negaverat baptismum, quod receperat.

Die sabbati XXVI^a^ novembris M^o^iiij^c^xxxv^o^ in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato et Paduano, assistentibus dominis patriarcha Aquilegiensi, Lubicensi, archiepiscopo Lugdunensi, Dignensi, Niuernensi, Johanne Pulcripatris, Dyonisio, M[atheo] Maisnage et G[uidone] de Versellis.

Incorporati fuerunt magister Petrus Galhardi licenciatus in decretis, dominus Conmanus prepositus monasterii Omnium Sanctorum ordinis Premonstratensis diocesis Argentinensis, nobilis dominus Mauricius de Spergeweghe comes de Spergewerghe maioris et S. Gereonis Coloniensium ecclesiarum canonicus.

Concordata.

Super supplicacione reverendi patris domini Roberti translati ad ecclesiam Albiensem, narrantis quod in causa ecclesie Albiensis inter

[a)] decani *korrigiert aus* Petri *(oder umgekehrt?) P.*

ipsum vertente et dominum Bernardum de Casilhaco pro parte ipsius translati petitum esset, ut detur sibi audiencia pro publicis relacionibus faciendis, ad hoc ut nota sit iusticia et sacrum concilium, cui facienda relacio sit, de iuribus litigancium plenarie informatum, et usque nunc causantibus impedimentis et absencia domini episcopi Burgensis aliisve causis fieri non potuerunt, supplicantis ideo quod sacrum concilium decernat aliquam diem pro generali congregacione tenenda, in qua allegaciones huiusmodi fiant, sicut in causa Lausanensi et pluribus aliis factum est: concordant tres deputaciones, quod pro ipsa causa ecclesie Albiensis indicatur generalis congregacio ad diem martis vicesimamnonam huius mensis novembris, in qua partes hincinde audiantur. Quarta, videlicet de reformatorio, non specificat diem, sed dicit quod placet quod detur audiencia supplicantibus in generali congregacione et audiantur allegantes etc. iuxta peticionem. Illa vero de communibus addit, quod primo audiatur pars dicti domini translati.

Super supplicacione domini Nicolai de Cusza decretorum doctoris huic sacro concilio incorporati, petentis electionem et indesecuta de persona sua ad preposituram ecclesie Monasterii Meynfelt Treuerensis diocesis factam et illius confirmacionem auctoritate legacionis reverendissimi domini Juliani cardinalis legati subsecutam confirmari et approbari cum supplecione deffectuum, executoribus et clausulis opportunis: concordant tres deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Quarta, videlicet de pace, requisita eam non admisit.

Super supplicacione domini Ludouici episcopi Massiliensis, petentis quod sacrum concilium omnes et singulas causas ad ipsius domini Ludouici episcopi instanciam per ipsum concilium alias commissas reverendissimo domino cardinali alias legato de Cipro et que coram eo pendebant indecise inter ipsum dominum Lugdunensem ex una et fratrem Bartholomeum Rocaldi ordinis Carmelitarum ex altera de et super ecclesia Massiliensi et eius occasione propter ipsius domini cardinalis a presenti concilio absenciam committat dominis officiali Coloniensi et vicario Frinsingensi residentibus in concilio, et in quorum personis, ut in eadem supplicacione asserit, ambe partes consenciunt, ita quod coram eorum altero omnes termini possint servari, ac cum potestate illas resumendi et partes ipsas audiendi in omnibus, que deducere et allegare coram eis vel eorum altero voluerunt, et demum referendi in publica congregacione, ut eorum facta et audita relacione cause huiusmodi per ipsum sacrum concilium valeant terminari etc: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio in forma ut petitur. Illa vero de communibus dicit: ita tamen quod hoc fiat de consensu parcium.

Super supplicacione illustris domini Alberti de Wertheim coadiutoris domini episcopi ac dominorum decani scolastici et nonnullorum canonicorum ecclesie Herbipolensis ac tocius cleri consulum proconsulum et civium civitatis Herbipolensis, narrancium[a] contra ipsum dominum Johannem episcopum Herbipolensem a tempore quo illi ecclesie prefuit ipsius detestandam administracionem atque oppressionem cleri vassallorum et subditorum dicte ecclesie provisionemque dicti coadiutoris et post huiusmodi provisionem invasionem cum bombardis balistis civitatis Herbipolensis et cuiusdam castri incarceracionemque ducentorum vel circa, quorum aliqui de medio sublati fuerunt, supposicionemque ecclesiastici interdicti in civitate Herbipolensi ac prohibicionem per eum factam colonis de non ducendo et persolvendo supplicantibus blada et debita, et ne erogarentur elemosine religiosis quatuor ordinum Mendicancium, capcionesque invasiones homicidia et cetera quamplurima horrenda crimina per ipsum episcopum commissa, ex quibus gravia scandala suscitata fuerunt etc., et quod sacrum concilium de mense augusti proxime preterito per suas litteras mandavit, ut quelibet parcium a via facti supersederet, ipseque dominus coadiutor a via huiusmodi facti quantum in eo fuit desistit, quod dictus episcopus facere recusavit; supplicancium pro se et suis adherentibus per sacrum concilium committi alicui iudici in concilio, ut si per summariam informacionem simpliciter et de plano sola facti veritate inspecta desuper sacrilegiis et nephandis flagiciis etc. aliqua ex eis ad hoc sufficienter per famam publicam aut alias, prout in talibus fieri solitum est, reperiat veritate fulciri, prefatum episcopum ipsiusque complices in premissis culpabiles, quorum nomina etc., declaret, prout sunt, ipso iure excommunicatos anathematizatos et ab ecclesia Dei prescisos, et cum potestate eciam mandandi dicto episcopo sub pena suspensionis ab administracione et privacionis episcopatus et predictis complicibus eciam canonicis et laicis sibi adherentibus sub privacionis beneficiorum et feudorum et bonorum, que ab ecclesia obtinent, usque ad terciam generacionem et mille marcarum auri ac aliis formidabilibus penis et censuris monendi, ut infra certum terminum clericos et cives predictos in execucione nominandos incarceratos ac processus penales et bandimenta relaxet et de expensis dampnis satisfaciat etc., atque episcopum et eius complices etc. non parentes sentencias penas et censuras [incurrisse] declarandi, agravandi, cum invocacione brachii secularis, et eciam mandandi, ne episcopo in alienacione et dilapidacione[b] etc. assistant, necnon audiendi quascunque causas tam criminales quam[c] civiles et semixtas inter dictas partes et quoscunque sua interesse putantes super premissis, ac eciam citandi personaliter per edictum dictum episcopum et sex principaliores

[a]) narrante *P.* [b]) delapidacione *P.* [c]) quod *P.*

ex dictis complicibus propter non tutum patentem accessum, et alios legitime, atque inhibendi ipsi episcopo, complicibus vassallis etc., ne lite huiusmodi pendente per se vel alium etc. aliquid innovent seu attemptent, sub formidabilibus penis et censuris[a)] et non parentes inhibendi, penas etc. incidisse declarandi ac omnia faciendi et exequendi neccessaria etc., ut in supplicacione valde prolixa habetur: concordant tres deputaciones, quod committatur, vocatis vocandis declaretur prout petitur, si et prout de iure, et constito summarie de propositis moneatur sub censuris et penis, prefigatur et citetur episcopus personaliter, ceteri legitime, eciam per edictum, ut petitur, et ulterius procedatur, prout de iure et iusticia fuerit; et eciam procedat procurator fiscalis ex officio. Due, videlicet de fide et de communibus, addunt, quod coram duobus vel uno de deputatis, aliis non venientibus, possint servari termini. Eciam illa eadem de communibus addit, quod domini deputati habeant procedere in causa per viam inquisicionis. Et fuerunt deputati reverendi in Christo patres et domini domini Ebroicensis pro deputacione de reformatorio et pro deputacione fidei Aquensis episcopi et pro deputacione de communibus abbas de Chereto. Quarta, videlicet de pace, requisita voluit, quod supersedeatur a deliberacionibus ulterioribus usque ad adventum domini Walrami postulati Traiectensis.

Super supplicacione domini electi Albiensis, narrantis cum alias dominus Burgensis ad referendum in causa Albiensis ecclesie unacum aliis deputatus pronunc aliis forsan prepeditus commode relacioni intendere nequeat, ut creditur, et alii relatores parati sint et merita cause dudum secum communicaverint partibusque copiam extractorum et substancie processus dederint, adeo quod non restat nisi relacio ferenda, supplicantis ut sacrum concilium committat et mandet dominis vicario Frinsingensi et Thome de Polonia, ut ipsi soli merita et alia inter se communicata in causa huiusmodi die per eos pro generali congregacione tenenda et indicenda referant votaque sua tradant, ut sacrum concilium causam ipsam debite terminare valeat: concordant omnes deputaciones, quod dicti domini vicarius Frinsingensis et Thomas de Polonia absque dicto domino episcopo Burgensi in generali congregacione referant et vota sua tradant in hac causa; tamen quo ad indicionem diei pro huiusmodi relacione facienda illa de communibus indicit diem ad huiusmodi relacionem faciendam ad martis penultimam huius mensis novembris, altera, videlicet de pace, indicit diem ad iovis tunc sequentem, si sint parati, alias prima die sequenti qua erunt parati. Alie due concedunt simpliciter in forma ut petitur.

a) *undeutlich P.*

Super supplicacione magistri Egidii Ogerii canonici Remensis huic sacro concilio incorporati abreviatoris litterarum apostolicarum, petentis ut non obstantibus reservacionibus et constitucionibus apostolicis et ceteris contrariis quibuscunque, cum sit pro sacro concilio receptor in septem civitatibus et diocesibus semidecime per concilium imposite, sua beneficia, que obtinet et obtinebit et ad que ius sibi competit et compecierit, durante sacrosancto concilio in manibus ordinarii resignare et ipsis ordinariis resignaciones recipere ac huiusmodi beneficia personis aliis et alia simili modo resignata sibi conferre possint, detur facultas: concordant omnes deputaciones, quod admittatur ipsa supplicacio ut petitur.

Super requesta Grecorum concordant iiij^{or} sacre deputaciones.

Item super supplicacione procuratoris fiscalis contra magistrum Fructusmontes, lectis deliberatis iiij^{or} deputacionum concordibus de committendo omnes causas, quas procurator fiscalis movet etc., cum potestate puniendi etc. usque ad privacionem beneficiorum.

Lectis huiusmodi concordatis dominus cardinalis legatus conclusit, ut moris est.

Dominus episcopus Lubicensis et Johannes Celi missi per sacrum concilium in dieta de Brisac de gestis per eos suam fecerunt relacionem etc.

Lecta fuit conclusio capta in ultima dieta in Brisac.

Die lune XXVIII^{a} novembris in sacra deputacione pro communibus super requesta notariorum, petencium [a)] provisionem ne per laicalem iusticiam capiantur, placuit quod mittantur domini auditor camere et decanus etc. et missi fuerunt ad consulatum civitatis Basiliensis pro securitate ipsius notarii.

Super requesta domini Conrardi Sibolit, petentis provisionem nisi etc., placuerunt deliberaciones de reformatorio, de fide. Et pro ista deputacione fuit deputatus dominus Niuernensis episcopus.

Super requesta domini imperatoris, petentis causam nonnullorum oppidanorum oppidi Lunemburgensis Verdensis diocesis remitti etc., placuit quod dominus Galeacius iudex cause videat statum huiusmodi cause et referat.

Super requesta domini patriarche Aquilegiensis, petentis dari deputatos, qui concipiant formam sentencie etc., scrutatis singulariter votis dominorum placuit, quod deputentur notabiles iuriste et pratici, qui huiusmodi formam sentencie concipiant. Et ad hoc deputati fuerunt domini cardinalis legatus, Guillermus Constanciensis et dominus scolasticus Lubicensis.

[a]) not. petēn *P.*

Deputacio pacis retulit dedisse deputatos ad videndum capitula reformacionis iam deliberata.

Ad idem de reformatorio.

Articulus de camerario placuit.

Die martis XXIX[a] novembris M°iiij[C]xxxv° fuit congregacio generalis, presidentibus dominis legato et Tarentino, assistentibus domino Arelatensi, ambobus patriarchis, archiepiscopo Lugdunensi, episcopis Lubicensi et Dignensi, Johanne Pulcripatris, Dyonisio, Radulpho de Porta et G[uidone] de Versellis etc.

Dominus Gaspar de Perusio advocatus domini translati ad ecclesiam Albiensem ad longum habuit in eadem causa audienciam, allegando multas raciones iuris, per quas videbatur velle innuere electionem de domino electo factam esse nullam etc.

Die mercurii ultima novembris fuit dies beati Andree, ob cuius reverenciam fuit missa solemnis celebrata.

Die supradicta mercurii ultima novembris M°iiij[C]xxxv° fuit congregacio generalis, presidentibus dominis cardinali legato, episcopo Paduano, assistentibus domino cardinali Arelatensi, ambobus patriarchis et predictis.

In qua congregacione dominus Stephanus de Nouaria advocatus domini electi Albiensis fuit ad plenum auditus, qui articulatim ad proposita pro parte domini translati respondit, qua responsione facta domini surrexerunt, nil aliud peragendo.

Die iovis prima decembris in sacra deputacione pro communibus supplicacio pro parte domini episcopi Herbipolensis data est visitanda dominis abbati de Chereto et Jacobo Datigni, qui referant.

Super supplicacione domini Dominici de Bartallis, petentis surrogari unum Italicum in causa etc., placuit quod surrogetur et surrogatus est dominus Galeacius, si ad hoc intervenerit partis adverse consensus.

Pro presidente fuit deputatus dominus Vexionensis.

Pro dominis xij dominus episcopus Lausanensis, abbas de Chereto continuatus et dominus Johannes de Hungaria.

Pro custode clavis decanus S. Crucis, et iuravit ut est moris.

Pro referendario dominus prior de Plateria, qui nullam faciat relacionem nisi diebus iovis.

Pro precognitore fuit electus dominus Lugdunensis.

Placuit quod domini precognitores habeant simul cum domino vicecancellario signare commissiones.

Super requesta illius mulieris Metensis diocesis, petentis confirmari hospitale iam per ipsam datum[a] ordini Prutenorum etc., placuit quod committatur domino archidiacono Metensi, qui vocatis vocandis de contentis in requesta se informet, et si viderit quod donacio huiusmodi debeat confirmari, confirmetur, salvo iure ordinarii et rectoris parrochialis ecclesie.

Super supplicacione dominorum de capitulo Patauiensi, petencium reformari[b] per dominos ambassiatores concilii secluso episcopo etc., placuit quod committatur reverendissimo domino cardinali legato et deputatis, qui litteras et instructiones super huiusmodi reformacione conceperunt, et provideant, prout eis videbitur.

Quo ad requestam serenissimi domini imperatoris, petentis causam oppidanorum oppidi Lunembergensis Verdensis diocesis remitti etc., placuit ut alias, quod dominus Galeacius videat et statum cause referat.

Die veneris secunda mensis decembris M^{0}iiij^{c}xxxv^{0} fuit congregacio generalis, presidente in eadem reverendissimo domino cardinali legato, assistentibus domino cardinali Arelatensi, Lugdunensi Lubicensi Dignensi Niuernensi, presentibus Johanne Pulcripatris, R[adulpho] de Porta, G[uidone] de Versellis, M[atheo] Maisnage.

More solito fuerunt incorporati magister Thomas Josselin licenciatus in decretis canonicus Cenomanensis, dominus Garinus Yuer canonicus Virdunensis curatus de Regiteste Remensis diocesis.

Lecte fuerunt littere domini de Varembone excusatorie pro exercitu etc., quem iam paraverat contra Alamannos.

Lecte fuerunt littere domini Walrami super tractatu pacis inter episcopum Herbipolensem et capitulum et cives etc.

Cantores querimoniam fecerunt, quia non habent pecunias a v mensibus citra etc.

Dominus cardinalis legatus rogavit dominos Lugdunensem et Niuernensem, quod dissoluta congregacione retraherent se ad partem, et ipse daret modum pro pecuniis.

Concordata.

Ad revidendum et reaptandum capitula concernencia reformacionem generalem iam per sacras deputaciones deliberata concordant tres sacre deputaciones, quod dentur deputati, qui cum reverendissimo domino cardinali legato revideant et reaptent huiusmodi capitula. Et pro deputacione fidei fuerunt deputati domini episcopus Aquensis, abbas Cisterciensis, Gaspar de Perusio et magister Thomas de Courcellis, pro deputacione pacis dominus episcopus Lectorensis, abbas Virziliacensis et officialis

[a]) datam *P.* [b]) confirmari *P.*

Patauiensis, pro deputacione de communibus reverendissimus dominus cardinalis legatus, vocatis secum quos voluerit. Sacra vero deputacio reformatorii deliberavit, quod domini xij huiusmodi capitula iam deliberata habeant concordare, que concludantur et decretentur, quo vero ad capitula deliberanda dedit deputatos, videlicet dominos patriarcham Anthiocenum, officialem Coloniensem et H[enricum] Rascop.

Super supplicacione reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis, petentis unum iurisperitum et praticum de singulis deputacionibus dominis abreviatoribus in cancellaria huius sacri concilii adiungi, qui unacum eisdem abreviatoribus habeant formare et concipere in meliori forma formam sentencie in sacro concilio pro eodem domino patriarcha fiende etc.: concordant omnes sacre deputaciones, quod secundum quod supplicatur dentur deputati, qui huiusmodi formam sentencie habeant formare et concipere. Et pro deputacione fidei fuit deputatus dominus archidiaconus Metensis, pro deputacione reformatorii dominus officialis Coloniensis, pro deputacione pacis dominus Raymundus Taloni, pro deputacione de communibus cum reverendissimo domino cardinali legato fuerunt deputati domini Guillermus de Constancia et scolasticus Lubicensis. Illa vero de pace addit, quod antequam feratur sentencia, dentur dominis Venetis apostoli tales quales eis debentur.

Super supplicacione Johannis Bassac de S. Clemente et Margarete de Raone Tullensis diocesis, petencium dispensari super iiij^{to} consanguinitatis gradu etc., concordant tres deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii cum supplicantibus dispenset, prout sibi videbitur. Quarta vero de pace requisita non deliberavit.

Super provisione fienda contra illos, qui salariati seu conducti insidiantur nonnullis existentibus in concilio etc., concordant omnes sacre deputaciones, quod dentur deputati, qui in talibus casibus facultatem habeant providendi corrigendi et requirendi eciam cives huius civitatis, ut similiter circa premissa prouideant, quodque tales delinquentes in hac civitate et Parva Basilea non gaudeant immunitate ecclesiarum hoc durante concilio. Et ad terrorem talium premissa publicentur. Et fuerunt deputati pro deputacione reformatorii domini episcopus Albinganensis et vicarius Frinsingensis, pro deputacione fidei dominus prepositus Cracouiensis, pro deputacione de communibus dominus episcopus Niuernensis et pro deputacione pacis dominus abbas Virziliacensis.

Lectis supradictis concordatis reverendissimus dominus cardinalis legatus more solito conclusit.

Dictus reverendissimus dominus cardinalis legatus regraciatus est domino Lausanensi de labore per eum assumpto erga nepotem suum etc.

dominum de Varembone et exhortatus est dominos Lubicensem Lugdunensem Niuernensem Lausanensem et magistrum Johannem Celi, quod dissoluta congregacione vellent se trahere ad partem in aliquo loco ad providendum de securitate viarum etc.

Dominus Stephanus de Nouaria requisivit dominos et patres de sacro concilio, ut in causa Herbipolensi procederetur per viam inquisicionis, prout sacra deputacio de communibus deliberaverat.

Dominus Symon de Valle requisivit sacrum concilium, ut daret operam in expedicione Johannis de Horlandis.

Ut maturius et diligencius domini deputati in materia offense facte per Yspanos causa sedium etc. vellent et possent laborare et vacare pro concordia, placuit et fuit conclusum, quod sacre deputaciones velint cessare usque ad iij vel iiij^{or} dies.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus narravit, quod prefati domini deputati in predicta materia sedium, ut ab aliquibus asserebatur, non habebant facultatem absolvendi etc., exhortatus est dominos de sacro concilio, quod huiusmodi facultatem eisdem deputatis darent. Ad quod responsum per maiorem partem dominorum extitit per verbum placet, aliquibus dominis dicentibus, quod remitteretur ad sacras deputaciones.

Partes hincinde in causa ducum Saxonie partibus presentibus suas protestaciones alias coram me in presencia testium factas repecierunt. De quibus etc., presentibus dominis Odone prothonotario et nobili Johanne de Sweinpergh Wertheim fratre coadiutoris episcopi Herbipolensis.

Eadem die coram domino archiepiscopo Auxitano ipse reverendissimus pater, asserens velle recedere a sacro concilio, ad se representandum pro eo in sacro concilio et cetera faciendum in meliori forma suos constituit procuratores dominos episcopum Lectorensem, abbatem Conchensem et Symonem de Valle advocatum cum potestate substituendi. Promisit etc. De quibus etc., presentibus magistris Egidio Ogerii canonico Remensi et Jacobo . . secretario eiusdem testibus etc.

Die sabbati III^{a} decembris non fuerunt deputaciones.

Die dominica IIII^{ta} decembris fuit missa solemnis et sermo per quendam fratrem Minorum.

Die lune V^{ta} decembris in sacra deputacione pro communibus super primo avisamento dominorum xij, concernente generalem reformacionem, [quod] domini deputati ad reaptandum capitula reformacionis etc., placuit avisamentum, ita tamen quod ubi dantur xij^{cim} dies, non dentur nisi octo

dies etc., quodque habeant facultatem ipsi domini deputati reaptandi decretum de electionibus infra eundem terminum, alioquin placet quod domini xij reaptent eciam huiusmodi decretum de electionibus.

Super secundo, quod baccallarii non formati in theologia, magistri in medicinis et magistri in artibus comprehendantur in prerogativa concilii etc., placuit quod pronunc supersedeatur.

Super avisamento reverendissimi domini cardinalis legati, quod sequitur: „Dominis deputatis super facto dominorum Yspanorum videtur, quod ad tollendum omne dubium, quod posset oriri super potestate ipsis deputatis data, quod de novo ad cautelam detur ipsis dominis deputatis facultas absolvendi ab excommunicacione eos, qui incidissent propter illà que facta fuerunt in generali congregacione, necnon alia faciendi pro honore sacri concilii, que iudicaverint expedire circa hanc materiam, cum plena potestate, et quod isto mane teneatur congregacio generalis pro concludendo; placeat sacris deputacionibus se conformare concorditer in avisamento propter honorem sacri concilii etc.“, — scrutatis singulariter votis dominorum, placuit maiori parti huiusmodi avisamentum in forma.

Dicta die lune V^{a} mensis decembris M^{o}iiij^{C}xxxv^{o} post deputaciones fuit congregacio generalis loco consueto, presidentibus dominis cardinali legato et episcopo Paduano, assistentibus dominis Arelatensi cardinali, patriarcha Aquilegiensi, archiepiscopo Lugdunensi, Dignensi et Niuernensi episcopis, Johanne Pulcripatris, Radulpho de Porta et G[uidone] de Versellis.

Super avisamento reverendissimi domini legati hic immediate supra scripto concordant omnes sacre deputaciones, quod admittatur huiusmodi avisamentum in forma.

Lectis huiusmodi concordatis dominorum xij^{cim}, dominus Aquensis episcopus ambassiator serenissimi domini regis Anglie surrexit in medium, qui postquam narrasset, quod inter dominos deputatos super excessu etc. essent aliqui ex deputatis inimici capitales domini sui regis Anglie, opposuit se huiusmodi concordatis, ne concluderentur, attento quod parti lese minime erat satisfactum. Et nichilominus in casu quo concluderetur super huiusmodi concordatis, requisivit sacrum concilium, quod nominatim darentur in scriptis nomina illorum, qui debebant absolvi.

Hoc idem requisivit dominus Robertus doctor Anglicus. De quibus etc.

Nichilominus lectis concordatis, non obstantibus huiusmodi oppositionibus, reverendissimus dominus cardinalis legatus, ut moris est, super eisdem conclusit.

Postmodum reverendissimus dominus cardinalis legatus presidens exhortatus est dominos deputatos in huiusmodi negocio, quod dissoluta congregacione vellent se retrahere ad partem etc.

Die martis VI[a] decembris non fuerunt deputaciones ob reverenciam festi beati Nicolai.

Die mercurii VII[a] decembris non fuerunt deputaciones propter negocium Ispanorum.

Die iovis VIII[a] decembris fuit festum Concepcionis beate Marie virginis, ob cuius reverenciam fuit missa solemnis et sermo per magistrum Johannem de Romireyo.

Die veneris IX[a] decembris M[o]iiij[C]xxxv[o] in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinali[a)] Arelatensi, patriarcha Aquilegiensi, Johanne Lubicensi, A[medeo] Lugdunensi, episcopo Dignensi et Niuernensi, Johanne Pulcripatris, Radulpho de Porta[b)], M[atheo] Maisnage et G[uidone] de Versellis.

Domini deputati in loco capitulari monuerunt dominum episcopum Aquensem ambassiatorem regis Anglie, ne personaliter intraret congregacionem generalem presentem, cum relacio gestorum in materia excessus deberet fieri.

Dominus procurator fiscalis accusavit contumaciam parcium in causa Herbipolensi non comparencium etc., bullas sacri concilii citacionum[c)] cum execucione earundem reproducendo.

Dominus comes de Verten coadiutor ecclesie Herbipolensis comparuit satisfaciendo termino sibi per concilium assignato, offerens se pariturum mandatis sacri concilii.

Similiter comparuit dominus Johannes Herbipolensis procurator episcopi et nobilium, allegans causas excusacionis, propter quas ipse dominus episcopus non valuit comparere personaliter, requirens sibi prefigi terminum et dari deputatos, coram quibus posset allegare causas excusacionum etc.

Procurator fiscalis requisivit procedi ad ulteriora, attento quod cause non videntur sufficientes, quare dictus episcopus et moniti personaliter comparere non deberent, nec constat de mandato etc.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus respondit, quod super propositis hincinde sacrum concilium deliberabit. Et remissa est huiusmodi causa ad sacras deputaciones.

[a)] cardinalibus *P.* [b)] Parte *P.* [c)] citat. *P.*

Dominus Robertus Anglicus proponi fecit per dominum Stephanum de Nouaria, qualiter dominus noster contulerat suum decanatum uni non incorporato, requirens quod sacrum concilium dignetur scribere sanctissimo domino nostro, ut revocet etc. Placuit quod sacrum concilium scribat in eius favorem; et ad hoc se obtulerunt domini presidentes.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus de gestis in materia excessus Ispanorum ad longum fecit relacionem.

Domini episcopus Lubicensis et eius collega ambassiatores domini serenissimi [imperatoris] dixerunt non debere interesse huiusmodi actui, non recedendo eciam a suis protestacionibus alias factis etc.

Domini Ispani accesserunt ad congregacionem et per organum domini episcopi Conchensis, protestato prius quod non intendit aliquid dicere, quod cedat in preiudicium domini sui, secundo eisdem ambassiatoribus, narravit quomodo pet[ierant][a] sibi declarari primum locum post ambassiatores domini Francie regis etc. Narravit quod propter huiusmodi controversiam sedium omisse sunt processiones in Ramis Palmarum et festivitate Corporis Christi etc., et qualiter mandatis sacri concilii obediverunt etc. Narravit processum agitatum in huiusmodi materia etc. Dixit quod lecta protestacione volentes amplecti primum locum ad latus sinistrum, non crediderunt male egisse, attento quod requisiverunt dominum Aquensem, quod sederet inter ipsum dominum Conchensem et Burgensem, et non detrahendo honori domini regis Anglie etc. Dixit quod querendo ius suum non credebat incidisse in canonem etc. Dixit quod merito fecerunt illa que fecerunt etc. Dixit ulterius quod sepiissime in deputacione sua et generali congregacione exhortatus est dominos ad reformacionem etc. Dixit nunquam fecisse in detrimentum sacri concilii, requirendo sibi indulgeri.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus respondit, quod sacrum concilium audivit ea que proposuerant, et sicut illa die qua[b] contristatum est concilium, ita hodie letatur de eorum adventu etc. Et fuit remissa per sacrum concilium omnis offensa etc.

Domini Ispani regraciati sunt sacro concilio de huiusmodi indulto, offerentes regem ad beneplacita concilii.

Dominus Tarentinus narravit, qualiter ipse et dominus Paduanus per aliquos ex incorporatis sacri concilii contra Deum dixerunt, se dedisse consilium Ispanis, ut huiusmodi excessum committerent. Super hoc se graciose excusarunt.

Dixit quod Ispani alias dixerunt eis, quod si domini presidentes intromitterent se de huiusmodi negocio contra ipsos, quod papa perderet[c] obedienciam dominorum [suorum et] regnorum.

[a]) pet . . *P.* [b]) *ergänze etwa* contigit illud factum. [c]) perderent *P.*

Dominus legatus attestatus est omnia proposita per dominum Tarentinum fore vera etc.

Dominus episcopus Aquensis, postquam narrasset mandatum sibi per dominos deputatos factum de non çomparendo hodie in generali congregacione, peciit audienciam sibi dari ad respondendum contra proposita per dominos Ispanos in materia sedium etc.

Dominus Gaspar de Perusio advocatus domini translati ad ecclesiam Albiensem peciit articulos per sacrum concilium admitti et remissionem ad partes ad probandum eosdem decerni etc., eosdem articulos producendo. Item produxit articulos recusacionis contra vicarium Frinsingensem, ipso absente.

Die sabbati X^{a} decembris M^{o}iiij^{c}xxxv^{o} in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinali Arelatensi, ambobus patriarchis, archiepiscopo Lugdunensi, Dignensi Albinganensi episcopis, Dyonisio, N[icolao] Amici, de Porta, M[atheo] Maignage et G[uidone] de Versellis.

Non obstantibus opposicionibus per partem adversam in causa Albiensi et eciam certis articulis, per quos pars adversa asserebat dominum Frinsingensem alterum commissariorum esse merito suspectum etc., datis, prefati domini commissarii, videlicet domini vicarius Frinsingensis et Thomas de Polonia, aliis absentibus, in scriptis per organa L[udouici] Scaec et E[rardi] Rousselli suam fecerunt relacionem.

Cantores capelle supplicarunt sacro concilio pro provisione eis facienda. Qua supplicacione facta dominus episcopus Albinganensis promisit dare pro ij^{bus} mensibus, et visis compotis camere, si melius possit facere, faciet.

De mandato dominorum presidencium domini commissarii in causa Albiensi suum dederunt votum post multas altercaciones, illas solvendo, quod electio electi erat canonica et confirmanda.

Die dominica XI^{a} decembris fuit missa solemnis et sermo per unum fratrem ordinis Augustinensis, celebravitque missam dominus archiepiscopus Lugdunensis. Et post communionem, adhibitis solemnitatibus consuetis, videlicet presentato archiepiscopo Rothomagensi per Johannem Pulcripatris et N[icolaum] Loiseleur canonicos Rothomagenses, et lecta commissione sacri concilii sub bulla eiusdem,[1] ipse dominus Lugdunensis tanquam primas Gallie contulit dicto domino Rothomagensi, assistentibus sibi dominis Ebroicensi et Lausanensi episcopis, pallium etc. in forma ¸uris. Et facta professione per dictum dominum Rothomagensem, ipse

[1] *Mansi 30, 956.*

dominus Rothomagensis de singulis peciit instrumentum, astantes dominos et patres sacri concilii in testimonium invocando etc.

Die lune XII[a] decembris in sacra deputacione pro communibus lectis articulis pro parte domini cancellarii domini ducis Burgundie, concernentibus treugas inter ipsum dominum ducem et ducem Austrie etc., placuerunt huiusmodi articuli in forma.

Quia preceptor Trecensis in causa S. Anthonii dixit, quod prioratus pertinet ad hospitale etc., Thomas Rode peciit instrumentum.

Super requesta domini episcopi Herbipolensis, petentis audienciam dari, placuit quod deputati habeant audire partes hincinde. Et pro ista deputacione fuit deputatus dominus abbas de Chereto.

Super primo avisamento dominorum xij, quod sacre deputaciones habeant iniungere suis deputatis pro expedicione formarum decretorum etc., scrutatis votis etc. placuit avisamentum in forma.

Super secundo avisamento de indulgenciis dandis similiter placuit avisamentum in forma.

Super requesta domini electi Albiensis, petentis sentenciam ferri iuxta votum etc., scrutatis singulariter votis dominorum fuerunt xxj vota cum peticione quod feratur sentencia iuxta votum relatorum pro domino electo etc., et sunt xix vota quod audiatur primo dominus episcopus Burgensis. Nichilominus dominus presidens conclusit a maiori parte etc.

Dominus prepositus beate Marie ad gradus Maguntinensis obtinuit licenciam recedendi.

Dominus Martinus in causa Albiensi pro parte domini translati peciit advocatum partis sue primo audiri, antequam deliberetur.

Deinde dominus Gaspar advocatus partis sue cum procuratore exhibuit copiam unius falsi instrumenti et dedit peticionem, per quam peciit quod audiantur vota aliorum commissariorum, videlicet dominorum Burgensis et Mediolanensis, antequam deliberetur super peticione domini electi. De quibus etc.

Die martis XIII[a] decembris M[o]iiij[c]xxxv[o] in generali congregacione, presidentibus dominis cardinalibus legato Tarentino et Paduano, assistentibus domino Arelatensi, ambobus patriarchis etc., domini abbas de Mulbruno et dominus Walramus postulatus de gestis per eos in Herbipoli circa dominos episcopum coadiutorem et cives et pacem inter ipsos reformandam ad longum suam fecerunt[a)] relacionem.

[a)] fecit *P.*

Deinde pars domini episcopi et eciam nobiles foventes eius partem pecierunt audiri.

Hec materia remissa est ad sacras deputaciones.

Die mercurii XIIII[a] decembris in sacra deputacione pro communibus religiosus elemosinarius apparuit in scriptis nomine domini translati et peciit apostolos.

Dominus prepositus nomine domini regis obtulit cedulam in scriptis, de quibus etc.

Placuit quod vigilia Nativitatis domini celebretur sessio, in qua decretentur decreta, super quibus forme fuerunt deliberate et concluse.

Ad interessendum cum reverendissimo patre domino cardinali legato pro formis decretorum super reformacione componendis fuerunt nominati domini episcopus Lubicensis, Lugdunensis archiepiscopus et Niuernensis et abbas de Chereto.

Dominus preceptor Trecensis ordinis S. Anthonii obtulit quandam supplicacionem concernentem controversiam, que vertitur inter dominum cardinalem Arelatensem et abbatem etc., super qua due deputaciones de reformatorio et de pace deliberaverunt, requirens prout sepe requisivit, ut vellet deliberare. De quibus etc. Data est domino Didaco ad referendum.

Placuit quod monachus appellans in causa Albiensi per soldanum arrestetur.

Super supplicacione fratris Johannis de Juys monachi, petentis committi domino archiepiscopo Bituricensi, ut conferat ordines diaconatus et presbiteratus, placuit huiusmodi requesta ut petitur.

Die iovis XV[a] decembris in sacra deputacione pro communibus dominus preceptor Trecensis ordinis S. Antonii peciit, quod relacio fieret per dominum Galeacium. De ista relacione petita peciit instrumentum etc.

Super supplicacione domini coadiutoris et civium in causa Herbipolensi placuit, [quod] audita parte domini episcopi Herbipolensis in generali congregacione audiatur pars domini coadiutoris et civium Herbipolensium die proxima sequenti ut petitur.

Super supplicacione domini abbatis de Chereto, petentis confirmari abbates inst[it]utos etc., placuit et admissa fuit huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Arelatensis, petentis iudices surrogari loco absencium etc., placuerunt deliberaciones trium aliarum deputacionum.

Super supplicacione Johannis Manberti scriptoris litterarum pro parte sacri concilii ad convocandum prelatos debentes, petentis loco sui unum surrogari etc., placuit ut petitur.

Super requesta civium Valentinensium, petencium conservatoriam, non placuit et refutata est.

Super requesta domini imperatoris in favorem Sophie relicte etc. oppidi Lunembergensis, petentis remitti causam, attento quod prophana est, facta relacione per dominum Galeacium de Mantua, placuit maiori parti, ut alias, quod remaneat.

Super requesta domini patriarche Aquilegiensis, petentis sentenciam ferri iuxta formam oblatam etc., placuit maiori parti quod rogetur, ut velit contentari de avisamento dominorum deputatorum; si vero non sit contentus, placuit, et moderetur forma sentencie, antequam feratur.

Super requesta dominorum contendencium de ecclesia Traiectensi placuit maiori parti, quod si dominus Aurelianensis velit reassumere onus cause, reassumat, alioquin placent surrogati.

Quo ad requestam notariorum petencium admitti ad scribendum in causis etc., placuit quod dentur deputati, qui adeant dominum vicecancellarium, qui notarios predictos admittat, vel restituantur pecunie etc., ut petitur.

Quo ad supplicaciones concernentes dispensaciones in iiij^{to} gradu placuit, quod committatur domino cardinali legato, qui auctoritate concilii dispenset cum supplicantibus.

Die veneris XVI^{a} decembris M^{o}iiij^{C}xxxv^{o} in generali congregacione, presidentibus dominis legato et Tarentino, assistentibus dominis Arelatensi cardinali, ambobus patriarchis, episcopis Aquensi Vexionensi Glasguensi Dignensi Niuernensi Maclouiensi Albinganensi Petragoricensi Metensi Ebroicensi Massiliensi Sudensi Tiburtino Lausanensi Lectorensi et Gurcensi.

Concordata.

Super supplicacione dominorum prepositi decani et canonicorum tociusque capituli ecclesie Patauiensis, petencium per dominos episcopum Constanciensem, Johannem Polomar auditorem, Martinum decanum Turonensem et alios ambassiatores sacri concilii missos ad Bohemiam secluso domino episcopo Patauiensi reformari[a)] etc.: concordant tres sacre deputaciones, quod ipsa supplicacio admittatur et admissa est in forma ut petitur. Quarta vero de communibus deliberavit, quod huiusmodi supplicacio committatur reverendissimo domino cardinali legato et dominis deputatis, qui litteras et instructiones super huiusmodi reformacione alias conceperunt, et provideant, prout eis videbitur.

[a)] reformatori *P.*

Super supplicacione domini electi ad ecclesiam Albiensem, petentis committi et mandari venerabilibus viris dominis vicario Frinsingensi et Thome de Polonia, qui in causa ecclesie Albiensis relacionem fecerunt et merita cause satis cognoverunt, ut sentenciam componant et concipiant, eciam secundum formam peticionis oblate vel offerende per eam partem, pro qua deliberatum fuerit sentenciam esse ferendam, et ea concepta et parte ad audiendum sentenciam per eosdem commissarios vocata, de mandato ipsorum commissariorum sive relatorum sentencia ipsa feratur per ipsum sacrum concilium in eadem causa in proxima generali congregacione consueta aut in altera per ipsos relatores indicenda etc.: concordant omnes sacre deputaciones, quod feratur sentencia pro domino electo et cetera ut petitur.

Super requestis dominorum archiepiscopi necnon prepositi decani et capituli metropolitane ecclesie Rigensis ordinis S. Augustini, petencium in causa inter ipsos ex una et magistros commendatores et fratres hospitalis beate Marie Theutonicorum in Lyuonia constitutos in concilio mota et vertente partibus ex altera loco dominorum decani Confluencie et Petri Corserii commissariorum absencium alios surrogari etc.: concordant omnes sacre deputaciones, quod loco domini decani Confluencie dominus Aquensis et loco domini Petri Corserii dominus abbas de Chereto surrogentur et sunt surrogati.

Super requestis pro parte reverendi patris domini Walrami electi Traiectensis sacris deputacionibus oblatis, quibus petitur quod loco reverendorum patrum dominorum Aurelianensis, qui causam huiusmodi remisit et illa se exoneravit, et Uticensis episcoporum absentis commissariorum in causa alii surrogentur cum potestate omnia et singula in ipsa causa faciendi, que ipsi domini episcopi commissarii facere potuissent ante huiusmodi remissionem et recessum, quodque per quatuor ex commissariis in dicta causa relacio coram sacro concilio fieri possit etc.: concordant tres sacre deputaciones, quod loco domini episcopi Aurelianensis reverendus pater dominus episcopus Aquensis et loco domini episcopi Uticensis absentis dominus abbas Conchensis surrogentur et surrogati sunt cum potestate petita etc. Quarta vero, videlicet de communibus, deliberavit, quod si dominus episcopus Aurelianensis commissarius in causa voluerit reassumere causam, poterit, alioquin placent surrogati.

Super requesta reverendissimi patris domini cardinalis Arelatensis administratoris monasterii Montis Maioris ordinis S. Benedicti Arelatensis diocesis, petentis in causa, que in hoc sacro concilio vertitur inter ipsum ex una et dominum abbatem S. Anthonii Viennensis diocesis partibus ex altera racione certe annue pensionis etc., loco reverendissimorum patrum dominorum Auxitani et Turonensis archiepiscoporum necnon episcopi

Uticensis in huiusmodi causa commissariorum absencium alios commissarios surrogari etc.: concordant omnes sacre deputaciones, quod loco dominorum Auxitani dominus episcopus Merseburgensis et loco domini Uticensis absencium dominus abbas Conchensis surrogentur et surrogati sunt cum potestate petita. Loco vero domini archiepiscopi Turonensis absentis concordant tres sacre deputaciones, quod surrogetur et surrogatus est dominus vicarius Frinsingensis. Quarta vero de fide non deliberavit nec constat dominis xij, quod fuerit requisita.

Super supplicacione fratris Johannis de Juys monachi expresse professi ac prioris prioratus conventualis de Monteto Monachorum ordinis S. Benedicti Bituricensis diocesis, petentis quod cum obstante gravi infirmitate, qua diu fuit detentus, necnon propter guerrarum incursus ad loca, ubi ordines celebrantur, tempore congruo accedere non potuerit infra annum a die dicti prioratus possessionis adepte, quod postquam ipse supplicans ad sacrum subdiaconatus ordinem fuerit legitime promotus, reverendissimus pater dominus archiepiscopus Bituricensis presens in concilio ordinarius eiusdem supplicantis sacros diaconatus et presbiteratus ordines aliquibus diebus dominicis aut aliis solemnibus successive sibi ministrare valeat etc.: concordant omnes sacre deputaciones, quod admittatur et admissa est huiusmodi supplicacio ut petitur.

Quibus concordatis lectis productum fuit per dominum Gerardum de Ledis nomine episcopi Traiectensis unum instrumentum attestacionis, qualiter dominus Aurelianensis remisit causam Traiectensem ad sacrum concilium, subscriptum per M[ichaelem] Galteri.

Deinde venerunt ad congregacionem generalem xiij familiares Ispanorum, qui fuerunt complices excessus, et per organum domini Lectorensis pecierunt veniam genibus flexis, veniam et absolucionem impendi. Quibus est indultum et data facultas domino legato ipsos absolvendi.

Dominus Aquensis, cui facta erat iniuria, insistens protestacionibus per eum alias factis, iterum protestatus est de prosequendo iniuriam sibi illatam contra eosdem et quoscunque alios, petens instrumentum etc.

Dominus Gaspar de Perusio associatus domino Symoni de Theramo, preposito et Martino etc. proposuerunt allegantes, quod facta fuit relacio in causa Albiensi in facto et in iure, non tamen erat super hoc per deputaciones conclusum, verum quod duo ex dominis commissariis erant absentes, non dederunt votum suum, dominus Mediolanensis erat iam absens a concilio, et tamen dimisit votum suum in scriptis, quod tamen non potuerunt obtinere quod audiretur; dominus Burgensis non poterat interesse congregacioni, et non potuerunt obtinere quod audiretur; dominum vicarium Frinsingensem reputarunt ex certis racionabilibus causis suspectum, et sic solus dominus Thomas de Polonia de iiij^{or} dominis com-

missariis, inter quos erant duo prelati notabiles. Et quia in facto non potest esse error, quia se referunt ad processum, sed quo ad ius vellent audiri per duas horas et ostendere de iure suo, si videantur libri, allegavit quod erat productum unum falsum instrumentum, per quod asseritur sentenciam primam transivisse in rem iudicatam. Ad quod instrumentum respondit magister Ludouicus notarius cause, quod unus notarius per eos adductus tradidit sibi illud instrumentum et fecit sibi relacionem secundum formam ipsius instrumenti nec aliud instrumentum vidit.

Dominus Thomas de Polonia respondit ad allegata per dominum Gasparem. Dominus vicarius Frinsingensis se dixit non posse esse suspectum, quia nudus relator.

Prepositus peciit audiri.

Dominus electus peciit concludi.

Idem dominus prepositus peciit iterum primo audiri.

Promotores pecierunt concludi.

Iterum idem prepositus peciit primo audiri.

Reverendissimus pater dominus cardinalis legatus, volens servare honorem concilii in hac parte, peciit auriculariter seu fieri peciit consilium a nonnullis dominis et patribus, quid in hac parte esset acturus.

Tandem ipse dominus legatus propter honorem concilii noluit concludere in hac causa protunc, sed remisit ad deputaciones, addiciens quod bonum erat, quod expectaretur ad diem lune proximam.

In aliis omnibus concordatis conclusit.

Die sabbati XVII[a] decembris in sacra deputacione pro communibus super requesta Gerardine coniugis Johannis Jaquerii, petentis legitimari per sacrum concilium ad honores et successiones [a)] etc., placuit quod committatur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui dispenset, prout sibi videbitur.

Dominus prior Lustriaci obtulit supplicacionem, per quam petitur, ut obligati in facto Grecorum relaxentur.

Placuit quod domini incorporati sacro concilio et eorum familiares possunt eligere confessores, qui eos absolvant in forma alias solita a festo beati Thome usque ad festum Epiphanie inclusive, et concludatur in congregacione generali.

Domini Gaspar de Perusio et Symon de Theramo venerunt ad deputacionem cum libris et multa iura allegarunt pro parte domini translati etc. et pecierunt, quod super hoc domini velint deliberare mature.

Accesserunt ad deputacionem sacram domini archiepiscopi Lugdunensis et Bituricensis, episcopus Aurelianensis et J[ordanus] Morin

[a)] inocessiones *P.*

ambassiatores domini nostri regis, exhortando nomine regio eandem deputacionem, ut vellet dare deputatos, qui eos audiant, ne scandalum oriatur etc., ymo evitetur etc.

Super supplicacione domini abbatis S. Blasii, petentis provisionem sibi fieri super diffidacionibus etc., placuit quod committatur reverendissimo patri domino cardinali legato, qui auctoritate concilii provideat ut petitur, quodque illa que fecerit dominus cardinalis legatus in hac parte, habeant vim legis perinde ac si in generali congregacione foret conclusum.

Dominus preceptor Trecensis in causa S. Anthonii peciit, ut per dominum Galeacium fieret relacio super supplicacione etc.

Dominus prepositus, non recedendo ab appellacionibus alias factis etc., contradixit quod non deliberetur de congregacione indicenda die lune proxima.

Super appellacione interiecta pro parte domini translati placuit quod reiciatur.

Super peticione domini patriarche Aquilegiensis lecta forma sentencie placuit huiusmodi forma, et quod vocentur Veneti per audienciam contradictarum ad audiendum sentenciam.

Super primo avisamento domini cardinalis legati de congregacione indicenda die lune pro causa Albiensi et pro audiencia danda ambassiatoribus domini episcopi Herbipolensis, placuit huiusmodi avisamentum in forma.

Item placuit pro scandalo evitando in causa Albiensi, quod dentur deputati, qui provideant. Et fuerunt deputati cum domino legato et deputatis aliarum deputacionum domini Lubicensis Niuernensis et Lausanensis episcopi, quodque habeant potestatem compellendi prepositum ad tradendum litteras domini nostri regis etc.

Super secundo avisamento de interdictis positis in Sabaudia racione Karoline etc. placuit, quod committatur dominis cardinali legato et Arelatensi et G[aleacio] de Mantua iudici cause, qui vocata parte provideant, prout eis videbitur.

Die dominica XVIII^{a} decembris M^{o}iiij^{c}xxxv^{o} celebrata maiori missa fuit congregacio generalis, in qua dominus Gaspar pro parte domini translati proposuit allegaciones, per quas nititur electionem domini electi fore nullam, eciam per libros allegavit iura faciencia pro parte sua.

Quibus allegacionibus factis dominus cardinalis legatus peciit, si volebat amplius aliquid dicere. Ipse Dominus Gaspar respondit quod non.

Deinde dominus Stephanus de Nouaria nomine proprio, non tanquam advocatus domini electi, eciam per libros respondit dubiis per dominum Gasparem allegatis.

Tandem domini ambassiatores domini nostri regis Francie requisiverunt ad tollendum dubia in huiusmodi materia, et ut eciam honor sacri concilii conservetur, attentis allegacionibus per dominum Gasparem propositis, quod darentur deputati iurisperiti, qui viderent huiusmodi allegaciones hincinde etc.

Postmodum dominus cardinalis legatus, prout heri in Minoribus per dominos deputatos fuerat ordinatum, exhortatus est dominos de sacro concilio, quod super peticione dominorum ambassiatorum tenerentur hodie post meridiem hora iij[a] sacre deputaciones.

Eadem die dominica hora iij[a] post meridiem in sacra deputacione pro communibus super peticione domini Gasparis advocati domini translati, eciam super supplicacione domini electi Albiensis, ipsis prius lectis scrutatisque singulariter votis dominorum, placuit ut alias, quod ad diem lune crastinam indicatur generalis congregacio, in qua feratur sentencia pro domino electo.

Die lune XIX[a] decembris M°iiij^{C}xxxv° in generali congregacione, presidentibus in eadem dominis legato et Tarentino, assistentibus ambobus patriarchis, Lubicensi Glasguensi Aquensi Vexionensi Niuernensi Maclouiensi Metensi Albinganensi Lectorensi Massiliensi Sudensi Tiburtino et Lausanensi episcopis, presentibus Johanne Pulcripatris, G[aleacio] de Mantua et G[uidone] de Versellis.

Magister Symon de Valle et Johannes de Herbipoli proposuerunt nomine domini episcopi Herbipolensis et milicie, cuius lecte fuerunt littere, concernentes multa crimina contra coadiutorem suum, ut inter cetera idem dominus Johannes allegavit et dixit, quod cives Herbipolenses decies sexcies rebellarunt contra episcopos suos et decies sepcies confusi et ad eorum obedienciam manu armata redacti. Dixit insuper quod quilibet ex canonicis inmobilibus[a)] ecclesie Herbipolensis est, ubi habet commedere et bibere etc.

Deinde militares dederunt instructiones suas in scriptis, petentes eas legi, sed quia magne erant, fuit ordinatum quod copia detur parti adverse, ut die iovis proxima possit respondere, ne postea oporteret facere pro responsione aliam congregacionem. Nichilominus eadem die iovis in generali congregacione, antequam responderetur, legentur huiusmodi instructiones.

Concordata.

Super forma sentencie pro parte reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis singulis deputacionibus oblate etc. concordant omnes sacre

[a)] inmo^{bus} *P.*

deputaciones, quod feratur sentencia pro domino patriarcha in forma pro parte ipsius dictis sacris deputacionibus oblata, quodque pars dominorum Venetorum ad audiendum huiusmodi sentenciam ferendam citetur per audienciam contradictarum. Illa autem de fide dicit, quod citetur per edictum. Illa vero de pace addit, quod ante sentenciam ferendam dentur apostoli refutatorii, quodque dominus abbas Virziliacensis habeat se informare, an sentencia in dicta deputacione pacis lecta sit illa, que per dominos deputatos extitit composita, et si non sit illa, habeat potestatem eandem sentenciam reaptandi iuxta tenorem peticionis aut alias, prout sibi visum fuerit; si vero sit composita, addatur supplecio deffectuum et citentur Veneti per audienciam contradictarum ad audiendum voluntatem sacri concilii et recipiendum apostolos. Quiquidem dominus abbas Virziliacensis postmodum cum dominis xij personaliter constitutus, constito sibi prius per relacionem, quod illa erat vera forma sentencie, nomine eiusdem deputacionis pacis consenciit in eadem.

Super appellacione nuper per quendam monachum religiosum pro parte domini translati ad ecclesiam Albiensem in singulis deputacionibus interiectam etc., concordant tres sacre deputaciones, quod si dictus religiosus possit apprehendi, capiatur et incarceretur reiciaturque huiusmodi appellacio. Quarta vero de fide deliberavit, quod persone appellanti dentur apostoli Gregoriani, quo vero ad ipsam appellacionem dentur refutatorii.

Super supplicacione domini electi ad ecclesiam Albiensem, petentis ad hanc diem lune generalem congregacionem indici et sentenciam pro eodem ferri etc., concordant omnes sacre deputaciones, ut alias bina vice per singulas deputaciones extitit deliberatum et per dominos xij concordatum, quod indicatur ad diem lune proximam generalis congregacio, in qua feratur sentencia pro eodem domino electo.

Super secundo avisamento reverendissimi domini cardinalis legati, concernente interdictum in quibusdam opidis ducatus Sabaudie virtute Karoline appositum etc., concordant tres sacre deputaciones, quod committatur reverendissimis dominis cardinalibus legato et Arelatensi, qui vocata parte et eciam vocatis cum ipsis quos vocare voluerint, provideant prout eis videbitur ad honorem sacri concilii. Sacra vero deputacio pro communibus [dedit] cum prefatis dominis deputatis dominum Galeacium de Mantua iudicem huiusmodi cause. iiij^{ta} vero de pace deliberavit, quod omnes lites hincinde mote in hac causa cessent usque ad proximum festum Purificacionis, et suspendatur interdictum usque ad illud tempus, et interim tractetur de concordia inter partes contendentes de prioratu Paterniaci, occasione cuius est interdictum appositum.

Quo ad facultatem dandam dominis incorporatis et incorporandis sacro concilio et eorum familiaribus, quod in instanti festo Nativitatis

Domini possent eligere confessores etc., concordant omnes sacre deputaciones, quod detur huiusmodi facultas in forma ut alias concessa, et duret huiusmodi facultas a festo beati Thome apostoli proxime futuro inclusive usque ad festum Epiphanie inclusive, et concludatur in generali congregacione.

Super supplicacione domini abbatis S. Blasii, petentis sibi per sacrum concilium provideri super quibusdam diffidacionibus spoliacionibus incendiis etc. in terris sui monasterii per quosdam factis etc., concordant omnes sacre deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii inhibeat viam facti sub censuris etc. vocetque partes hincinde et procedat partibus breve iusticie complementum ministrando etc. ac alias provideat ut petitur.

Lectis huiusmodi concordatis reverendissimi domini presidentes concluserunt, ut est moris.

Deinde lata est sentencia pro parte domini electi Albiensis, per organum magistri Ludouici notarii cause etc. lecta.[1]

Qua lecta promotores pecierunt huiusmodi sentenciam in actis concilii redigi etc., petentes instrumentum etc.

Deinde dominus electus de iusticia sibi ministrata regraciatus est sacro concilio.

Die martis XX[a] decembris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione magistrorum in medicina in sacris constitutorum et incorporatorum concilio, petencium quod comprehendantur in prerogativa alias magistris et doctoribus concessa etc., placuit et admissa fuit huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super supplicacione domini Odonis sedis apostolice prothonotarii, petentis super voto per eum emisso, quod deberet ad sacerdocium promoveri etc., placuit quod committatur domino cardinali legato, qui prouideat, prout sue consciencie videbitur.

Dominus preceptor Trecensis requisivit ut alias, quatenus sacra deputacio velit deliberare.

Magister P[etrus] de Trilhia requisivit, quod nullomodo velit deliberare inaudito domino Arelatensi.

Super supplicacione domini abbatis S. Antonii Viennensis diocesis, petentis in causa vertente inter eum et dominum cardinalem Arelatensem administratorem Montis Maioris etc. remissionem ad partes per commissarios decerni etc., placuit.

Super primo et secundo avisamentis dominorum xij de observacione decretorum et de appellantibus, attento quod alias materia placuit, dati

[1] *Mansi 30, 961.*

sunt deputati domini episcopus Lausanensis, auditor camere et scolasticus Lubicensis, qui concipiant super ambobus avisamentis unam bonam formam et referant.

Super primo avisamento domini cardinalis legati, concernente reformacionem capituli Patauiensis etc., placuit ut alias, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato et deputatis, qui alias instructiones et litteras composuerunt etc., et provideant, prout eis videbitur.

Super ij^{do} de obligatis mercatoribus pro facto Grecorum, quod nulli obligati absolvantur, nisi de consensu mercatorum, placuit avisamentum in forma.

Super supplicacione Henrrici Wyse, petentis dispensari quod possit promoveri etc. et obtinere beneficium non obstante deffectu natalium etc., placuit quod committatur domino legato, qui dispenset, prout sibi videbitur.

Placuit quod expediatur bulla indulgenciarum in facto Grecorum etc., et expediant formam domini de cancellaria et abreviatores vicecancellarie. [a)]

Super supplicacione fratris Prothasii prepositi S. Marie ordinis Humiliatorum, petentis secum super irregularitate dispensari etc., placuit quod committatur domino generali suo, qui dispenset cum supplicante ut petitur.

Super supplicacione domini Humberti Rolandi, petentis commissionem ipsum concernentem per alium quam dominum Arelatensem signari etc., placuit quod commitatur domino cardinali legato iuxta avisamentum fidei.

Super huiusmodi forma indulgenciarum in materia Grecorum placuit, quod huiusmodi forma expediatur per dominos vicecancellarium et abreviatores, et quod fiat sessio die sabbati, in qua decretetur.

Dominus provincialis Lombardie opposuit se huiusmodi conclusioni.

Super requesta reverendissimi domini cardinalis de Cipro, petentis facultatem eligendi confessorem, qui de quibuscunque suis delictis absolvere valeat quoad vixerit etc., placuit et admissa fuit huiusmodi requesta ut petitur in forma.

Super requesta Johannis Canin, Alani Barre et omnium aliorum bone memorie domini cardinalis S. Eustacii familiarium, petencium [quod] in assequcione beneficiorum quorumcunque vigore graciarum expectativarum aut alias etc. omnibus et singulis prerogativis antelacionibus privilegiis tam per concilium quam per dominum nostrum papam veris familiaribus dominorum cardinalium in Romana curia vel in sacro concilio

[a]) *so P.*

serviciis ipsorum insistentibus[a] [concessis] libere uti et gaudere valeant etc., placuit pro presentibus in sacro concilio et non pro absentibus.

Die iovis XXII[da] decembris in sacra deputacione pro communibus super supplicacione Guillermi de Layens, petentis resumi ad officium scriptoris etc., attento quod fuit in servicio aliquorum dominorum ambassiatorum concilii in convencione Attrebatensi, placuit et admissa est huiusmodi requesta in forma etc.

Super requesta domini patriarche Aquilegiensis, petentis quod conclusio, que capta fuit in causa Aquilegiensi die lune preterita, habeat vim perinde ac si huiusmodi congregacio fuisset ordinaria, placuit ut petitur.

Super supplicacione domini Humberti Rolandi decretorum doctoris, petentis quod in absencia posset gaudere privilegiis incorporatorum etc., placuit ad iiij[or] menses.

Super requesta domini Johannis electi Sagiensis, petentis loco domini episcopi Petragoricensis dominum episcopum Albinganensem surrogari, placuit huiusmodi requesta.

Super requesta domini Petri de Trillia concernente notarios, qui conqueruntur de non admissione etc., placuit quod dominus Lausanensis vocatis ipsis notariis provideat.

Super forma de appellacionibus tollendis etc. per dominos deputatos concepta etc., lecta prius ipsa forma et scrutatis votis singulorum dominorum, placuit quod detur copia habere volentibus, postmodum veniant deliberati.

Dominus electus Albiensis accessit ad deputacionem, regraciando de bona iusticia, et porrexit supplicacionem.

Super supplicacione domini electi confirmati ecclesie Albiensis, petentis executoriam super sentencia, quodque scribatur sanctissimo domino nostro et domino nostro regi et ceteris in sui favorem etc., placuit huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super supplicacione cappellani deputacionis placuit, quod committatur domino cardinali legato, qui videat de modo provisionis.

Super indulgenciis in materia Grecorum etc. placuit, quod expectetur responsio dominorum ambassiatorum concilii nunc existencium in Constantinopoli etc., vel differatur ad tempus, quodque reaptetur forma indulgenciarum huiusmodi per dominos legatum et deputatos, videlicet dominum archiepiscopum Lugdunensem et alios de sacris deputacionibus,

[a]) insistendo *P.*

qui habeant facultatem concludendi, deinde concludatur huiusmodi forma in generali congregacione, sed differatur decretum, usquequo constiterit sacro concilio de adventu Grecorum.

Eadem die, instante et requirente reverendissimo domino patriarcha Aquilegiensi, de mane circa horam decimam discretus vir Desiderius Barardi sacri concilii cursor affixit citacionem die lune in generali congregacione decretam sub sigillo concilii, per quam citatur pars dominorum Venetorum ad audiendum sentenciam ferri in causa patriarchatus Aquilegiensis die veneris proxima xxiij[a] in generali congregacione etc., presentibus magistro Henrrico Hubelin procuratore causarum concilii, Petro de Nuden clerico Argentinensis diocesis, magistro Hermanno Reklinghusen scolastico ecclesie Padeburnensis et P[etro] de Trillia testibus etc.

Deinde illico et incontinenti instante eodem domino patriarcha idem cursor aliam citacionem eiusdem tenoris et sigillatam sigillo sacri concilii valvis ecclesie S. Francisci affixit, presentibus magistris Johanne Jegher, Petro Militis presbitero, Johanne Vrunt procuratore et Johanne de Vernopolio canonico S. Desiderii Auinionensis. De quibus etc.

Quamquidem citacionem in valvis maioris ecclesie appositam, que per horam cum demidia et ultra inibi steterat, instante et requirente quo supra, ego notarius illam citacionem de huiusmodi valvis levavi et recepi. De quibus etc., presentibus dominis episcopo Vexionensi, auditore camere, decano Cameracensi, Johanne Lamelin canonico Tornacensi et pluribus aliis. De quibus etc.

Similiter instante eodem domino patriarcha Gerardinus Sauuegeti et Gaufridus cursores huiusmodi citacionem similiter, que tanto tempore inibi steterat, de valvis ecclesie S. Francisci levaverunt et receperunt, presentibus scolastico Aruuiensi, Henningho Stwbergh vicedomino Magdeburgensi et Alberto Borali litterarum audiencie contradictarum procuratore testibus etc.

Die veneris XXIII[a] decembris M[o]iiij[C]xxxv[o] in generali congregacione, presidente domino cardinali legato, assistentibus dominis Arelatensi cardinali, patriarcha Anthioceno, Lubicensi Aurelianensi Dignensi Aquensi Vexionensi Niuernensi episcopis, presentibus Johanne Pulcripatris, R[adulpho] de Porta, P[etro] de Mera et de Versellis.

More solito incorporati fuerunt dominus Robertus de Coanach magister in artibus decanus ecclesie Dumblensis in Scocia, frater Anselmus Ogerii magister in theologia ordinis Carmelitarum, magister Robertus

Colibouis canonicus et succentor Senonensis, magister Bartholdus Fuster abreviator litterarum apostolicarum canonicus Norwicensis, magister Johannes de Francfordia magister in artibus pro universitate Erfordensi, frater Johannes de Juys prior prioratus de Monteto ordinis S. Benedicti Bituricensis diocesis, frater Arnoldus Sabat ordinis fratrum Heremitarum S. Augustini baccallarius formatus in theologia, dominus Antredus de Atauilla canonicus ecclesie Leonensis, magister Gauffridus Tehel magister in artibus Parisiensis curatus de Passa Ramato Macloviensis diocesis.

Lecte fuerunt littere domini imperatoris in favorem domini episcopi Lausanensis.

Lecte eciam fuerunt littere civitatis et ecclesiarum Traiectensium in favorem domini R[adulphi] episcopi contra dominum Walramum.

Item quatuor alie littere iiij^{or} oppidorum diocesis Traiectensis in favorem cuius supra et contra eumdem dominum Walramum, quas concilium habuit pro lectis.

Item quedam supplicacio dictorum Traiectensium in favorem cuius supra, quarum copiam dominus Walramus peciit.

Deinde dominus Walramus surrexit in medium, se excusando de contentis in litteris, videlicet de habitu dixit, quod tunc non habebat aliquod beneficium ecclesiasticum, propter quod teneretur portare, sicuti dominus Radulphus, qui habebat preposituram et archidiaconatum et non deferebat; quantum vero ad illud, quod esset inimicus patrie, dixit quod nunquam fuit inimicus patrie, bene est verum, quod alias executus est unum mandatum apostolicum, videlicet felicis recordacionis domini Martini pape V^{ti} etc. Multa alia dixit et inter cetera dedit onus domino P[etro] de Mera, quod per litteras revelabat vota dominorum de consilio, narrando dominos nuncios, qui fuerunt ad papam, pro testibus, qui viderunt litteras etc.

Lecte fuerunt littere capituli et civitatis Scapah in Ybernia contra archiepiscopum[a)] delapidatorem.

Concordata.

Super avisamento dominorum xij^{cim} de indulgenciis auctoritate sacri concilii in sermonibus solemnibus dandis ultra indulgencias per reverendissimum dominum legatum auctoritate sue legacionis in eisdem dari consuetas, concordant omnes sacre deputaciones in huiusmodi avisamento.

Super supplicacione domini Humberti Rolandi decretorum doctoris sacriste ecclesie Regensis, petentis ipso absente a sacro concilio et extra

[a)] *aus* episcopum *P.*

privilegiis prerogativis et libertatibus incorporatorum uti et gaudere etc., concordant tres sacre deputaciones, quod concedatur huiusmodi requesta et concessa est ad quatuor menses tantum. Illa vero de pace concedit simpliciter in forma.

Super supplicacione reverendissimi domini patriarche Aquilegiensis, petentis ad tollendum omnem ambiguitatis scrupulum et ad habundanciorem cautelam, quod conclusio, que facta fuit die lune preterita in generali congregacione super causa Aquilegiensi, perinde valeat ac si illa congregacio antea per sacras deputaciones specialiter ad illud fuisset indicta, et sic in execucionem illius conclusionis hodie in generali congregacione prorsus expediatur etc.: concordant omnes sacre deputaciones, quod admittatur et admissa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super supplicacione reverendi patris domini Johannis episcopi Sagiensis, petentis loco domini episcopi Petragoricensis alterius iudicum in causa aliquem alium surrogari etc., concordant omnes sacre deputaciones, quod surrogetur dominus episcopus Albinganensis cum potestate petita.

Super supplicacione Johannis Manbert scriptoris litterarum sacri concilii pro parte eiusdem sacri concilii pro convocandis prelatis ad diversas provincias transire debentis, petentis quod tempore sue absencie loco sui in huiusmodi officio aliquem ydoneum substituere possit etc.: concordant tres sacre deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio et admissa est ut petitur in forma. Quarta de pace requisita non deliberavit.

Super supplicacione domini abbatis de Chereto, petentis instituciones duorum abbatum in monasteriis, videlicet de Cornu Laudensis diocesis et de Caua Cremonensis diocesis, per eum factas per sacrum concilium confirmari etc., concordant omnes sacre deputaciones, quod admittatur huiusmodi supplicacio in forma ut petitur.

Super requesta Petri Zemaren laici et Ysabellis Causins mulieris coniugum Tornacensis[a)] diocesis, petencium super iiij^to^ consanguinitatis gradu cum eisdem dispensari, concordant tres sacre deputaciones, quod committatur reverendissimo domino cardinali legato, qui auctoritate sacri concilii dispenset cum supplicantibus, prout sibi videbitur. Quarta de fide requisita non deliberavit.

Super requesta Ghisberti Karoli, Willermi de Worda, Petri Olondi et Johannis Nepotis, petencium per dominum vicecancellarium ad scribendum in causis coram iudicibus rote admitti, attento quod per eosdem

a) Torn̄ *oder* Tom̄ *P.*

dominos iudices examinati et sufficientes reperti extiterunt, aut saltem pecunias, quas pro facto Grecorum dederunt, sibi restitui: concordant tres sacre deputaciones, quod exhortetur reverendissimus dominus vicecancellarius pro admissione eorundem aut restitui faciat pecunias etc. Et ad premissa sacra deputacio pacis dedit suos deputatos, videlicet dominos abbatem Virziliacensem et magistrum Matheum Mainage. Illa vero de fide requisita non deliberavit.

Super requesta verbali magistri P[etri] de Trilhia, petentis sibi deputatos ad videndum compota sua de receptis per eum in materia Grecorum dari etc., concordant omnes sacre deputaciones in huiusmodi requesta, et fuerunt deputati pro reformatorio dominus Albinganensis, pro pace Lectorensis, pro communibus Lausanensis episcopi et pro fide magister Guillermus Erardi de universitate Parisiensi.

Super requesta domini electi et confirmati ecclesie Albiensis, petentis pro sacri concilii sentencie pro eo late ac decretorum eiusdem concilii corroboracione et manutencione sanctissimo domino nostro pape, collegio dominorum cardinalium christianissimoque regi Francie ceterisque principibus etc. ad illam sentenciam exequendam per litteras sacri concilii opportunas scribi sentenciamque ipsam sub penis et censuris etc. illas agravando reagravando et auxilium brachii secularis invocando etc. eciam per edictum publicum in hoc loco vel aliis circumvicinis exequi et debite execucioni demandari, quodque ne ipsum dominum electum et confirmatum beneficiis que obtinet per quemquam quavis auctoritate ante pacifice dicte ecclesie Albiensis possessionis adepcionem spoliari seu molestari contingat, retinere valeat indulgeri et dispensari etc.: concordant omnes sacre deputaciones, quod admittatur et admissa est huiusmodi requesta in forma ut petitur.

Super supplicacione concernente causam intitulatam Verdensem bonorum etc. concordant omnes sacre deputaciones, quod huiusmodi causa in concilio remaneat terminanda.

Super supplicacione reverendissimi domini cardinalis de Cipro, petentis facultatem a sacro concilio eligendi sacerdotem ydoneum in suum confessorem, qui de quibuscunque suis delictis, de quibus confessus fuerit, absolvere valeat quoad vixerit, sibi concedi etc.: concordant omnes sacre deputaciones, quod admittatur et admissa est supplicacio huiusmodi ut petitur.

Super supplicacione magistrorum in medicinis in sacris constitutorum et incorporatorum sacro concilio, petencium comprehendi in prerogativa magistris et doctoribus ac aliis per sacrum concilium concessa etc., concordant omnes sacre deputaciones, quod concedatur et concessa est huiusmodi supplicacio in forma petita.

Lectis huiusmodi concordatis reverendissimus dominus cardinalis legatus more solito conclusit.

Nominati fuerunt precognitores pro communibus dominus Lugdunensis, pro fide Aquensis, pro reformatorio Ebroicensis episcopi, pro pace dominus Thomas de Polonia.

Sed quia fuit altercacio per aliquos Ytalicos, non prestiterunt iuramentum etc.

Dominus episcopus Ebroicensis nomine domini archiepiscopi Rothomagensis et aliorum suffraganeorum provincie Rothomagensis peciit, quod decretum de protestacionibus non concludatur pronunc nec fuit conclusum aut saltem non extendatur ad preteritas protestaciones, sed futuras, propter deportus eis sublatos in decreto de annatis, super quibus alias protestati sunt; alias se opposuit.

Ex adverso magister Johannes Leodegarii dixit eosdem deportus esse magis dampnatos quam annatas, et idcirco contra opposicionem factam per dominum Ebroicensem nomine suo et sibi adherere volencium se opposuit.

Dominus patriarcha Aquilegiensis, Franciscus de Bossis advocatus et Ysidorus procuratores accusarunt contumaciam Venetorum et G[uillermi] de Breda tam per audienciam contradictarum quam alias legitime citatorum etc. non comparencium et in eorum contumaciam sentenciam ferri et deffectus, si qui forent in processu, suppleri etc. De mandato sacri concilii in contumaciam non comparencium et suppletis deffectibus lecta et pronunciata fuit sentencia pro domino patriarcha Aquilegiensi per organum mei Bruneti etc., de quibus promotores et patriarcha pecierunt instrumentum.

Deinde dominus patriarcha regraciatus est sacro concilio de ministrata sibi iusticia et supplicavit sibi indulgeri, quia forsan nimis fuerat importunus etc.

Die sabbati XXIIII[ta] decembris vigilia Nativitatis Domini non fuerunt deputaciones ob reverenciam Nativitatis Domini.

Eadem die fuerunt vespere solempnes celebrate per dominum cardinalem Arelatensem. Deinde fuerunt lecte littere nunciorum concilii tractancium pacem inter contendentes de ecclesia Treuerensi, continentes quod partes se submiserunt et compromiserunt in dominos archiepiscopos Coloniensem et Maguntinum et episcopum Warmaciensem, qui infra festum Pasche debent ordinare etc.

Die Natalis Domini que fuit dies dominica XXV[a] decembris M°iiij°xxxvj° fuerunt matutine solemnes celebrate per dominum episcopum Vexionensem et magna missa celebrata per dominum Arelatensem.

Eadem die dominus archiepiscopus Lugdunensis celebravit vesperas.

Die lune XXVI[a] die beati Stephani celebravit missam dictus dominus Lugdunensis et fecit sermonem archidiaconus Ebredunensis.

Die martis XXVII[a] decembris die beati Johannis evangeliste fuit missa solemnis et fecit sermonem prepositus de Moersen.

Die mercurii XXVIII[a] decembris die Sanctorum Innocencium fuit missa solemnis, qua celebrata fuerunt lecte littere prolixe valde nobilium diocesis Herbipolensis.

Die iovis XXIX[a] die beati Thome Cantuariensis non fuerunt deputaciones.

Die veneris XXX[a] et penultima decembris M°iiij°xxxvj° in generali congregacione, presidentibus dominis cardinali legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis cardinali Arelatensi, duobus patriarchis, Lugdunensi Aquensi Vexionensi Niuernensi etc., Johanne Pulcripatris, R[adulpho] de Porta et de Mantua.

More solito incorporati fuerunt magistri Michael Andree secretarius domini regis Francie et ducis Britannie curatus ecclesie parrochialis de Castro Theobaldi Nannetensis diocesis, Petrus de Flench nobilis magister in artibus curatus de Sellis Tornacensis[a)] diocesis, Petrus Synau canonicus Lubicensis.

Dominus Albertus de Verten comes coadiutor episcopi Herbipolensis habuit audienciam et fecit legi per E[rardum] Rousselli capitula concernencia malum regimen ipsius episcopi Herbipolensis. Sed quia huiusmodi scriptura nimis prolixa erat, fuit prorogata ad diem crastinam.

Die sabbati ultima decembris anno quo supra fuit congregacio generalis, presidentibus dominis legato Tarentino et Paduano, assistentibus dominis Arelatensi, patriarcha Aquilegiensi, Lugdunensi Aquensi Niuernensi etc., presentibus Johanne Pulcripatris, P[etro] de Mera et G[uidone] de Versellis etc.

[a)] Torn̄ *oder* Com̄ *P.*

Erardus Rousselli notarius continuavit capitula concernencia crimina domini episcopi Herbipolensis. Quibus completis Symon de Theramo requisivit nomine domini coadiutoris et civium Herbipolensium, attento quod constabat de criminibus ipsius episcopi, quod suspenderetur ab administracione etc.

Deinde dominus Symon de Valle advocatus domini episcopi peciit copiam et terminum ad respondendum.

Reverendissimus dominus cardinalis legatus respondit, quod sacrum concilium deputaret aliquos in pauco numero, qui audire[n]t partes hinc-inde et tractarent primo de concordia.

Dominus Symon de Theramo dixit, quod pars episcopi cogeretur, ut cessaret a via facti et se submitteret ordinacioni sacri concilii.

Prefatus dominus legatus exhortatus est dominos de nacione Germanica, ut vellent cogitare in huiusmodi concordia facienda et dare suos deputatos etc.

Beilagen.

I.

König Wladislaus von Polen schreibt dem Concil über die Verzögerung seiner feierlichen Gesandtschaft und über seine Beziehungen zum Kaiser.

1434 Januar 12 in Jedlua.

R f. 310ª. Vgl. oben S. 39. M. C. 2, 620.

Sacrosancte Basiliensi synodo in Spiritu Sancto legitime congregate Wladislaus Dei gracia rex Polonie Litphanieque princeps supremus et heres Russie etc. salutem cum sincera devocione et votorum felicem desideratam consumacionem. Reverendissimi in Christo patres ceterique [in] sacro Basiliensi concilio presidentes principes[a] domini et proceres prestantissimi, amici nostri carissimi. Dudum nostre menti pre cunctis agendis nobis incumbentibus pervigil inherebat[b] sollicitudo, ut nuncios nostros solempnes ad presenciam vestre sacre congregacionis ad honorem omnipotentis Dei et tocius universalis ecclesie, quam hoc sacrum representat concilium, orthodoxeque fidei salutare augmentum transmitteremus[c]. Quibus autem causis legittimis et impedimentis nobis obstantibus talismodi nostre mentis pura intencio hactenus non extitit sortita optatum effectum, certis nostris informacionibus id ad noticiam vestre sacre congregacionis non ambigimus in parte devenisse et existimo[d] hiis grandiora per nostros oratores auribus vestris pro lucidiori veritatis deductione efficacius inculcabuntur. Quosquidem oratores ad vestram sanctam synodum effective deputaveramus[e] profecturos, quibus in precinctu vie existentibus supervenit nobilis Petrus de Leukosschyn Lancziczsbz fidelis noster dilectus, ferens nobis vestri sacri concilii scripta et litteras. Quas nos[f] cum ea qua decuit reverencia recepimus[g] ipsasque et contenta earum plene recollegimus[h] intellectu,

[a]) *so R, wohl zu lesen* precipui. [b]) inhereat *R*. [c]) transmissionis *R*. [d]) *so R, wohl zu lesen* postea. [e]) adaptaverimus *R*. [f]) non *R*. [g]) receperimus *R*. [h]) recolligimus *R*.

qualiter serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum imperator ac Hungarie Bohemie etc. rex vestra coram sacra congregacione de nobis et regno nostro Polonie de inscripcionum per nos et ipsum dominum imperatorem contractarum non observacione et super quibusdam iniuriis et offensis quasi per nos ipsi domino imperatori illatis moverit et deposuerit[a] querelas, offerens se nichilominus super omnibus iniuriis controversiis et displicenciis quibuscunque vestri sacri concilii iudicio stare et parere determinacioni. Ad quod faciendum ipsa vestra sancta synodus nos scriptis admonet et hortatur huiusmodi discordias et displicencias removere et parere, intendentes etc. Reverendissimi patres et domini precipui, quamquam ipsa vestra exhortacio et affectus commendabilis esse censeatur, tamen nobis non mediocrem attulit difficultatem, ex eo quod nos inscripciones federa et iuramenta inter predictum imperatorem et nos confectas contracta et prestita summopere attendebamus, que[b] nec umquam eisdem volumus facto aut mente contravenire. In quibus cavetur per expressum, si in casu inter nos et prefatum dominum imperatorem iniurie differencie et discenciones suscitarentur[c] quoquomodo, tunc prelati et barones nostri et Hungarie regnorum ad locum in eisdem inscripcionibus deputatum convenientes super talibus anfractibus[d] et discordiis, cuiuscumque extiterint qualitatis sive quantitatis, tractare cognoscere et determinare debent et tenentur. Ad quod prosequendum in nobis et nostris numquam compertum est defecisse, quinymmo summo studio predictarum inscripcionum iugiter aspirantes et intendentes execucioni, plerumque prelatos et barones regni nostri notabiles ad locum in eisdem inscripcionibus assignatum non absque gravibus sumptibus et expensis mittebamus. Causam autem, occasione cuius execucio non processit, novit Deus. Et quia inscripciones et federa predicta atque lige de voluntate consensu et ratihabicione omnium et singulorum regni utriusque sepefati prelatorum baronum et procerum extant sigillorum appensione communite et contexte, expedit igitur et dignum esse censemus, ut assenciendum parendumque de et super dictis controversiis iniuriis et displicenciis inter nos et dictum dominum imperatorem subortis composicione pacacione et decisione votis vestris predictorum prelatorum baronum maturis consiliis pariter et assensu pociamur, sine quorum consiliis et sciencia in detrimentum predictorum federum nil nobis congruit attemptare. Quibus visis scriptis vestris illico convencionem sive dietam generalem dominica Reminiscere in quadragesima proxima[1] et opido nostro Noua Ciuitas alias Cortzyn nuncupato ad tractandum huiusmodi negocia indiximus[e] celebrandam,

[a]) movent et deposuerint *R.* [b]) *so R, lies* quin? [c]) sustentarentur *R.* [d]) aufractibus *R.* [e]) induximus *R.*

[1] *1434 Februar 21.*

